Universidad de Deusto
Biblioteca

Colonnes. Datum?

L. Jo. Gallam.

Biblioteca de Ejercicios
LOYOLA
Est. .....
Pl. .....
Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNIS

# CASSIANI

EREMITAE

De institutis renuntiantium Libri XII.
Collationes Sanctorum Patrum XXIV.

*AB INNVMERIS PENE MENDIS*
*auxilio vetustissimorum codicum expurgatæ,*
*& ad suam integritatem restitutæ.*

Adiectę sunt quarundam obscurarum dictionum interpretationes ordine alphabeti dispositæ: & obseruationes in loca ambigua & minus tuta, quæ pium lectorem offendere possent.

Præterea indices duo testimoniorum sacræ scripturæ, quæ a Cassiano vel explicantur, vel aliter quàm vulgata editio habet citantur.

INDEX POSTREMO
rerum memorabilium.

*Accessit Regula S. Pachomij, quæ a S. Hieronymo in Latinum sermonem conuersa est, multo emendatior quàm antea.*

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

BIBLIOTECA DE EJERCICIOS
HDDG

ROMAE,
Ex Typographia Vaticana.
M. D. LXXXVIII.

# SANCTISS. D. N.
## GREGORIO XIII.
## PONT. MAX.

IOANNIS Cassiani opera, Beatissime Pater, quorum lectione viri sanctissimi Gregorius Pont. Max. eius nominis primus, Benedictus qui cœnobiticam in Italia vitam instituit, Thomas Aquinas in philosophia ac theologia summus, & plerique alij, maximopere sunt delectati, prodeunt ex officina nostra. Atque ea licet doctorum hominum labore & industria ab innumeris pene mendis collatione vetustissimorum codicum expurgata & scholijs illustrata, priores omnes editiones multis partibus superent; ve-

recunde tamen atque cunctanter (vtpote a Gelasio Beatitudinis vestræ prædecessore inter apochrypha numerata) adirent Sanctitatem vestram, nisi eruditas obseruationes interpretes sententiæ suæ, & quasi conciliatores sibi comparassent. Quòd enim erant nonnulla obscura & ambigua, quædam incerta, adhibitæ sunt explanationes ad piorum hominum sensum accommodatæ, & pro incerta doctrina vera & catholica substituta est. Quamquam Cassianus de gratia & libero arbitrio (qua in re cum Pelagianis sensisse creditus est) adeo varia & secum pugnantia profert, vt ea ex illorum potius disputationibus, quorum sententias refert, quam ex suo sensu deprompta esse videantur: quod ipse alicubi admonet. Vtcúque sit, his obseruationibus quisque munitus, inoffense Cassianum deinceps percurrere poterit, habebitq. elegantem scriptorem nitori suo restitutum, ex quo discat vitia omnia cognò-

gnòscere & cognita superare, huius mundi rebus vt caducis & vanis, vere atque ex animo renuntiare, puras & feruentes preces ad Deum frequenter emittere, veræ castitatis & perfectionis viam insistere, ac diuinarum rerum contemplationi (vt ipsius verbis vtar) iugiter inhærere. Excitat enim hic auctor mirabiles virtutis amores, & detecta vitiorum fœditate, eorum odium atque horrorem inducit, eoq. sententiarum grauitate & sanctorum Patrum exemplis lectores adigit, vt calcato omni fastu & diuitiarum superbia, nihil præter Deum sitiant, in eo omne vitæ præsidium collocent, ab eius immensitatis bonitatisq. contemplatione diuelli nolint. Non parum autem debent religiosi & Deo deuoti viri amplissimo Cardinali Antonio Carafæ, cuius maxime opera hoc quidquid est laboris & susceptum & perfectum fuit. Suscipiat igitur Sanctitas vestra qua solet benignitate Cassianum, qui

Leoni illi magno Beatitudinis vestræ prædecessori in expugnando Nestorio hæretico egregiam operam præstitit; dum ad antiquorum aliquot Patrum monumẽta quamemendatissime edenda me comparo. Deus optimus maximus Sanctitatem vestram Reipublicæ Christianæ diu seruet incolumem.

Romæ Kalendis intercalarib. Anno Domini M. D. LXXX.

Sanctitatis vestræ

Humillimus seruus

*Dominicus Basa*
*Typographus*

*Typographus Lectori.*

HÆc Ioannis Cassiani opera emendata, aucta & illustrata superioribus annis ex officina mea prodierunt: quibus edendis quanta, et quàm accurata sit adhibita diligentia, liber ipse testis est locupletissimus. Verum cum vix iam vllus editionis illius codex supereſſet, multiq. religiosi & Deo deuoti viri auctoris huius desiderio valde tenerentur, non potui non & pio eorum studio, satisfacere & commoditati consulere. Quod vt melius præstarem, Amplissimus Cardinalis Antonius Carafa, qui tum rebus alijs præclare gestis, tum antiquorum Patrum monimentis restitutis disciplinam ecclesiasticam amplificare studet, codicis iam editi & Petri Ciaconij manuscriptis marginibus aucti liberalissime copiam fecit, ne eius nunc auctoritas deficiat, cuius opera iste susceptus est labor. Petrus enim Ciaconius vir spectata religione clarus, omnium bonarum artium cognitione insignis, in Sanctorum Patrum Latinorum, & Græcorum assiduo studio versatus, Amplissimi Cardinalis cohortationibus, Cassianum ab innumeris mendis expurgatum in pristinum

splendorem restituit. Addidit etiam notationes suas, quibus tam singularem doctrinam, qua & mens instruitur, & inflammatur affectus, sine vllis salebris inoffenso pede transcurreres. Sed, vt erat modestissimus & humanæ laudis contemptor, numquā in his lucubrationibus, nec in alijs permultis, quibus egregiam operam prestitit, dum in humanis ageret, nomen suum inscribi voluit: id quod illi, qui de contemnenda gloria libellos scripserunt, minime vmquam recusarunt. Huius igitur codicis beneficio adiutus Cassianum rursus in lucē emitto, & quidem locupletiorem: nam multa Petri Ciaconij manu denuo adiuncta reperi, quæ librum ipsum illustriorem reddunt, vt ex vtriusque editionis collatione facile comperies. Quare laboribus istis, quibus non mediocriter ad vitæ rationem secundum Deum instituendam animus informatur, vtere, fruere, ac bene nobis in Christo precare.

Vale.

# Ad Lectorem.

CONSTANS *opinio est a Dionysio Carthusiano nescio aucta an exorta, & confirmata a Trithemio, Ioannem Cassianum Institutionum libros & Collationes Patrum Græca lingua edidisse: verum ea Latine scripta ex pluribus eius locis adeo manifestum est, vt mirum sit, quemquam lecto Cassiano in aliam sententiam discessisse. Id enim ipse in præfatione Collationum his verbis testatur: Obtineant itaque orationes vestræ ab eo, qui dignos nos vel visu eorum, vel discipulatu, vel consortio iudicauit, vt nobis earundem traditionum memoriam plenam, & sermonem ad dicendum facilem conferre dignetur, quo tam sancte eas, tamq. integre, quàm ab ipsis accepimus explicantes, & quod maius est, Latino disputantes eloquio vobis exhibere possimus. Et lib. Institutionum 1. cap. 3. Habentes, inquit Apostolus, alimenta & operimenta, his contenti simus. Operimenta, inquiens, non vestimenta, vt in quibusdam Latinis exemplaribus non proprie continetur. Lib. etiam 5. cap. 16. Tentatio vos non apprehendit nisi humana. Hoc Apostoli testimonium non intelligentes quidam posuerunt pro indicatiuo optatiuum modum, ideſt: Tentatio vos*

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non apprehendat nisi humana. quod ab ipso magis dici manifestum est non optantis, sed pronuntiantis vel exprobrantis affectu. Quin & Collat. 23. cap. 8. locum Iob referens: Si in sanctis, inquit, suis non confidit, & in angelis suis reperit prauitatem; siue vt emendatior translatio habet: Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis &c. Emendatiorem translationem vocat vulgatam nostram a S. Hieronymo ad Hebræorum codicum fidem translatam, qua Cassianus qui ipsius Hieronymi ætate vixit, primus omnium vti cœpit. Frequenter enim relicta LXX. interpretum editione, Scripturæ testimonia ex nostra vulgata profert, aliquando vtramque coniungit, vt Lib. 12. cap. 31. locum illum Esaiæ citans: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea? Siue secundum exemplaria, inquit, quæ Hebraicam exprimunt veritatem: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum &c. Collat. etiam 3. cap. 15. se Latine scripsisse ostendit, cum adducens illud Apostoli: Sufficientia nostra ex Deo est, subdit: Quod minus Latine, sed expressius dici potest; Idoneitas nostra ex Deo est. Non minus id colligitur ex cap. 5. Collationis 1. & ex cap. 11. Collat. 9. & ex cap. 16. Collationis 14. atque ex sexcentis alijs locis. Neque vero Gallis hominibus scribens, Græco idiomate vti debuit. Extant quidem in Vaticana bibliotheca Collationes aliquot, & octo



& octo postremi libri Institutionum in Græcam linguam conuersi, sed ab homine parum Latine docto, & in sacris litteris negligenter versato. Nam, vt vnum e multis locum proferam, quod Collat. 2. cap. 5. est scriptum de Herone: Quem quinquaginta annis in hac eremo commoratum & ille qui per incuriam in Acheremo legisset, & nomen esse loci proprium existimasset, sic vertit: τοῦτον γὰρ μεμνήμεθα πεντήκοντα ἔτη ἐν ἀχερήμῳ διαξήναντα, &c. Et paulo post pro: Cunctos in hac eremo constitutos, πάντας τοὺς ἐν ἀχερήμῳ πατέρας, transfert, hoc est, cunctos in Acheremo. Testimonia vero sacræ scripturæ verbis multo diuersis ab ijs, quæ in Biblijs Græcis leguntur profert. Sed & ea quæ dixi, in compendium potius redacta quàm integre conuersa sunt; quod ab Eucherio Lugdunensi episcopo factum Gennadius in Catalogo script. auctor est: Cassiani, inquit, quædam opuscula lato tensa eloquio, angusto reuoluens verbi tramite, in vno coegit volumine. Contra vero Victorem Africanum episcopum Cassiani scriptis quædam addidisse Cassiodorus tradit lib. 1. institu. diuin. lection. his verbis: Cassiani dicta Victor Martyritanus episcopus Afer ita Domino iuuante purgauit, & quæ minus erant addidit, vt ei rerum istarum palma merito conferatur. Et mirum quidem videri potest nullum extare nunc ab Eucherio aut Victore expurgatum librum, cum ipsius Cassiani exemplaribus

Universidad de Deusto
Biblioteca

plaribus bibliothecæ omnes refertæ sint. Certè Vaticana octo nobis antiquissima exhibuit, & ex his quædam emendatissime scripta, ex quorum collatione innumerabilia loca sunt in hac editione restituta: sed ea adnotare non fuit consilium, in immensum enim volumen excresceret, satis sit hoc loco monuisse, lectionem vetustorum codicum tanta a nobis fuisse religione conseruatam, vt neque eorum varietatem, si quando inciderat, neglexerimus. Præter hæc Græcas voces, quibus hic auctor libenter vtitur, & Latinas quasdam, rudioribus consulentes, alphabeti ordine dispositas latius explanauimus, adductis eorum locis ex quorum fontibus hausisse Cassianum existimauimus. Testimonia sacræ scripturæ omnia diligenter conquisita in margine notauimus; & quæ erant ex LXX. interpretum editione, aut a nostra vulgata aliquanto diuersa, ne forte vitiosa crederentur, in indicis formam digesta seorsim impressimus, quibus & Græca vnde sunt transcripta coniunximus ex antiquissimo Vaticanæ bibliothecæ libro & alijs venerandæ vetustatis exemplaribus. Adiecimus & secundum indicem, loca in his libris obiter explicata continentem. Porro, id quod erat maxime necessarium, aduersus quasdam minus tutas huius auctoris sententias quod antidotum sit exhibitum, superiore epistola diximus. Scripsit quidem Cassianus hortatu Leonis I. Pont. Max. luculentos libros de incarnatione

nationе Domini contra Nestorium; sed eos, quòd nullum extaret in Vaticana bibliotheca manuscriptum exemplar ad cuius fidem emendari possent, & ab instituto nostro quo hominem vere religiosum informare studuimus, multum distarent, omisimus. Addidimus vero regulam S. Pachomij, qua monachi Tabennensiotæ, quorum frequenter Cassianus meminit, vtebantur, a S. Hieronymo in Latinam linguam translatam. Restat benigne lector, vt hunc nostrum laborem, qui tui tantum iuuandi causa susceptus est, grato animo accipias. Vale.

DOCTO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

# DOCTORVM QVORVNDAM virorum de Ioanne Cassiano testimonia.

*Prosper Aquitanicus in Chronico.*

IOannes monachus cognomento Cassianus Massiliæ insignis & facundus scriptor habetur.

*Idem in opusculo contra collatorem.*

Vnius potissimum definitiones, quem non dubium est omnibus alijs in sanctarum scripturarum studio præstare, referemus.

*Et paucis interiectis.*

In libro, cuius prænotatio est, De protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi vsu inter eos, quibus cum degit, excellit, Abbatem quendam introducit de gratia Dei & libero arbitrio disserentem.

*Gennadius in Catalogo Illustrium virorum.*

Cassianus natione Scytha, Constantinopoli a Ioanne magno episcopo diaconus ordinatus, apud Massiliam presbyter, condidit duo, id est, virorum & mulierum monasteria; quæ vsque hodie extant. Scripsit experiētia magistrante plano & librato sermone, & (vt apertius dicam) sensu verba inueniens, & actione linguam mouens, res omnium monachorum professioni necessarias; id est, de habitu monachi, de canonico orationū atque psalmorum modo, qui in monasterijs Ægypti die noctuq. tenetur, libros tres; Institutionum librum vnum: De origine & qualitate ac remedijs octo principalium vitiorum, libros octo; singulos scilicet de singulis vitijs libros expediens. Digessit etiam Collationes cum Patribus Ægypti habitas: & ad extremum rogatus a Leone archidiacono, postea vrbis Romæ Episcopo, scripsit aduersus Nestorium de Incarnatione Domini libros septem: & in his scribendi apud Massiliam, & viuendi finem fecit, Theodosio & Valentiniano regnantibus.

*S. Benedictus in Regula, cap. 42.*

Monachi omni tempore, siue ieiunij, siue prandij fuerit, mox vt surrexerint a cœna sedeant omnes in vnum, & legat vnus Collationes, vel Vitas Patrum, aut certe aliquid quod ædificet audientes.

*Et paulo post.*

Si autem ieiunij dies fuerint, dicta Vespera paruo interuallo mox accedant ad lectionem Collationum, vt diximus, & lectis quattuor aut quinque folijs, &c.

*Et cap. 73.*

Ad perfectionem conuersationis qui festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum; quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ auctoritatis veteris ac noui testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum catholicorum Patrū hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad creatorē nostrum? Necnon & Collationes Patrum, & Instituta, & Vitæ illorum, & Regula S. Patris nostri Basilij, quid aliud sunt nisi bene viuentiū & obedientium monachorum exempla, & instrumēta virtutum?

*Cassiodorus ad fratres monasterij sui.*

Cassianum presbyterum, qui scripsit de Institutione fidelium monachorum, sedulo legite, frequenter audite. Qui inter ipsa sancti propositi initia, octo principalia vitia dicit esse fugienda. Hic noxios motus animarū ita competenter insinuat, vt excessus suos hominem prius videre faciat, & vitare compellat; quos antea confusione caliginis ignorabat.

*Idem in expositione Psalmi LXIX.*

Sed hunc locum facundissimus Cassianus in decima Collatione, plurima de eius vtilitate disserens, tanto honore concelebrat, vt quidquid monachi assumpserint, sine huius versiculi trina iteratione non inchoarent.

*S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus part. 2. histor. tit. 10. cap. 10. §. 2.*

Claruit etiam tempore Honorij, secundum Vincent. Specul. hist. lib. 20. vir illustris, prudens & facundus Ioannes Eremita, qui & Cassianus. Hic multa scripsit, inter quæ etiam vitas Patrum in Ægypto compertas, doctrinasq. & regulas datis ad plurimos libris exposuit. De eius libris sic scribit Vincentius vbi supra: Certe huius opuscula multam ædificationem continent animarum, & luculento sermone nitescunt, nec inter multa antiquorum opuscula quidquam

ad

ad spiritales profectus, atque spiritalis perfectionis apicem tendenti ita vtile me arbitror legisse. Vnde & B. Pater Dominicus, vt in eius vita legitur, librum illum, qui Collationes Patrum inscribitur, studiose legens ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit. Agit siquidem liber ille de cordis puritate, de vitijs, & omnium perfectione virtutum &c.

De S. Thoma Aquinate apud Leandrum scribitur, quòd pro consuetudine habuerit in singulos dies acta Patrum audire. Interrogatus vero quid subesset causæ: se animũ suum & confirmare, & inquirendę veritati reddere aptiorem respondit, secutus Patris sui Dominici vestigia, quem acta Patrum vehementer oblectabant, vt eis legendis summam fuerit adeptus perfectionem.

*Ioannes Trithemius in Catalogo Illustrium virorum.*

Ioannes Cassianus natione Scytha, beati Ioannis Chrysostomi Constantinopolitani episcopi quondam auditor atque discipulus, & ab eo diaconus ordinatus, post aliquot annos ab eodẽ nescio propter quam causam expulsus, apud Massiliam presbyter cõsecratus, duo monasteria, virorũ scilicet & mulierum condidit: in quibus regularis disciplinæ feruor magnus pluribus annis permansit. Scripsit experientia magistra plura opuscula: in quibus etiam apud Interpretem venustas eloquij conspicitur. e quorum numero feruntur.

De Incarnatione Domini aduersus Nestorium hæreticum libri septem; quos scripsit rogatus à Leone archidiacono, postea Romanæ vrbis Episcopo.

De Institutis Monachorum, libri quattuor.

De octo capitalibus vitijs, libri octo.

Collationum SS. Patrum, vigintiquattuor.

In his Collationibus SS. Patrũ vtilis & necessaria monachorum institutio est: sed quia per B. Prosperum de arbitrij libertate in certis reprehenditur, opuscula eius inter apocrypha numerantur. Moritur tandem post multorũ editionem librorũ apud Massiliã, non sine opinione sanctitatis, Theodosio & Valentiniano regnantibus, Anno Domini 435.

# IOANNIS CASSIANI EREMITÆ

## IN XII. LIBROS DE INSTITVTIS COENOBIORVM,

Et octo principalium vitiorum remedijs.

### *Ad Castorem Episcopum præfatio.*

VETERIS instrumenti narrat historia, sapientissimum Salomonem, post acceptam diuinitus sapiẽtiam prudentiamq. multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam maris innumerabilem, ita vt Domini testimonio nullus ei similis retroactis temporibus extitisse, neq; post eum surrecturus esse dicatur; illud magnificum Domino templum extruere cupientem, alienigenæ regis auxilium popposcisse. Qui missso ad se Hiram filio mulieris viduæ, quidquid diuina sapientia suggerente præclarum in templo Domini vel in sacris vasis moliebatur, ministerio eius ac dispositione perfecit. Si ergo ille vniuersis regnis terræ sublimior principatus, & Israelitici generis nobilior excellentiorq. progenies, illaq. sapientia diuinitus inspirata, quæ cunctorum Orientalium & Ægyptiorum disciplinas atque instituta superabat, nequaquam pauperis & alienigenæ viri consilium dedignatur; recte etiam tu his eruditus exemplis, beatissime Papa Castor, verum ac rationabile Deo templum, non lapidibus insensibilibus, sed sanctorum virorum congregatione; nec temporale & corruptibile, sed æternum atque inexpugnabile ædificare disponens, vasa etiam pretiosissima Domino cupiens consecrare, non † multo auri metallo argentive conflata, quæ post rex Babylonius capta concubinarum suarum ac principum deputet voluptati; sed animabus sanctis, quæ innocentiæ,

3.Reg.4.

3.Reg.3.

3.Reg.7.

al.muto.

Dan.5.

centiæ, iustitiæ, & castitatis integritate fulgentes, regem Christum in semetipsis circumferant commorantem; egenum me, omniq. ex parte pauperrimum, ad communionem tanti operis dignaris adsciscere. In prouincia siquidem tua, cœnobiorum ex parte Orientalium, maximeq. Ægyptiorum volens instituta fundare, cum sis ipse cunctis virtutibus scientiaq. perfectus, & vniuersis ita refertus diuitijs spiritalibus, vt perfectionem quærentibus satis abundeque non modo tuus sermo, sed etiam sola vita sufficiat ad exemplum; me quoque elinguem, & pauperem sermone atque scientia, vt aliquid ad explementum tui desiderij de inopia sensus mei conferam, poscis: præcipisque vt instituta monasteriorum, quæ per Ægyptum ac Palęstinam custodiri conspeximus, ita vt ibi nobis a patribus tradita sunt, quamuis imperito digeram stylo: non leporem sermonis inquirens, in quo ipse apprime es eruditus, sed sanctorum simplicem vitam simplici sermone fratribus in nouello monasterio tuo cupiens explanari. Cui rei quantum me pius ardor desiderij tui prouocat obedire, tantum multiplices æstuum moles volentem obtemperare deterrent. Primum, quia nec vitæ meæ ita æquiparant merita, vt confidam me res tam arduas, tam obscuras, tam sanctas digne posse animo ac mente complecti. Secundo, quòd ea quæ a pueritia nostra inter eosdem constituti, atque ipsorum incitati quotidianis adhortationibus & exemplis, vel agere tentauimus, uel didicimus, uel uisu percepimus, minime iam possumus ad integrum retinere, tot annorum curriculis ab eorum consortio & imitatione conuersationis abstracti: præsertim cum harum rerum ratio nequaquam possit otiosa meditatione doctrinaq. uerborum, uel tradi, uel intelligi, uel memoria contineri: totum namque in sola experientia usuque consistit. Et quemadmodum tradi nisi ab experto non queunt, ita nec percipi quidem uel intelligi, nisi ab eo qui ea pari studio ac sudore apprehendere elaborauerit, possunt. quæ tamen si collatione iugi spiritualium uirorum frequenter discussa non fuerint & polita, cito † retrorsum mentis incuria dilabuntur. Tertio, quia idipsum quod utcumque non pro merito rei, sed pro presentis temporis statu possumus reminisci, imperitior sermo congrue nō prævalet explicare. Huc accedit, quòd super hac re, uiri & uita nobiles, & sermone

al. rursum



sermone scientiaque præclari, multa iam opuscula desudarunt; sanctum Basilium & Hieronymum dico, aliosq. nonnullos, quorum anterior sciscitantibus fratribus super diuersis institutis uel quæstionibus, non solum facundo, uerum etiam diuinarum scripturarum testimonijs copioso sermone respondit: alius uero non solum suo elucubratos ingenio edidit libros, uerum etiam Græca lingua digestos, in Latinum vertit eloquium. Post quorum tam exuberantia eloquentiæ flumina, possem non immerito præsumptionis notari, si aliquid stillicidij huius inferre tentassem, nisi me & fiducia tuæ sanctitatis animaret, & sponsio, quòd vel tibi hæ nugæ forent acceptæ, qualescumque sunt; vel eas congregationi fratrum in nouello tantum monasterio commorantium deputares: qui si quid a nobis minus forsan caute prolatum fuerit, & pie relegant, & cum venia indulgentiore sustentent, fidem potius sermonis mei, quàm venustatem eloquij requirentes. Quapropter beatissime Papa vnicum religionis & humilitatis exemplar, tuis precibus animatus, secundum vires ingenij mei, opus quod iniungis aggrediar; & ea quæ omnimodis intacta relicta sunt ab anterioribus nostris, vtpote qui audita potius quàm experta describere tentauerunt, velut rudi monasterio, & veritatem sitientibus intimabo. Nec plane mirabilium Dei signorumque narrationem studebo contexere, quæ quamuis multa per seniores nostros & incredibilia non solum audierimus, verum etiam sub obtutibus nostris perspexerimus impleta: tamen his omnibus prætermissis, quæ legentibus prærer admirationem nihil amplius ad institutionem vitæ perfectæ conferunt, instituta eorum tantummodo, ac monasteriorum regulas, maximeque principalium vitiorum, quæ octo ab eis designantur, origines & causas, curationesque, secundum traditiones eorum, quantum Domino adiuuante potuero, fideliter explicare contendam. Propositum siquidem mihi est, non de mirabilibus Dei, sed de correctione morum nostrorum, & consummatione vitæ perfectæ, secundum ea quæ a senioribus nostris accepimus, pauca disserere. In eo quoque præceptis tuis satisfacere studebo, vt si quid forte non secundum typum maiorum antiquissima constitutione fundatum, sed pro arbitrio vniuscuiusque instituentis monasterium, vel diminutum, vel additum in istis regio-

nibus comprobauero, secundum eam quam vidimus monasteriorum regulam, per Ægyptum vel Palæstinam antiquitus fundatorum, fideli sermone, vel adijciam vel recidam. Nequaquam credens rationabilius quidpiam vel perfectius constitutionem nouellam in occiduis Galliarum partibus reperire potuisse, quàm illa sunt instituta, in quibus ab exordio prędicationis apostolicę a sanctis ac spiritalibus patribus fundata monasteria ad nos vsq. perdurant. Illam sane moderationem opusculo huic inferre præsumam, vt ea quæ secundum Ægyptiorum regulam, seu pro asperitate aërum, seu pro difficultate ac diuersitate morum, impossibilia in his regionibus, uel dura uel ardua comprobauero, institutis monasteriorum, quæ per Palæstinam uel Mesopotamiam habentur, aliquatenus temperem. quia si rationabilis possibilium mensura seruetur, eadē obseruantię perfectio est etiam in impari facultate.

PRÆFATIONIS FINIS.

# IOANNIS CASSIANI EREMITÆ DE HABITV MONACHI *LIBER PRIMVS.*

## CAP. I.

DE Institutis ac regulis monasteriorum dicturi, vnde competentius, donante Deo, quàm ex ipso habitu monachorum sumemus exordium? Quorum interiorem cultum consequenter tunc poterimus exponere, cum exteriorem ornatum sub oculorum depinxerimus obtutibus.

### *De cingulo monachi. Cap. II.*

ITaque monachum, vt militem Christi, in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere. Hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in vetere testamento professionis huius fundauere primordia, Eliam scilicet, & Elisęum, diuinarum scripturarum auctoritate monstratur: ac deinceps principes auctoresq. testamenti noui, Ioannē videlicet, Petrū, & Paulum, ceterosq. eiusdē ordinis viros taliter incessisse cognoscimus. Quorū prior, qui in veteri testamento virginitatis iam flores, & castimoniæ continentiæq. prefigurabat exempla, cum fuisset a Domino missus ad increpādos nuntios Ochozię sacrilegi regis Israel, eo quòd ęgritudine præpeditus, super statu salutis suæ Beelzebub deum Accaron consuleret destinasset: & idcirco eis occurrēs idē propheta, descensum de lecto eius, in quo conscenderat, denegasset, decumbenti regi exposita vestis qualitate cōpertus est. Reuersos enim ad se nuntios, ac referentes sibi prophetæ sententiam, sciscitatus cuius esset figuræ & habitus vir qui occurrisset eis, & locutus fuisset huiuscemodi verba: Vir, inquiunt, pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Ex quo habitu confestim rex contemplatus hominem Dei, ait: Elias Thesbites est. zonę videlicet indicio, & hirsuti incultiq. corporis specie, virum

*4. Reg. 1.*

*Ibid.*

rum Dei indubitanter agnoscens: eo quòd istud ei inter tot Israelitici populi millia, cultus proprij ac velut quoddam impressum speciale signum perpetuo cohæreret. De Ioanne quoque, qui veteris nouiq. testamenti, velut quidã
*Luc. 16.* sacratissimus limes, finis initiumque processit, ita Euange-
*Matth. 3.* lista narrante cognoscimus: Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Petro etiam in custodiam carceris ab Herode detruso, & ad necem die postero producendo, angelo
*Act. 12.* assistente, præcipitur: Præcingere, & calcia te caligas tuas. Quod vt faceret, nequaquã monuisset angelus Dei, nisi vidisset eum ob refectionem nocturnæ quietis, paulisper defecta membra solita cinguli obstrictione laxasse. Paulum quoq. ascendentem Hierosolymam, & protinus a Iudęis in vincla mittendum, Agabus propheta reperiens Cæsareæ, sublato eius cingulo, manus suas ligans ac pedes, vt gestu corporis sui, passionis eius præfiguraret iniu-
*Act. 21.* rias, ait: Hæc dicit spiritus sanctus: Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt Iudęi in Hierusalem, & tradent in manus gentium. Quod vtique a propheta proferri minime potuisset, & dici: Virum cuius est zona hæc; nisi Paulus eam lumbis suis indesinenter solitus fuisset aptare.

## *De veste monachi.* Cap. III.

VEstis quoq. sit monachi, quę corpus contegat tantum, ac repellat nuditatis verecundiam, & frigoris retundat iniuriam, non quæ seminaria vanitatis aut elationis
*1. Tim. 6.* enutriat; ita eodẽ Apostolo prædicante: Habentes autem alimenta & operimenta, his contenti simus. Operimenta, inquiens, non vestimenta, vt in quibusdã Latinis exemplaribus non proprie continetur: id est, quæ corpus operiant tantum, non quę amictus gratia blandiantur: ita vilia, vt nulla coloris vel habitus nouitate inter ceteros huius propositi viros habeantur insignia: ita a studiosis accurationibus aliena, vt nullis rursum sint affectatis per incuriam sordibus decolora. postremo sic ab huius mundi separentur ornatu, vt cultui seruorũ Dei in omnibus communia perseuerent. Quidquid enim inter famulos Dei præsumitur ab vno vel paucis, nec catholice per omne corpus fraternitatis tenetur; aut superfluũ aut elatum est, & propter hoc noxium iudicandum est, magisq. speciem vanitatis,



vanitatis, quàm virtutis ostentans. Et idcirco hæc quæ neq. a veteribus sanctis qui huius professionis fundamenta iecerunt, neq. a patribus nostri temporis, qui eorum per successiones instituta nunc vsque custodiunt, tradita videmus exempla, vt superflua & inutilia nos quoq. resecare conueniet. Quamobrem cilicinam vestem, velut circumspectam cunctis atq. notabilem, & quæ ex hoc ipso non solum nulla spiritui possit emolumenta conferre, sed etiam elationis concipere vanitatem; quæq. ad necessarij operis exercitium in quo monachum semper impigrum expeditumq. oportet incedere, inhabilis atq. inepta sit, omnimodis refutarunt. Quòd si quosdam hoc amictu circumdatos audimus probabiles extitisse; non ex eo nobis monasteriorum est regula sancienda, vel antiqua sanctorum patrum sunt perturbanda decreta. quod pauci præsumentes aliarum virtutum priuilegio, ne in his quidem quæ non secundum catholicam regulam ab eis vsurpata sunt, reprehendi debere creduntur. Generali namq. omnium constitutioni, paucorum non debet præponi nec præiudicare sententia. Illis enim debemus institutis ac regulis indubitatam fidem, & indiscussam obedientiam per omnia commodare, non quas paucorum voluntas intulit, sed quas vetustas tantorum temporum, & innumerositas sanctorum patrum concordi definitione in posterũ propagauit. Nec hoc sane præiudicare nobis debet ad quotidianę conuersationis exemplum, quòd vel Ioram sa-
*4. Reg. 6.* crilegus rex Israel careruis hostium circumseptus, scissa veste cilicium habuisse perhibetur intrinsecus: uel quòd Niniuitæ ad mitigandam Dei sententiam quæ in eos illa-
*Ionæ. 3.* ta fuerat per prophetam, cilicij asperitate uelati sunt: cum & ille ita intrinsecus latenter indutus eo fuisse monstretur, ut nisi scisso desuper indumento, a nemine prorsus po-
*al. indumento.* tuisset intelligi: & isti eo tempore operimentum cilicij ostentarent, quo cunctis super imminente urbis euersione lugentibus, codemq. amictu circumdatis, nullus posset a quoquam ostentationis notari. Quia nisi insolens sit diuersitas, non offendit æqualitas.

## *De cucullis Ægyptiorum.* Cap. IV.

SVnt præterea quædam in ipso Ægyptiorum habitu, non tantum ad curam corporis, quantum ad morum

Universidad de Deusto
Biblioteca



formulam congruentia, quo simplicitatis & innocentiæ obseruantia, etiam in ipsa vestitus qualitate teneatur. Cucullis namque perparuis vsque ad ceruicis humerorumq. demissis confinia, quibus tantũ capita conregant, indesinenter diebus vtuntur ac noctibus: scilicet vt innocentiam & simplicitatem paruulorum iugiter custodire, etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur: qui reuersi ad
*Matt. 18.* infantiam Christi, cunctis horis cum affectu ac virtute
*Psal. 130.* decantant. Domine nõ est exaltatum cor meum, neq. elati sunt oculi mei. neque ambulaui in magnis, neq. in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animã meam: sicut ablactatus est super matrẽ suam.

*De colobijs Ægyptiorum. Cap. V.*

COlobijs quoq. lineis induti, quę vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, vt amputatos habere eos actus & opera mundi huius suggerat abscisio manicarum: & ab omni conuersatione terrena mortificatos eos, velaminis linei doceat indumentum; audiantque per hoc Apostolum quotidie dicentem sibi:
*Coloss. 3.* Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Illud
*Ibid.* quoq. ipso habitu protestante. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Et iterum: Vi-
*Galat. 2.* uo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Mihi
*Galat. 6.* quidem mundus crucifixus est, & ego mundo.

*De rebrachiatorijs. Cap. VI.*

GEstant etiam resticulas duplices, laneo plexas subtegmine, quas Græci †analaboys, nos uero succinctoria, seu redimicula, uel proprie rebrachiatoria, possumus appellare. Quæ descendentia per summa ceruicis, &†a lateribus colli diuisa, utrarumq. alarum sinus ambiunt, atq. hinc inde succingunt; ut constringentia, latitudinem uestimenti ad corpus contrahant atq. coniungant: & ita constrictis brachijs, impigri ad omne opus expeditiq. reddantur, illud Apostoli præceptum studentes omni uirtute
*Act. 20.* complere: Quia non solum mihi, sed etiam his qui me-
*2. Thess. 3.* cum sunt, ministrauerunt manus istæ. Neque gratis panem ab aliquo manducauimus, sed in labore & fatigatione nocte ac die operantes, ne quem uestrum grauaremus.
*Ibid.* &: Si quis non uult operari, nec manducet.

*De ma-*

*ἀναβολέας Dionys. anabore. al. e*



*De mafortibus eorum. Cap. VII.*

POst hęc angusto pallio tam amictus humilitatem, quàm uilitatem pretij compendiumq. sectantes, colla pariter atq. humeros tegunt: quod mafortes tam nostro quam ipsorum nuncupatur eloquio. & ita planeticarum atq. birrorum pretia simul ambitionemq. declinant.

*De melote & pelle caprina. Cap. VIII.*

VLtimus est habitus eorum pellis caprina, quę melotes, uel pera appellatur, & baculus: quæ gestant ad imitationem eorum, qui professionis huius præfigurauere lineas iam in ueteri testamento. De quibus Apostolus: Circumierunt, inquit, in melotis, & in pellibus capri- *Hebr. 11.*
nis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ. Qui tamen habitus pellis caprinę, significat mortificata omni petulantia carnalium passionum, debere eos in summa uirtutum grauitate consistere: nec quidquam petulcum, uel calidum iuuentutis ac mobilitatis antiquæ, in eorum corpore residere.

*De baculo. Cap. IX.*

NAm & baculum gestasse eosdem uiros, etiam Elisęus, qui unus ex ipsis est, docet, cum dicit ad Giezi puerum suum, mittens eum ad suscitandum filium mulieris: *4. Reg. 4.*
Tolle baculum meum, & currens pone eum super faciem pueri, ut uiuat. Quem utique non dedisset ei propheta gestãdum, nisi eum manu sua solitus esset iugiter circumferre. Cuius gestatio spiritaliter monet, numquam debere eos inter tot oblatrantes uitiorum canes, & inuisibiles nequitiarum spiritalium bestias, inermes incedere; de quibus beatus Dauid liberari postulans, dicit: Ne tradas *Psal. 73.*
Domine bestijs animam confitentem tibi; sed irruentes eas retundere crucis signaculo, ac longius propulsare, atque aduersum se sæuientes, iugi memoria dominicæ passionis, & imitatione illius mortificationis extinguere.

*De calciamentis eorum. Cap. X.*

CAlciamenta vero velut interdicta euangelico præce- *Matth. &*
pto recusantes, cum infirmitas corporis, vel matutinus hiemis rigor, seu meridiani æstus feruor exegerit, tan- *Luc. 10.*
tummodo

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Act. 12.* tummodo caligis suos muniunt pedes: hoc interpretan-
*Marc. 6.* tes vsum earum vel dominica permissione signari, vt si in
hoc mundo constituti, cura & solicitudine carnis huius
omnimodis exuti esse non possumus, nec ab ea penitus
prævalemus absolui; saltem occupatione leui & implica-
tione tenui, necessitatem corporis explicemus: ne vel ani-
mæ nostrę pedes (qui expediti ad spiritalem cursum, &
*Ephes. 6.* prædicandam Euangelij pacem semper debent esse parati;
*Cant. 1.* quibus post odorem vnguentorum Christi currimus; &
*Psal. 61.* de quibus Dauid: Cucurri, inquit, in siti. & Hieremias:
*Hier. 17.* Ego autem non laboraui te sequens) morticinis huius sæ-
*sec. LXX.* culi curis patiamur inuolui, de his scilicet cogitantes
quæ non ad supplendam necessitatem naturæ, sed ad su-
perfluam noxiamq. pertinent voluptatem. Quod ita im-
*Rom. 13.* plebimus, si secundum Apostolum, carnis curam non fe-
cerimus in desiderijs. Quibus tamen caligis, quamquam
*Act. 12.* licito vtantur, vtpote Domini mandato concessis; nequa-
*Marc. 6.* quam tamen pedibus eas inhærere permittunt, cum acce-
dunt ad celebranda seu percipienda sacrosancta mysteria:
illud æstimantes etiã secundũ literã custodiri debere, quod
*Exod. 3.* dicitur ad Moysen, vel ad Iesum filium Naue: Solue corri-
*Iosue 5.* gia calciamẽti tui: locus enim in quo stas, terra sancta est.

*De temperamento obseruantiæ, quæ secundum aërum qualitatem, vel vsum prouinciæ sit tenenda. Cap. XI.*

HÆc dicta sint, ne quid prætermisisse de Ægyptiorum habitu videamur. Cetera a nobis tenenda sunt illa tantummodo, quæ vel locorum situs, vel vsus prouincię admittit. Nam neque caligis nos, neque colobijs, seu vna tunica esse contentos hiemis permittit asperitas; & paruissimi cuculli velamen, vel melotis gestatio, derisum potius quàm ædificationem vllam videntibus comparabit. Quapropter illa tantum quæ superius commemorauimus, quæq. sunt & humilitati professionis nostræ, & qualitati aërum congruentia, a nobis quoque affectanda censemus, vt omnis summa nostri vestitus non in nouitate habitus, qui possit offendiculum hominibus sæculi huius inferre, sed honesta in vilitate consistat.

*De cingulo spiritali, & sacramento ipsius. Cap. XII.*

HIs itaque vestimentis Christi miles indutus, nouerit prius se ob id cinguli constrictione munitum, vt ad cunctos



cunctos vsus & opera monasterij non solum mente promptus, sed etiam ipso habitu semper expeditus incedat. Tãto namque feruentior circa spiritalem profectum, ac diuinarum rerum scientiam, & cordis puritatem probabitur, quanto fuerit erga obedientiæ studium operisq. deuotior. Secundo cognoscat etiam in ipso habitu cinguli, inesse nõ paruum quod a se expetitur sacramẽtum. Accinctio enim lumborũ, & ambitus pellis emortuæ significat eum mortificationem circumferre membrorum, in quibus libidinis atque luxuriæ seminaria continentur, euangelicum illud mandatum quo dicitur: Sint lumbi vestri præcincti; *Luc. 12.*
apostolica interpretatione ingeri sibi semper intelligens: Mortificate scilicet membra vestra quę sunt super terram, *Coloss. 3.*
fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscẽtiam malam. Ideoq. illos tãtummodo legimus in scripturis sanctis cingulo fuisse præcinctos, in quibus seminaria coitus inueniuntur extincta; quique illud beati Dauid eloquium opere atque virtute decantant: Quia factus sum sicut vter *Psal. 118.*
in pruina; eo quòd erasa medullitus carne vitiorũ, emortuam exterioris hominis cutem, spiritus virtute distendãt. Et idcirco: In pruina, significanter adiecit, quòd scilicet nequaquam fuerint sola cordis mortificatione contenti, verum etiam exterioris hominis motus; & ipsius naturæ incentiua, continentiæ pruina extrinsecus accedente, habuerint congelata: nullum iam, dumtaxat secundũ Apostolum, regnum peccati in suo mortali corpore sustinen- *Rom. 6.*
tes; nec gestantes carnem spiritui repugnantem. *Gal. 5.*

LIBRI I. FINIS.

IOAN-

Universidad de Deusto
Biblioteca

# IOANNIS CASSIANI EREMITAE DE CANONICO NOCTVRNARVM ORATIONVM, ET PSALMORVM MODO.

## *LIBER SECVNDVS.*

### CAP. I.

DVplici igitur hoc, quo diximus, cingulo Christi miles accinctus; interim qui modus canonicarum orationum, psalmorumq. sit in partibus Orientis a sanctis patribus antiquitus statutus, agnoscat. De qualitate vero earum, vel quem-
*1.Thess.5.* admodum orare, secundum Apostoli sententiam, sine intermissione possimus, suis in locis cum seniorum collationes cœperimus exponere, quantum Dominus dederit, proferemus.

*De diuersitate numeri qui ad decantandos psalmos per vniuersas prouincias sit statutus. Cap. II.*

MVltos namque comperimus per alias regiones pro captu mentis suæ, habentes quidem, vt ait Apostolus, zelum Dei, sed non secundum scientiam, super hac re-
*Rom. 10.* diuersos typos ac regulas sibimet constituisse. Quidam enim vicenos, seu tricenos psalmos, & hos ipsos antiphonarum protelatos melodijs & adiunctione quarūdam modulationum debere dici singulis noctibus censuerunt. alij hunc modum etiam excedere tentauerunt. nonnulli decem & octo: atq. in hunc modum diuersis in locis diuersum canonem agnouimus institutum, totq. propemodum typos ac regulas vidimus vsurpatas, quot etiam monasteria cellasq. conspeximus. Sunt quibus in ipsis quoque diurnis orationum officijs, ideſt tertia, sexta, nonaq. id visum est, vt secundum horarum modum in quibus hęc Domino redduntur obsequia, psalmorum etiam & orationum putarent



putarent numerum coæquandum, nonnullis placuit senarium numerum singulis diei conuentibus deputari. Quapropter necessarium reor antiquissimam patrum proferre constitutionem, quæ nunc vsque per totam Ægyptum a Dei famulis custoditur, quò nouelli monasterij in Christo rudis infantia, antiquissimorum potius patrum vetustissimis institutionibus imbuatur.

*De vniformis regulæ per totam Ægyptum custodia, & de electione eorum, qui fratribus præponuntur. Cap. III.*

ITaque per vniuersam Ægyptum & Thebaidem, vbi monasteria non pro vniuscuiusque renuntiantis instituuntur arbitrio, sed per successiones ac traditiones maiorum, vsque in hodiernum diem vel permanent, vel permansura fundantur; legitimum orationum modum in vespertinis cōuentibus, seu nocturnis vigilijs vidimus retentari. Non enim quisquam conuenticulo fratrum, sed ne sibi quidem ipsi præesse conceditur, priusquam non solum vniuersis facultatibus suis reddatur externus, sed ne sui quidem ipsius esse se dominum, vel potestatem habere cognoscat. Ita namq. renuntiantem huic mundo, quibuslibet facultatibus ac diuitijs præditum, necesse est cœnobij commorationē expetere, vt in nullo sibi ex his quæ reliquit, aut monasterio intulit, blandiatur: sic obedire cunctis, vt redeundum sibi, secundum sententiam Domini, ad *Matt.18.* infantiam pristinam nouerit; nihil sibi consideratione æui vel annorum numerositate præsumens, quam in sęculo inaniter consumptam se reputat perdidisse, sed pro rudimentorum merito, & tyrocinij nouitate, quam se gerere in Christi militia recognoscit, subdere se etiam iunioribus non moretur. Operis quoque ac sudoris assuetudinem ita subire cōpellitur, vt proprijs manibus, iuxta Apostoli præ- *2.Thes.3.* ceptum, quotidianum victum vel suis vsibus, vel aduenientium necessitatibus præparās, & fastis vitæ pręteritæ possit & delicias obliuisci, & humilitatem cordis contritione laboris acquirere. Ideoq. nullus congregationi fratrum præfuturus eligitur, priusquam idem qui præficiendus est, quid obtemperaturis oporteat imperari, obediendo didicerit; & quid iunioribus tradere debeat, institutis seniorū fuerit assecutus. Bene enim regere vel regi sapientis esse pronuntiāt, summumq. donum & gratiam sancti Spiritus esse

esse definiunt. Nam neque salutaria præcepta quempiam posse obtemperantibus præstituere, nisi qui prius vniuersis virtutum disciplinis fuerit instructus; nec obedire quēquam seniori posse, nisi eum qui consummatus timore Dei, & humilitatis fuerit virtute perfectus. Ideoque diuersitates typorum ac regularum per ceteras prouincias cernimus vsurpatas, quod plerumque seniorum institutionis expertes, monasterijs præesse audemus, & abbates nos antequam discipulos professi, quod libitum fuerit statuimus; promptiores nostrorum inuentorum custodiam exigere, quàm examinatam maiorum seruare doctrinam. Sed dum orationum modum qui potissimum debeat custodiri, voluimus explicare, institutis patrum auidius prouocati, narrationem quam suis reseruabamus locis,† propero excessu præuenimus. Nunc itaque ad propositum reuertamur.

*al. præpropero.*

## *Quòd per Ægyptum & Thebaidem duodenarius psalmorum numerus obseruetur. Cap. IV.*

IGitur per vniuersam Ægyptum & Thebaidē duodenarius psalmorum numerus, tam in vespertinis, quàm in nocturnis solemnitatibus custoditur, ita dumtaxat, vt post hunc numerū duæ lectiones, veteris scilicet ac noui testamenti singulæ subsequantur. Qui modus antiquitus cōstitutus, idcirco per tot sæcula penes cuncta illarum prouinciarum monasteria intemeratus nunc vsq. perdurat, quia non humana adinuentione statutus a senioribus affirmatur, sed cælitus angeli magisterio patribus fuisse delatus.

## *De duodenario psalmorum numero angeli traditione suscepto. Cap. V.*

NAm cum in primordijs fidei, pauci quidem, sed probatissimi, monachorum nomine censerentur, qui sicut a beatæ memorię Euangelista Marco, qui primus Alexandrinæ vrbi Pontifex præfuit, normam suscepere viuendi; non solum illa magnifica retinebāt, quæ primitus ecclesiam, vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse, (Multitudinis scilicet credentium erat cor vnum & anima vna; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erāt illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum

*Act. 4.*

*Ibid.*



sum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuiq; opus erat) verum etiam his multo sublimiora cumulauerant. Etenim secedētes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam, vt etiam his qui erant religionis externi, stupori esset tam ardua conuersationis professio. Eo enim feruore scripturarum diuinarum lectionibus, orationique, & operi manuum diebus ac noctibus incubabant, vt nec escarum quidem appetitus vel memoria, nisi alio, tertiove die corporis interpellaret inedia: cibumque ac potum nō tam desideratum, quàm necessarium sumerent, & ne hunc quidem ante solis occasum; vt tempus lucis cum spiritalium meditationum studijs, curam vero corporis cum nocte sociarent; aliaque his multo sublimiora perficerent. De quibus etiam is qui minus indigenarum relatione cognouerit, Ecclesiastica historia poterit edoceri. Ea igitur tempestate cum ecclesiæ illius primitiuæ perfectio, penes successores suos adhuc recenti memoria inuiolata duraret, feruensque paucorum fides necdum in multitudinem dispersa tepuisset; venerabiles patres peruigili cura posteris consulentes, quinam modus quotidiano cultui per vniuersum fraternitatis corpus decerni deberet, tractaturi conueniunt; vt hæreditatem pietatis ac pacis, etiam successoribus suis absolutam ab omni dissensionis lite transmitterent: verentes scilicet ne qua in quotidianis solemnitatibus inter viros eiusdem culturę dissonantia vel varietas exorta quandoque, in posterum erroris vel æmulationis seu schismatis noxium germen emitteret. Cumque pro suo vnusquisque feruore infirmitatis immemor alienæ, id statui debere censeret, quod contemplatione fidei ac roboris sui facillimum iudicabat, parum discutiens quod generaliter plenitudini fratrum possibile esset, in qua necesse est infirmorum quoque partem maximam reperiri, diuersoque modo enormem psalmorum numerum instituere pro animi sui virtute certarent, & alij quinquagenos, alij sexagenos psalmos, nonnulli vero ne hoc quidem numero contenti, excedi eum debere censerent, esseque inter eos pro religionis regula piæ contentionis sancta diuersitas, ita vt tempus solennitatis vespertinæ, sacratissimæ succederet quæstioni;

Universidad de Deusto
Biblioteca



stioni; quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, vnus in medium psalmos Domino cantaturus exurgit. Cumq. sedentibus cunctis (vt est moris nunc vsq; in Ægypti partibus) & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, vndecim psalmos orationum interiectione distinctos, contiguis versibus, parili pronunciatione cantasset, duodecimum sub † alleluiæ responsione consummans, ab vniuersorum oculis repente subtractus, quæstioni pariter & cęrimonijs finem imposuit.

al. alleluia.

*De consuetudine duodecim orationum. Cap. VI.*

EXin venerabilis patrum senatus, intelligens angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonē, non sine dispensatione Domini constitutum, decreuit hūc numerum tam in vespertinis quàm in nocturnis conuenticulis custodiri; quibus lectiones geminas, id est, vnam veteris, & aliam noui testamenti, tamquam a se eas traditas, & velut extraordinarias volentibus tantum, ac diuinarum scripturarum memoriā possidere assidua meditatione studentibus addiderunt. In die vero sabbati vel Dominico, vtrasq. de nouo recitant testamento: idest, vnam de Apostolo, vel Actibus Apostolorum & aliam de Euangelijs. Quod etiam totis quinquagesimæ diebus faciunt hi, quibus lectio curæ est, seu memoria scripturarum.

*De disciplina orandi. Cap. VII.*

HAs igitur orationes hoc modo incipiunt atque consummant, vt finito psalmo non statim ad incuruationem genuum corruant, quemadmodum facimus in hac regione nonnulli; qui nedum bene finito psalmo in orationem procumbere festinamus, ad celeritatem missæ quantocyus properantes. Cuius dum volumus excedere modum qui antiquitus a maioribus statutus est, supputantes residuorum psalmorum numerum, ad finem tendere perurgemus, de refectione potius lassi corporis cogitantes, quàm orationis vtilitatem & commoda requirentes. Apud illos vero non ita est, sed antequam flectant genua paulisper orant, & stantes, in supplicatione maiorem temporis partem expendunt. Itaque post hæc puncto breuissimo procidentes humi, velut adorantes tantum diuinam clementiam, summa velocitate consurgunt, ac rursus erecti



erecti, expansis manibus eodem modo, quo prius stantes orauerant, suis precibus intentius immorantur. Humi namq. diutius procumbentes, non solum cogitationibus aiunt, verum etiam somno grauius impugnari. Quod etiā nos verum esse vtinam non experimentis & quotidiana consuetudine nosceremus, qui sæpenumero hanc eandē incuruationem membrorum, non tam orationis quàm refectionis obtentu in terrā prostrati optamus diutius prolongari. Cum autē is, qui orationem collecturus est, e terra surrexerit, omnes pariter surgunt; ita vt nullus, nec antequam inclinetur ille, genu flectere, nec cum e terra surrexerit, remorari præsumat, ne non tam secutus fuisse illius conclusionem, qui precem colligit, quàm suam celebrasse credatur.

*De subsequente oratione post psalmum. Cap. VIII.*

ILlud etiam quod in hac prouincia vidimus, vt vno cantante, in clausula psalmi omnes adstantes cōcinant cū clamore: Gloria patri & filio & spiritui sancto; nusquam per omnem Orientem audiuimus. sed cum omnium silentio, ab eo, qui cantat, finito psalmo, orationem succedere: hac vero glorificatione Trinitatis tantūmodo solere † antiphona terminari.

al. antiphonam.

*De orationis, statu, super quo in collatione seniorum plenior reseruetur instructio. Cap. IX.*

ET quia nos ad orationum canonicarum modum cōsequenter institutorum ordo prouexit, quarum pleniorem tractatum licet in collationes seniorum reseruemus, ibidem plenius digesturi, cum de earum qualitate seu iugitate verbis eorum disserere cœperimus; necessarium tamen reor pro oportunitate loci ac narrationis ipsius, quoniam ita obtulit sese occasio, etiam in præsenti pauca perstringere; vt formantes interim exterioris hominis motus, & velut quædam nunc orationis fundamenta iacientes, minore post hæc labore cum cœperimus de statu interioris hominis disputare, eius quoque fastigia construamus. Illud ante omnia prouidentes, vt si nos ab illa narratione, quam cupimus oportune Deo volente digerere, præueniens vitæ finis excluserit, vel initia vobis rei præsertim tam necessariæ, hoc opere relinquamus, quibus

Collat. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca



pro ardore desiderij totum tardum est: vt dum nobis huius commorationis tribuuntur inducię, saltem quasdam tantisper orationum vobis lineas præsignemus, quibus hi vel maxime, qui in cœnobijs commorantur, valeant aliquatenus informari. Simul etiam prospicientes his, qui forsitan huic tantummodo occursuri sunt libro, & ad illum peruenire nō poterūt, vt instructione huius, erga orationis qualitatem vel ex parte reperiātur imbuti. vt quemadmodum sunt de habitu & amictu exterioris hominis instituti, ita etiam qualiter eum ad offerenda spiritalia sacrificia debeant exhibere, non nesciant. Siquidem hi libelli, quos in præsenti cudere, Domino adiuuante, disponimus, ad exterioris hominis obseruantiam, & institutionem cœnobiorum competentius aptabuntur: illi vero ad disciplinam interioris, ac perfectionem cordis, & anachoretarum vitam atque doctrinam, potius pertinebunt.

## *Cum quanto silentio & breuitate orationes apud Ægyptios colligantur.* Cap. X.

CVm igitur prædictas solemnitates, quas illi synaxes vocant, celebraturi conueniunt, tantū a cunctis silentium præbetur, vt cum in vnū tam † innumerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum qui consurgens psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur. ac præcipue cum consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis & hiātibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria etiā adstantes impeditura promūtur; nulla vox, absq. sacerdotis precem concludētis auditur. nisi forte † hęc quę per excessum mētis claustra oris effugerit, quæq. insensibiliter cordi subrepserit, immoderato scilicet, atq. intolerabili spiritus feruore succēsa: dum ea, quę ignita mens in semetipsa non prævalet continere, per ineffabilem quendā gemitum, ex intimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. Illum vero, qui constitutus in tēpore mentis cum clamore supplicat, aut aliquid horum quæ prædiximus, a faucibus suis emittit, ac præcipue oscitationibus præuenitur, dupliciter peccare pronunciant. Primo, quòd orationis suæ reus sit, quòd eam videlicet negligenter offerat Deo. Secundo, quòd indisciplinato strepitu, alterius quoq. qui forsitan ardentius

*al. numerosa.*

*i.e. quæ, idē infra 236.*



dentius orare potuit, intercipit sensum. Ideoq. præcipiunt eam celeri fine concludi, ne forte immorantibus nobis in ea, redundātia quædam sputi seu phlegmatis interrumpat nostræ orationis excessum. Et idcirco dum adhuc feruet, velut e faucibus inimici velociter rapienda est. Qui proculdubio cum sit nobis semper infestus, tunc maxime adsistit infestior, cum contra se offerre nos preces Domino velle peruiderit, cogitationibus seu diuersis humoribus excitatis, abducere mentem nostram a supplicationis intentione festinans, & per hoc eam tepefacere a cœpto feruore contendens. Quamobrem vtilius censent breues quidem orationes, sed creberrimas fieri, illud quidem vt frequentius Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere possimus: hoc vero vt insidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipue cum oramus insistit, succincta breuitate vitemus.

## *Qua disciplina apud Ægyptios psalmi dicantur.* Cap. XI.

ET idcirco ne psalmos quidem ipsos, quos in cōgregatione decantant, continuata student pronunciatione concludere: sed eos pro numero versuum duabus vel tribus interciſionibus cum orationum interiectione diuisos, distinctim particulatimq. consummant. Non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentia delectantur; illud tota virtute sectantes: Psallam spiritu, psallam & mente. Ideoque vtilius habent decem versus cum rationabili assignatione cantari, quàm totum psalmum cum confusione mentis effundi; quæ nonnumquam pronuntiantis festinatione generatur, dum residuorum psalmorum qui decantandi sunt, modum numerumq. considerans, non distinctionem sensuum audiētibus studet pandere, sed ad finem synaxeos properat peruenire. Deniq. si quispiam iuniorum vel pro feruore spiritus, vel pro eo, quod necdum institutus est, cœperit modū decantationis excedere; psallentis progressio senioris interciditur plausu; quem dans manu sua in sedili quo sedet, cunctos facit ad orationem consurgere: illud omnibus modis prouidens, ne quod sedentibus tædium generetur prolixitate psalmorum, qua is qui decantat, non modo per seipsum intelligentiæ fructum amittat; sed etiam per illos incidat detrimentum, quos fastidium synaxeos nimietate sua facit incurrere. Illud quoque apud

*1.Cor.14.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



al. alleluia. al. alleluia.

eos omni obseruantia custoditur, vt in responsione † alleluiæ nullus dicatur psalmus, nisi is qui in titulo suo † alleluiæ inscriptione notatur. Prædictum vero duodenarium psalmorum numerũ ita diuidunt, vt si duo fuerint fratres, senos psallant; si tres, quaternos; si quatuor, ternos. Quo numero numquam minus in congregatione decantant: ac proinde quantalibet multitudo cõuenerit, numquam amplius psallant in synaxi, quàm quatuor fratres.

*Cur vno psallente, cæteri in synaxi sedeant: vel quali post hoc studio per cellulas suas vsq. ad lucem vigilias extendant. Cap. XII.*

HVnc sane canonicum, quem prædiximus, duodenarium psalmorum numerum, tali corporis quiete releuant, vt has eadem cõgregationum solemnitates ex more celebrantes, absq. eo, qui dicturus in medium psalmos surrexerit, cuncti sedilibus humillimis insidentes, ab ore psallentis omni cordis intentione dependeant. Ita namque ieiunijs & operatione totius diei noctisque lassescunt, vt nisi huiusce modi refectione adiuuentur, ne hunc quidem numerum stantes implere valeant. Nullum etenim tempus ab operis exercitatione vacuum transire concedunt, quia non solum ea quæ diei splendor admittit, omni instantia manibus exercere contendunt, sed etiam illa operationum genera solicita mente perquirunt, quæ ne ipsius quidem noctis densissimæ tenebræ valeant impedire: credentes se tanto sublimiorem spiritalium contemplationum † puritatem mentis intuitu quæsituros, quanto deuotius fuerint erga operis studium ac laboris intenti. Et idcirco mediocrem canonicarum orationum numerum iudicant diuinitus moderatum, vt ardentioribus fide spatium quo se virtutis eorum infatigabilis cursus extenderet seruaretur, & nihilominus sessis ægrisque corporibus minime gigneretur de nimietate fastidium. Ideoque cum fuerint orationum canonicarum functiones ex more finitæ, vnusquisque ad suam recurrens cellulam, quam aut solus, aut cum alio tantum inhabitare permittitur, quem scilicet societas operationis, vel discipulatus & disciplinæ imbutio copulauit, vel certe quem similitudo virtutum comparem fecit, idem rursus orationum officium, velut peculiare sacrificium studiosius celebrant. nec vlterius quisquam eorum

al. statum quæsituros.



rum in requiem somni resoluitur, donec superueniente diei splendore, nocturno operi ac meditationi operatio diurna succedat.

*Quare post missam nocturnam dormire non oporteat. Cap. XIII.*

QVem laborem, præter illam rationem qua tota industria annittentes, sacrificium Deo de fructu manuum suarum offerre se credunt, duabus ex causis cum omni obseruatione custodiunt. Quod nos quoq. si perfectioni studemus, eadẽ diligentia conuenit obseruare. Prima, ne forte purificationem nostram nocturnis psalmis & orationibus acquisitam, inuidus inimicus liuens puritati nostrę, cui maxime insidiatur semper, & indesinenter infestus est, quadam somni illusione contaminet. Qui post illã satisfactionem quam pro negligentijs seu ignorationibus nostris obtulimus, & confessionis nostrę veniam profusis gemitibus imploratam, solicitus nos si tempus quietis inuenerit, maculare festinat, tunc præcipue fiduciam nostram deijcere atq. eneruare contendens, cum feruentius nos ad Deum tendere orationum nostratum puritate peruiderit: ita vt nonnumquam quos per totum noctis spatium sauciare non potuit sub illius horę breuissimo tempore dehonestare conetur. Secunda vero, quòd tametsi nulla talis verenda diaboli emergat illusio, intercedẽs etiam purus sopor inertiam monacho mox euigilaturo parturiat, segnemque. torporem inferens menti, per totum diei spatium vigorem eius obtundat, illamq. hebetet perspicaciam sensus, & pinguedinem cordis exhauriat, quę nos possit per totum diem aduersus omnes insidias inimici cautiores robustioresq. seruare. Quamobrem canonicis vigilijs priuatę ab eis subiunguntur excubię, ac maiore illis obseruatione succedunt vt & illa purificatio, quæ psalmis & orationibus est acquisita, non pereat; & intentior solicitudo diligentius nos per diem custoditura, præparetur meditatione nocturna.

*Quemadmodum in cellulis suis opus manuum & orationes pariter exerceant. Cap. XIV.*

ET ideirco eas cum adiectione operis exequuntur, ne velut otiosis valeat somnus irrepere. Sicut enim nullum ferme ab eis otio tempus excipitur, ita nec meditatio-

ni quidem spiritali finis imponitur. Nam pariter exercentes corporis animæq. virtutes, exterioris hominis stipendia cum emolumentis interioris exæquant, lubricis motibus cordis & fluctuationi cogitationum instabili, operum pondera, velut quandam tenacem atque immobilem anchoram præfigentes, cui volubilitas ac peruagatio cordis innexa, intra cellæ claustra, velut in portu fidissimo valeat contineri: atque ita spiritali meditationi tantum & custodiæ cogitationum intenta, non modo ad consensum prauę cuiusq. suggestionis peruigilem mentem corruere non sinat, verum etiam ab omni superflua otiosaq. cogitatione custodiat: ita vt quid ex quo pendeat, haud facile possit a quoquam discerni; id est, vtrum propter meditationem spiritalem † incessabile manuum opus exerceant, an propter operis iugitatem tam pręclarum profectum spiritus scientiæq. lumen acquirant.

*al. incessabiliter.*

*Qua lege modestiæ post orationum missam vnusquisque ad suam cellulam redeat, & cui subdatur increpationi is, qui aliter fecerit. Cap. XV.*

FInitis itaq. psalmis, & quotidiana congregatione, sicut superius memorauimus, absoluta; nullus eorum vel ad modicum subsistere, aut sermocinari audet cum altero: sed ne quidem per totum diei spatiũ a cella sua progredi, aut deserere opus quod in ea solitus est exercere præsumit: nisi forte cum fuerint ad officium necessarij cuiusq. operis euocati. Quod ita explent foras egressi, vt nulla inter eos sermocinatio penitus conferatur. Sed sic vnusquisque opus iniunctum exequitur, vt psalmum vel scripturã quamlibet memoriter recensendo, non solum cõspirationi noxiæ, vel consilijs prauis, sed nec otiosis quidem colloquijs, vllã copiam vel tempus impartiat: oris pariter & cordis officio in meditatione spiritali iugiter occupato. Summa namq. obseruantia custoditur, ne quisquã cum alio, ac pręcipue † iuniores, vel ad punctũ tẽporis pariter substitisse, aut vspiam secessisse, vel manus suas inuicem tenuisse deprehendatur. Si qui vero contra huius regulę disciplinam reperti fuerint aliquid admisisse, vt contumaces ac pręuaricatores mãdatorũ, non leuis culpę rei pronuntiati, suspicione etiã coniurationis prauiq. consilij carere non poterunt. Quam culpã nisi in vnum cunctis fratribus congregatis publica dilue-

*al. iuniore.*

rit pœ-



nitentia, orationi fratrum nullus eorum interesse permittitur.

*Quod nulli orare cum illo, qui fuerit ab oratione suspensus, liceat. Cap. XVI.*

SAne si quis pro admisso quolibet delicto fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo prorsus orandi habet licentiam, antequam submissa in terram pœnitentia, reconciliatio eius, & admissi venia coram fratribus cunctis, publice fuerit ab abbate concessa. Ob hoc namq. tali obseruantia semetipsos ab orationis eius cõsortio segregant atq. secernunt, quòd credunt eum, qui ab oratione suspenditur, secundum Apostoli sententiam, tradi satanę, & si quis orationi eius, antequam recipiatur a seniore, incõsiderata pietate permotus, communicare præsumpserit, complicem se damnationis eius efficiat: tradens scilicet semetipsum voluntariè satanæ, cui ille pro sui reatus emendatione fuerat deputatus. in eo vel maxime grauius crimen incurrens, q̃ cum illo se vel confabulationis, vel orationis communione miscendo, maiorem illi generet insolentiæ fomitem, & contumaciam delinquentis in peius enutriat. Perniciosum namq. solatium tribuẽs, cor eius magis ac magis faciet indurari, nec humiliari eũ sinet, ob quod fuerat segregatus, & per hoc vel increpationem senioris nõn magni pendere, vel dissimulanter de satisfactione & venia cogitare.

*1. Cor. 5.*
*1. Tim. 1.*

*Quod is, qui ad orationem fratres exsuscitat, hora solita debeat eos commonere. Cap. XVII.*

IS autem cui religiosi conuentus commonitio, vel synaxeos cura committitur, non passim vt libitum est, nec pro vt nocte fuerit experrectus, aut opportunitas eũ somni proprij seu insomnij coarctat, fratres etiam ad quotidianas vigilias exsuscitare præsumit. Sed quamuis eum consuetudo diuturna hora solita euigilare compellat, tamen solicitè frequenterq. ex stellarum cursu pręstitutũ congregationis tempus explorans, ad orationum eos inuitat officiũ; ne in vtroq. inueniatur incautus, si vel oppressus somno statutam transgrediatur horam, vel eamdem dormiturus atque festinus ad somnum anticipet: & non tam officio spiritali vel quieti omnium deseruisse, quàm requiei suæ satisfeciſſe credatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quod a vespera sabbati vsque ad vesperam diei Dominicæ genua non flectantur. Cap. XVIII.*

HOc quoq. nosse debemus, a vespera sabbati, quæ lucescit in diem Dominicum, vsque in vesperã sequentem, apud Ægyptios genua non curuari: sed nec totis quidem quinquagesimæ diebus, nec custodiri in eis ieiuniorum regulam. Quarum rerum ratio suo loco in collationibus seniorum, cum Dominus iusserit, exponetur. Nunc propositum est nobis causas tantummodo breui narratione percurrere, ne castigatum modum volumen excedens, aut fastidio legentem oneret, aut labore.

*Collat. 21. cap. 20.*

LIBRI II. FINIS.

# IOANNIS CASSIANI EREMITÆ

## *LIBER TERTIVS.*

*De solemnitate horæ tertiæ, sextæ, vel nonæ, quæ in Syriæ partibus obseruatur. Cap. I.*

DE nocturno orationum & psalmorũ modo, quinam per Ægyptum habeatur, donante Deo, quãtum tenuitas ingenij nostri præualuit, arbitror expeditum. nunc de solemnitate tertiæ, sextæ, nonæq. secundum regulam monasteriorum Palæstinæ, vel Mesopotamiæ nobis est differendum; vt præfati sumus in prologo, perfectionem Ægyptiorum, & inimitabilem disciplinę rigorem, horum institutionibus moderantes.

*Quod apud Ægyptios sine horarum discretione, per totam diem cum operis adiectione, & orationibus iugiter insistatur & psalmis. Cap. II.*

APud illos etenim hæc officia, quæ Domino soluere per distinctiones horarum & tẽporis interualla cum admonitione compulsoris adigimur, per totum diei spatium iugiter cum operis adiectione spontanea celebrantur. Ita namq. ab eis incessanter operatio manuum priuatim per cellulas exercetur, vt psalmorum quoq. vel ceterarum scripturarum meditatio numquam penitus omittatur. Cui preces & orationes per singula momenta miscentes, in his officijs quæ nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumunt. Quamobrem exceptis vespertinis nocturnisq. congregationibus, nulla apud eos per diẽ publica solẽnitas, absq. die sabbati vel Dominica, celebratur; in quibus hora tertia sacræ communionis obtentu cõueniunt. Plus enim est id quod incessanter offertur, quàm quod temporis interuallo persoluitur: & gratius voluntarium munus, quàm functiones quę canonica compulsione redduntur. pro hoc Dauid quoq gloriosius aliquid exultante, cum dicit: Voluntarie sacrificabo tibi. &: Voluntaria oris mei beneplacita sint tibi Domine. *Psal. 53. Psal. 118.*



*Quod per omnem Oriẽtem solemnitas tertiæ, sextæ, vel nonæ, trinis psalmis & orationibus finiatur: et cur specialius istis horis hæc spiritalia sint officia deputata. Cap. III.*

ITaq. in Palæstinæ vel Mesopotamiæ monasterijs ac totius Orientis, supra dictarum horarũ solemnitates trinis psalmis quotidie finiuntur, vt & orationum assiduitas statutis temporibus Deo offeratur, & necessaria operationis officia, consummatis iusto moderamine spiritalibus obsequijs, nullatenus valeant impediri. His enim tribus temporibus etiam Danielem prophetã quotidie fenestris apertis in cœnaculo preces Domino fudisse cognoscimus. Nec immerito hæc specialius tempora religiosis sunt officijs deputata. In his siquidem promissionũ perfectio, & summa nostrę salutis est adimpleta. Hora namq. tertia repromissus olim per prophetas Spiritus sanctus super Apostolos in orationũ officio constitutos, descendisse primitus cõ probatur. Nam cum pro elocutione linguarum, quę ab eis infusione Spiritus sancti profluebat, gens incredula Iudęorum, obstupescens pariter & irridens diceret eos musto repletos; stans Petrus in medio eorum ait: Viri Israelitæ & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia; sed hoc est quod dictum *Dan. 6. Ioel. 2. Esai. 44. Act. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ioel. 2.* dictum est per prophetã Ioel: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnẽ carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ; & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt. Quę omnia hora tertia videmus impleta, Sanctique Spiritus vaticinatum per prophetas aduentum, eodem tempore super Apostolos commeasse. Hora autem sexta immaculata hostia Dominus noster atq. Saluator oblatus est patri, crucemq. pro totius mundi salute conscendens, humani generis peccata deleuit: & spolians principatus ac potestates traduxit palam. vniuersosq. nos obnoxios atq. constrictos insolubili chirographi debito liberauit, tollens id de medio, & crucis suæ affigens tropheo. Eadem quoq. Petro hora in excessu mẽtis vocatio gentium omniũ per submissionem vasis euangelici delati cælitus, & purificatio omnigenum animantium in eodem consistentium, delata ad eum voce diuinitus reuelatur, dicente ei: Surge Petre, occide, & manduca. Quod vas quattuor initijs de cęlo submissum, non aliud quàm Euangelium designare manifeste cognoscitur. Licet enim quadriformi Euangelistarum narratione distinctum, quattuor videatur habere principia; vnum tamen Euangelij corpus est: eiusdem scilicet Christi natiuitatẽ pariter ac deitatem, miracula quoque, passionemq. complectens. Pulchre autem nõ ait, linteum, sed, quasi linteũ. Linteum quippe mortificationis indicium est. Quoniam igitur mors dominicæ passionis non humanę naturę lege, sed proprię voluntatis subitur arbitrio, quasi linteum dicitur. Mortuus enim secundum carnem, non est secundum spiritũ mortuus: quia nec derelicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionẽ. Et rursus: Nemo (inquit) tollit a me animam meã, sed ego pono eam a meipso. Potestatẽ habeo ponere eam, & potestatem iterum habeo sumere eam. In hoc itaq. Euãgeliorum vase cęlitus destinato, id est a Spiritu sancto prescripto, omnes gentes quę quondã extra legis obseruãtiam positę, habebantur immundę, per credulitatem fidei confluẽtes, vt ab idolorum cultu salubriter immolentur, atq. ad salutarem escam proficiant, Petro, purificante voce dominica, deferuntur. Hora vero nona inferna penetrans, inextricabi-

*Luc. 23.*

*Coloss. 2.*

*Act. 10.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Act. 2.*

*Ioan. 10.*

*Matt. 27.*



les tartari tenebras coruscatione sui splendoris extinxit, portasq. eius æreas effringens, ac seras ferreas conterens, captiuitatem sanctorum, quę clausa tenebris immitis tenebatur inferni, salubriter captã transuexit secum ad cęlos: igneaq. rhomphęa summota, antiquum incolam paradiso pia confessione restituit. Eadem quoq. hora Cornelius centurio in precibus solita deuotione perstitens, cõmemorationem orationum & eleemosynarũ suarum ante Dominum factam, angelo sibi colloquente cognouit: palamq. ei hora nona vocationis gentium sacramenta panduntur, quę Petro in excessu mentis hora sexta fuerant reuelata. Alio quoq. loco de eodem tempore in Actibus Apostolorum ita narratur: Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Quibus liquido comprobatur, non immerito a sanctis & apostolicis viris has horas religiosis obsequijs consecratas, a nobis quoq. obseruari similiter oportere: qui nisi velut lege quadam soluere hęc pietatis officia saltem statutis temporibus adigamur, totum diei spatium obliuione, aut desidia vel occupationibus inuoluti, absque orationis interpellatione consumimus. De vespertinis autem sacrificijs quid dicendum est, quę iugiter offerri etiam in veteri testamento lege Mosaica sanciuntur? Holocausta enim matutina, & sacrificia vespertina cunctis diebus in templo, licet figuralibus hostijs, etiam ex eo probare possumus indesinenter oblata; quod a Dauid canitur: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum? Quo in loco de illo quoq. vero sacrificio vespertino sacratius intelligi potest, quod vespere a Domino Saluatore cœnantibus Apostolis traditur, cum initiaret Ecclesię sacrosancta mysteria: vel quod ipse die postero sacrificium vespertinũ, in fine scilicet sęculorum eleuatione manuum suarum pro salute totius mundi oblatus est patri. Quę extensio manuum eius in patibulo, satis proprie eleuatio nuncupatur. Omnes enim nos in inferno iacentes, eleuauit ad cęlos, secundum promissionis eius sententiam, dicentis: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. De matutina vero solemnitate etiam illud nos instruit, quod in ipsa quotidie decantari solet Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Et: In matutinis meditabor in te. Et: Prœueni in maturitate, & cla-

*Esai. 45.*

*Ephes. 4.*

*Gen. 3.*

*Act. 10.*

*Ibid.*

*Act. 3.*

*Psal. 140.*

*Matt. 26.*

*Ioan. 12.*

*Psal. 62.*

*Ibid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



& clamaui. Et rursum : Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. In his quoque horis etiam ille euangelicus paterfamilias operarios conduxit in vineam suã. Ita enim & ille primo mane conduxisse describitur : quod tempus designat matutinam nostram solemnitatem : deinde tertia, inde sexta, post hæc nona, ad extremum vndecima, in qua lucernaris hora signatur.

*Psal.118.*

*Matt.20.*

*Quod matutina solemnitas non antiqua traditione statuta sit, sed nostro tempore pro causa sit adinuenta. Cap. IV.*

SCiendum tamen hanc matutinã, quę nunc obseruatur, occiduis vel maxime regionibus canonicã functionẽ, nostro tempore nostroq. monasterio primitus institutam, vbi Dñs noster Iesus Christus natus ex virgine, humanæ infantiæ susceipere incremẽta dignatus, nostram quoq. adhuc in religione teneram & lactentem infantiã sua gratia confirmauit. Vsq. ad illud enim tempus hac solẽnitate matutina, quæ expletis nocturnis psalmis & orationibus, post modicum temporis interuallũ solet in Galliæ monasterijs celebrari, cum quotidianis vigilijs pariter cõsummata; reliquas horas refectioni corporum deputatas a maioribus nostris inuenimus. Verum cum hac abutentes indulgẽtia, negligentiores quiq. inducias somni longius protelarent : quippe quos vel cellas progredi, vel de suis stratis cõsurgere ante horam tertiã nulla conuentus vllius necessitas inuitaret, & cum operationis iactura tẽpore quoq. diei quo nõnullis oportebat officijs inhęrere, soporis nimietate torperent, in his præsertim diebus quibus a vespertinis horis excubias vsq. ad auroræ viciniã celebrantibus, nascebatur onerosior lassitudo; quorundam illic fratrum feruentiũ spiritu, quibus hoc negligẽtię genus haud leuiter displiceret, ad seniores querela delata, decretum est ab eis diutino tractatu & consultatione solicita, vt vsque ad solis ortum, quo iam sine offensione vel lectio parari, vel opus manuũ posset assumi, fessis corporibus refectione concessa : inuitati post hæc religionis huius obseruantia cuncti pariter e suis stratis consurgerẽt : ac tribus psalmis & orationibus celebratis, secũdum modũ, qui antiquitus in obseruatione tertiæ, sextæ, vel nonæ, trinæ cõfessionis exẽplo statutus est, & somno deinceps finem, & initium operationi æquali simul



mul moderamine facerent. Qui typus licet ex occasione videatur inuẽtus, & recenti memoria pro causa, quã diximus statutus appareat; tamen illum numerum, quem designat beatus Dauid, quamquam spiritalem quoque habeat intellectum, secundum literam manifestissime supplet. Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuę. Hac enim adiecta solemnitate, septies sine dubio spiritales hos conuentus in die faciẽtes, septies in ea laudes Domino dicere comprobamur. Denique cum hic idẽ typus de Oriente procedens, hucusq. fuerit vtilissime propagatus; in nonnullis tamen per Orientem antiquissimis monasterijs, quæ nequaquam vetustissimas regulas patrum violari patiuntur, nunc vsque minime videtur admissus.

*Psal.118.*

*Quod post matutinas orationes ad somnum reuerti non oporteat. Cap. V.*

CVius solemnitatis ratio cur statuta sit vel inuenta, in hac prouincia nõnulli ignorantes, expletis matutinalibus hymnis, iterum reuertuntur ad somnum, in illam causam nihilominus incidentes, ob quam compescendam hæc a senioribus nostris solemnitas est instituta. Illa namque hora eam consummare festinant, qua negligentioribus minusque solicitis rursum dormiendi reddatur occasio. Quod omnimodis fieri non oportet, (sicut in libello superiori, describentes Ægyptiorum synaxin, plenius exposuimus) ne purificationem nostram confessione supplici & antelucanis orationibus acquisitam, vel emergens quædam redundantia humorum naturalium polluat, vel illusio inimici corrumpat, vel certe intercedens etiam puri ac simplicis somni refectio interrumpat spiritus nostri feruorem; ac tepefactos somni torpore per totum diei spatium inertes deinceps ignauosque traducat : Quod Ægyptij ne incurrant, equidem cum soleant certis temporibus etiam ante cantum gallorum surgere, missa canonica celebrata, vsque ad lucem post hæc vigilias extendunt, vt eos superueniens lux matutina in hoc feruore spiritus reperiat constitutos, ac per totum diei tempus feruentiores solicitioresq. custodiat, præparatos eos suscipiens ad conflictum, & contra diurnam diaboli colluctationem, nocturnarum exercitio vigiliarum ac spiritali meditatione firmatos.

*Lib.2. c.13.*

Quod

*Quod nihil sit a senioribus immutatum de antiquo ordine psalmorum cum matutina statueretur solemnitas. Cap. VI.*

ILlud quoq. nosse debemus, nihil a senioribus nostris q eandem matutinã solemnitatẽ addi debere censuerunt, de antiqua psalmorum consuetudine esse immutatũ: sed eodem ordine missam quo prius in nocturnis conuentibus perpetuò celebratam. Etenim hymnos quos in hac regione ad matutinam † excepere solemnitatem, in fine nocturnarum vigiliarum, quas post gallorum cantum ante auroram finire solent, similiter hodieq. decantant: id est, centesimum quadragesimum octauum psalmum, cuius initium est: Laudate Dominum de cælis; & reliquos qui sequuntur. quinquagesimum vero psalmum, & sexagesimum secundum, & octogesimum nonum, huic nouellæ solemnitati nouimus deputatos. Deniq. per Italiã hodieq. consummatis matutinalibus hymnis, quinquagesimus psalmus in vniuersis ecclesijs canitur: quod non aliunde quàm ex inde tractum esse non dubito.

*al. excipere.*

*Quod ei, qui ad diurnam orationẽ antequam primus finiatur psalmus, non occurrerit, oratorium introire non liceat: in nocturnis autem vsque ad finem secundi psalmi veniabilis mora sit. Cap. VII.*

IS vero qui in tertia, sexta, vel nona priusquàm psalmus cœptus finiatur, non ad orationem occurrerit, vlterius oratorium introire non audet, nec semetipsum admiscere psallentibus: sed congregationis missam stans pro foribus præstolatur, donec egredientibus cunctis, submissa in terram pœnitentia, negligentiæ suæ vel tarditatis impetret veniam: sciens, nequaquam se posse desidiæ suæ noxam aliter expiare; sed ne in ea quidem quæ post tres horas erit secutura solemnitas, admittendum, nisi pro negligentia præsenti confestim vera humilitate subnixus, satisfacere festinauerit. In nocturnis vero conuenticulis, vsq. ad secundum psalmum præberetur † tardanti dilatio, ita dũ taxat, vt antequam finito eodem psalmo fratres in oratione procumbãt, semetipsum congregationi interserere atq. admiscere festinet; eidẽ proculdubio increpationi ac pœnitentiæ quam prædiximus, subijciendum, si vltra præstitutam dilationis horam, vel modicum tardet.

*al. tardandi.*

*Vigi-*



*Vigiliæ, quæ a vespera illucescente sabbato celebrantur, quem temporis modum teneant, vel quo ordine celebrentur. Cap. VIII.*

SAne vigilias quæ singulis hebdomadibus a vespera illucescente sabbato celebrantur, idcirco seniores hiemali tempore, quo noctes sunt longiores, vsq. ad quartũ gallorum cantum per monasteria moderantur; vt post excubias totius noctis, reliquis duabus ferme horis reficientes corpora sua, nequaquam per totum diei spatium somni torpore marcescant, breuis huius temporis requie pro totius noctis refectione contenti. Quod nos quoq. cũ omni obseruatione conuenit custodire, vt scilicet cõtenti somno qui nobis post vigiliarum missam vsq. ad lucis indulgetur aduentũ, id est vsq. ad matutinos psalmos, totum deinceps diem in opere ac necessarijs ducamus officijs, ne somnũ quem nocti subtraximus, resumere per diẽ vigiliarũ lassitudine & inanitate compulsi, non tam requiẽ corpori subtraxisse, quàm quietis tempus & refectionem nocturnam commutasse videamur. Nullatenus enim potest fragilis caro ita totius noctis quiete fraudari, vt per consequentẽ diem sine dormitatione mentis animiq. torpore inconcussam possit seruare vigiliã. Quæ impedietur ex hoc potius quàm iuuabitur, nisi post vigiliarum missam somni quantulumcumq. gustauerit. Et idcirco saltem vnius horæ sopor, quemadmodum diximus, ante lucis aduentum si fuerit impartitus, lucrabimur omnes vigiliarũ horas quas tota nocte in oratione consumpsimus, impartientes naturæ quod suum est, nec habentes necessitatem resumendi per diẽ quod nocti subtraximus. Totum enim carni huic proculdubio reddet, quisquis ei non rationabiliter partem subtrahere, sed totum tentauerit denegare, & vt verius dixerim, nõ superflua sed necessaria voluerit amputare. Propter quod maiore fœnore necesse est vigilias compensari, si fuerint vsq. ad lucem inconsiderata atq. irrationabili nimietate protractę. Ideoq. eas ttipertitis distinguuntur officijs; vt labor ac diuersitate diuisus, delectatione quadam defectionem corporis releuet. Nam cũ stantes † antiphona tria concinuerunt; humi post hęc vel sedibus humillimis insidentes, tres psalmos vno modulante respondent, qui tamen singuli a singulis fratribus vicissim succedentibus sibi prębentur, atq. his sub eadem quiete residentibus,

*al. antiphonaria concinuerint.*

ternas

Universidad de Deusto
Biblioteca



ternas adijciunt lectiones. Itaq. fit, vt corporeum minuentes laborē, vigilias suas intētione maiore mentis exerceāt.

*Quare illucescente die sabbati vigiliæ statutæ sint: & quare per omnem Orientem absolutio ieiunij in die sabbato præsumatur. Cap. IX.*

QVas a tempore prædicationis apostolicæ, quo religio ac fides Christiana fundata est, per vniuersum Orientem idcirco statutum est illucescente sabbato celebrari, quòd domino & Saluatore nostro Sexta sabbati crucifixo, discipuli adhuc recenti eius passione perculsi, perui giles tota nocte mānserunt, nullatenus somni quietem oculis suis indulgētes. Quamobrem ex illo tempore huic nocti deputata Vigiliarum solemnitas, vsq. in hodiernū diē per vniuersum Orientē similiter obseruatur. ideoq. & absolutio ieiunij post vigiliarū laborem, itidem ab apostolicis viris in die sabbati statuta, non immerito pręsumitur per vniuersas Orientis ecclesias, secundū illā quoq. Ecclesiastes sententiam, quæ licet habeat & alium mysticum sensum, tamē ab hoc quoq. non abhorret; quo vtriq. diei, ideſt, hebdomadi pariter & ogdoadi eandem partem solemnitatis impartire præcipimur, ita dicentis: Da partem his septem, & quidem his octo. Non enim ad communionem festiuitatis Iudaicæ absolutio ista ieiunij reputanda est, his præsertim qui ab omni Iudaica superstitione alieni monstrantur, sed ad refectionem quam diximus lassi corporis pertinere; quod per totas anni septimanas iugiter quinis diebus ieiunans, nisi duobus saltem interpositis refocillatum fuerit, facile lassescit ac deficit.

*Eccl. 11. sec. LXX.*

*Vnde factum sit, vt in Vrbe die sabbati ieiunetur. Cap. X.*

CVius moderaminis causam nonnulli in quibusdā occidentalibus ciuitatibus ignorantes, & maxime in Vrbe, idcirco putāt absolutionē sabbati minime debere præsumi, quòd Apostolorum Petrū in eodē die contra Simonē conflictaturū asserunt ieiunasse: Ex quo magis apparet hoc eum consuetudine canonica non fecisse, sed præsentis potius necessitate cōflictus. siquidem & ibi pro hac eadem re non generale sed speciale videatur Petrus discipulis suis ieiunium indixisse. Quod vtiq. nō fecisset, si scisset illud canonica cōsuetudine solere seruari: idē proculdubio etiam Dñico die paratus indicere, si certaminis ipsius in eum



in eum compegisset occasio: nec tamen ex hoc statim canonica fuisset ieiunij regula promulganda, quòd non generalis obseruatio statuerat, sed vt semel fieret ratio necessitatis extorserat.

*In quo Dominicæ diei solemnitas ab aliorum dierum consuetudine diuersa teneatur. Cap. XI.*

VErum ne hoc quidem est ignorandum, die Dominico vnam tantummodo missam ante prandium celebrari: in qua psalmorum atque orationum seu lectionum, pro ipsius collectę, vel communionis dominicę reuerentia, solemnius aliquid ac propensius impendentes, in ipsa tertiā, sextamq. pariter reputant consummatam. Itaque fit vt de orationū obsequijs nihil imminuatur, adiectione scilicet lectionum: & nihilominus differentia quędā vel remissio videatur fratribus indulgeri, pro reuerentia dominicę resurrectionis, prę cetero tempore; quę & totius septimanæ videatur obseruantiam relaxare, & pro hac ipsa quæ intermiscetur quadam differentia, eūdem diem velut festiuum prouocet rursum solemnius expectari: minusq. faciat hebdomadis venturę ieiunia huius expectatione sentiri. Semper enim æquanimius quęlibet fatigatio sustinetur, & sine fastidio labor impenditur, si interiecta ei vicissitudo quędam, vel operis immutatio qualiscumque succedat.

*Quibus diebus cum cœna fratribus exhibetur, accedentibus ad refectionem psalmus non dicatur, sicut fieri in prandijs solet. Cap. XII.*

DEniq. etiam in ipsis diebus, id est, sabbato vel Dominica, seu feriatis temporibus, quibus pariter prandiū & cœna solet fratribus exhiberi, ad vesperam psalmus nō dicitur: id est, nec cum accedunt ad cœnam, nec cū ab ea consurgunt, vt solet fieri in solemnibus prandijs, vel canonica ieiuniorum refectione; quam & prędecedere consuetudinarij psalmi solent, & subsequi: sed tantūmodo simplici oratione facta ad cœnam accedunt, eamque, rursum consurgentes ab ipsa, sola oratione concludunt. quòd scilicet extraordinaria sit inter monachos ista refectio, nec omnes ad eam conuenire cogantur; nisi aut peregrini, qui superuenerint, fratres, aut hi, quos infirmitas corporis, aut propria inuitat voluntas.

LIBRI III. FINIS.

# IOANNIS CASSIANI EREMITÆ DE INSTITVTIS RENVNTIANTIVM.

## LIBER QVARTVS.

*De institutis eorum, qui renuntiant huic mundo, & quemadmodum apud Tabennenſiotas vel Ægyptios imbuantur hi, qui in monaſterijs ſuſcipiuntur. Cap. I.*

DE canonico modo pſalmorum atq. orationum, qui debeat in diurnis cõuenticulis per monaſteria cuſtodiri, ad inſtitutionem eius, qui renuntiat huic mundo, narrationis nos ordine prouocante, trãſimus. Conditiones in primis, quibus hi, qui ad Dominum conuerti cupiũt, recipiantur in cœnobijs, breui, quantum poſſumus, ſtudentes ſermone complecti; quædam ſcilicet de Ægyptiorũ, quædam de Tabennenſiotarum regulis admiſcentes, quorũ eſt in Thebaide cœnobium, quanto numero populoſius cunctis, tanto conuerſationis rigore diſtrictius. Siquidem in eo pluſquam quinq. millia fratrum ſub vno abbate regũtur; tantaq. obedientia hic tam prolixus monachorum numerus omni æuo ſeniori ſubditur, quãta non poteſt apud nos vnus vni vel obedire pro modico tempore, vel præeſſe.

*Qua ratione vſque ad vltimam ſenectutem apud eos in cœnobijs monachi perſeuerent. Cap. II.*

QVorum tam longa perſeuerãtia & humilitas atq. ſubiectio quemadmodũ tam diuturna perduret, quave inſtitutione formetur, per quã vſq. ad incuruã ſenectam in cœnobio perſeuerent, opinor nos ante omnia debere perſtringere. (tanta namq. eſt, quantam neminẽ in monaſterijs noſtris ingreſſum, ne anno quidẽ integro tenuiſſe meminimus.) vt cum renunciationis eorũ primordia viderimus, conſequens fuiſſe intelligamus, vt in tã ſublimia perfectionis faſtigia † talia initiorũ fundamenta conſurgerẽt.

† al. talium

Quo



*Quo examine probetur, qui in cœnobio ſuſcipiendus eſt. Cap. III.*

IGitur ambiens quis in cœnobij recipi diſciplinam, non ante prorſus admittitur, quàm diebus decẽ vel eo amplius pro foribus excubans, indicium perſeuerantiæ ac deſiderij ſui, pariterq. humilitatis ac patientiæ demonſtrauerit. Cumq. omnium prætereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuerſis de induſtria refutatus atque deſpectus, tamquam qui non religionis, ſed neceſſitatis obtentu monaſterium optet intrare; iniurijs quoque & exprobrationibus multis affectus, experimentum dederit conſtantiæ ſuæ, qualiſque futurus ſit in tentationibus, opprobriorum tolerantia declarauerit, atq. ita fuerit explorato mentis ardore ſuſceptus: diligentia ſumma perquiritur, num de priſtinis facultatibus ſuis inhæſerit ei vel vnius nummi contagio. Sciunt enim eum ſub monaſterij diſciplina diuturnum eſſe non poſſe; ſed ne humilitatis quidem aut obedientiæ apprehenſurum eſſe virtutem, nec illa cœnobij paupertate ac diſtrictione fore contentum, ſi in conſcientia eius pecuniæ quantulumcumq. latuerit: ſed vbi primum exorta fuerit qualibet occaſione commotio, fiducia ſtipis illius animatum continuo de monaſterio, velut funda rotante, fugiturum.

*Quare qui in monaſterio recipiuntur, nihil ſuum permittantur inferre. Cap. IV.*

ET idcirco ne vſibus quidem cœnobij profuturas ſuſcipere ab eo pecunias acquieſcunt. Primum ne confidentia huius oblationis inflatus, nequaquam ſe pauperioribus fratribus æquare dignetur: tum ne per hanc elationem nullatenus ad humilitatem Chriſti deſcendens, cum in diſciplina non poſſit cœnobij perdurare; egreſſusq. ex inde, ea quæ in principio renuntiationis ſuæ ſpiritali feruore ſuccenſus intulerat, tepefactus poſtea non ſine iniuria monaſterij, ſacrilego ſpiritu recipere atque exigere moliatur. Quod omnimodis obſeruari debere, multis ſunt experimentis frequenter edocti. Nam per alia minus cauta monaſteria ſimpliciter quidam ſuſcepti, de eis, quæ intulerant, quæque in Dei opera fuerant diſpenſata, cum ingenti poſt blaſphemia redhibitionem poſcere tentauerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Cur hi, qui renuntiant, suscepti in monasterijs, propria vestimenta deponant, & ab abbate alijs induantur. Cap. V.*

QVamobrem ita nudatur quisque, cum receptus fuerit, omni pristina facultate, vt ne ipsum quidē quo opertus est indumentū habere permittatur vlterius; sed in concilio fratrum productus in mediū, exuatur proprijs, ac per manus abbatis induatur monasterij vestimētis: vt per hoc se non solū vniuersis rebus suis antiquis nouerit spoliatū, verum etiam omni fastu depositō mūdiali, ad Christi paupertatem & inopiam descendisse; iamq. opibus sustentandum non sęculi arte quęsitis, nec de infidelitate pristina reseruatis, sed de sanctis ac pijs monasterij largitionibus, militiæ suę stipendia percepturum. atque inde se deinceps ve-
*Matth. 6.* stiendum alendumq. cognoscēs, & nihil habere, & nihilominus de crastino non esse solicitum, secundum Euangelij discat sententiam: nec erubescat pauperibus, id est, corpori fraternitatis æquari, quibus connumerari Christus, & quorum se fratrem non erubuit nuncupare: quin potius glorietur domesticis eius factum se esse consortem.

*Qua causa vestimenta renuntiantium cum quibus ingressi sunt monasterium, a dispensatore seruentur. Cap. VI.*

ILla vero quæ deposuit vestimenta, œconomo consignata, tamdiu reseruantur, donec profectus & cōuersationis eius ac tolerantiæ virtutem, diuersis tentationibus ac probationibus euidenter agnoscant. Et si quidem posse eum inibi perdurare tēpore procedente perspexerint, & in eodem quo cœpit feruore persistere, indigentibus eadem largiuntur. Sin vero quoddam ex eo murmurationis vitium, vel paruæ cuiuslibet inobedientiæ culpam processisse deprehēderint, exuentes eum monasterij, quibus indutus fuerat, vestimentis, & antiquis reuestitum, quæ fuerant sequestrata, depellunt. Nullū etenim fas est cum illis quæ accepit abscedere: nec quemquā patiuntur illis adhuc indui, quē semel ab institutionis suæ regula tepuisse peruiderint. Vnde etiā copia nulli penitus palam discedendi cōceditur, nisi aut in morem serui fugacis captans densissimas tenebras nocte diffugiat; aut certe hoc ordine & professione iudicatus indignus, cum confusione & nota coram cunctis fratribus, deposita monasterij veste pellatur.

Cur



*Cur in monasterio suscepti, non permittantur statim congregationi fratrum commisceri, sed xenodochio ante tradantur. Cap. VII.*

CVm igitur quis susceptus est, & hac perseuerantia quam diximus comprobatus, ac depositis proprijs vestimentis habitu monasteriali fuerit accinctus; non statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur seniori, qui seorsum haud longe a vestibulo monasterij commanens, habet curam peregrinorum & aduenientium deputatam, eisq. omnem diligentiam susceptionis, & humanitatis impendit. Cumq. ibidem integro anno deseruiens, absq. vlla querella suum erga peregrinos exhibuerit famulatū, imbutus per hęc prima institutione† humilitatis & patientiæ, atq. in ea longa exercitatione præcognitus, admiscendus ex hoc congregationi fratrum, alij traditur seniori, qui decem iunioribus præest, quos sibi creditos ab abbate instituit pariter & gubernat, secundū illud scilicet, quod per Moysen ordinatū in Exodo legimus. *Exod. 18.*

*al. humanitatis.*

*Quibus primum institutis iuniores exerceantur, vt ad superandas omnes concupiscentias proficiant. Cap. VIII.*

CVius hæc erit solicitudo & eruditio principalis, per quam iunior introductus ascendere consequenter etiam culmina perfectionis summa prævaleat; vt doceat eum primitus suas vincere voluntates, quem studiose in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare curabit, quæ senserit animo eius esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti, tradunt monachū, & maxime iuniores, ne† voluptatem quidem concupiscentiæ suę refrēnare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates. Ideoq. pronuntiant nullatenus prævalere vel iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere: sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam diuturnamq. posse retinere concordiam; sed nec in cœnobio quidem diutius perdurare eum, qui prius voluntates suas non didicerit superare.

*al. voluntatem.*

*Quare iunioribus imperetur, vt seniori suo nihil de cogitationibus suis subtrahant. Cap. IX.*

HIs igitur institutis eos, quos initiant, velut elementis quibusdam ac syllabis imbuere ad perfectionē, atq.

informare festinant: per hæc ad liquidum discernentes, vtrum ficta & imaginaria, an vera sint humilitate fundati. Ad quod vt facile valeant peruenire, consequenter instituuntur nullas penitus cogitationes prurientes in corde pernicioſa confusione cęlare; sed confestim vt exortę fuerint, eas suo patefacere seniori: nec super earum iudicio quidquam suæ discretioni committere, sed illud credere malum esse, vel bonum, quod discusserit ac pronuntiauerit senioris examen. Itaq. fit, vt in nullo circumuenire iuuenem callidus inimicus, velut inexpertum ingnarumq. præualeat; nec vlla fraude decipere quem peruidet nō sua sed senioris discretione muniri, & suggestiones suas, vel ignita iacula quæcumq. in cor eius iniecerit, vt seniorem cęlet, nō posse suaderi. Aliter quippe subtilissimus diabolus illudere vel deijcere iuniorem non poterit, nisi cum eum siue per arrogantiam, siue per verecundiam, ad cogitationum suarum velamen illexerit. Generale namq. & euidens indicium diabolicę cogitationis esse pronuntiant, si eam seniori confundimur aperire.

### *Quanta obedientia a iunioribus etiam in naturali necessitate custodiatur.* Cap. X.

POst hæc tanta obseruantia obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absq. præpositi sui scientia vel permissu, non solum non audeant cellā progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua auctoritate præsumant. Sicq. vniuersa complere, quęcumq. fuerint ab eo præcepta, tamquam a Deo sint cælitus edita sine vlla discussione festinant, vt nonnumquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fide ac deuotione suscipiant, vt tota virtute, ac sine vlla cordis hęsitatione ea perficere & consummare nitantur: & nec impossibilitatē quidem præcepti pro senioris reuerentia metiantur. De quorum obedientia speciatim nunc dicere prætermitto. Exemplis enim eam ipsis tradere suo loco disponimus, si Dominus nobis orationibus vestris dederit commeatum. Nunc instituta cetera prosequamur, prætermittentes illa cōtexere, quę in hac regione vel tradi monasterijs, vel ab ipsis nequeunt custodiri, sicut in præfatiuncula nostra facturos nos esse promisimus. quòd scilicet, nec laneis indumentis vtantur, sed lineis tantum: & ne ipsis



ipsis quidem duplicibus: quibus vicaria præpositus vnusquisque suæ decaniæ subministrat, cum illa quibus vestiti sunt, sorduisse conspexerit.

### *Cuiusmodi cibus apud eos delicatissimus habeatur.* Cap. XI.

ILlud quoq. arduum atq. sublime genus continentiæ similiter prętermittēs, in qua summę reputantur delicię, si herba sale condita, quam lapsanum vocāt, aqua diluta, ad refectionem fratribus apponatur; aliaq. cōplura his similia, quæ in hac prouincia nec aērum tēperies, nec qualitas nostræ fragilitatis admittit; illa tantūmodo prosequar, quæ nec vlla carnis infirmitas, nec situs loci poterit impedire, si ea non fragilitas animæ ac tepor mentis ademerit.

### *Quod ad sonitum pulsantis ostium nihil operis non omittant studio celeriter occurrendi.* Cap. XII.

ITaque considentes intra cubilia sua, & operi ac meditationi pariter intendentes, cum sonitum pulsantis ostiū, ac diuersorum cellulas percutientis audierint, ad orationē eos scilicet, seu ad opus aliquod inuitantis; certatim e cubilibus suis vnusquisq. prorumpit: ita vt is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam finire non audeat; sed in eodem puncto quo ad aures eius sonitus pulsantis aduenerit, summa velocitate prosiliens, ne tantum quidem morę interponat, quantū cœpti apicis cōsummet effigiem; sed imperfectam lineam litteræ delinquens, non tam operis compendia lucrave sectetur, quàm obedientiæ virtutem exequi toto studio atq. æmulatione festinet. Quam non solum operi manuum, seu lectioni vel silentio & quieti cellæ, verum etiam cunctis virtutibus ita præferunt, vt huic iudicent omnia postponenda: & vniuersa dispendia subire contēti sint, dummodo hoc bonum in nullo violare videantur.

### *Quam criminosum habeatur si aliquid vel vilissimum quispiam suum dixerit.* Cap. XIII.

ILlam sane virtutem inter ceteras eorum institutiones vel commemorare superfluum puto, quòd scilicet nullī cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod velut proprium retinēs suo debeat com-

Universidad de Deusto
Biblioteca



munire signaculo. Quos ita nouimus omni ex parte nudos existere, vt præter colobium, mafortem, caligas, melotem, ac psiathium, nihil amplius habeant. cum in alijs quoq. monasterijs, in quibus aliqua remissius indulgentur, hanc regulam videamus strictissime nunc vsq. seruari, vt ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum; magnumque sit crimen ex ore monachi processisse: codicem meum; tabulas meas; graphium meum; tunicam meam; caligas meas: proq. hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem vel ignorantiam huiusmodi verbum de ore eius effugerit.

*Quod licet multa pecunia de vniuscuiusq. opere congeratur, nullus tamen præsumat excedere statutæ sufficientiæ parcitatem. Cap. XIV.*

ET cum tantos vnusquisq. eorum quotidie de opere ac sudore proprio redditus conferat monasterio, vt ex his sustentare non solum suam valeat paucitatem, verum etiam vsibus possit exuberare multorum: in nullo tamen inflatur, nec sibi de tanto operis sui qnæstu ac sudore blãditur; sed præter duo paxamacia, quæ tribus uix denarijs ibidem distrahuntur, nihil sibimet amplius unusquisque præsumit. Inter quos nullum peculiare opus (quod pudet dicere, quodque in nostris monasterijs utinam fieri nesciremus) non dicam effectu, sed ne cogitatione quidem ab aliquo penitus affectatur. Cumq. torã enthecam cœnobij suam credat esse substantiam, cunctisq. rebus ut omnium dominus omnem curam solicitudinemq. dependat; ad retinendam nihilominus arreptæ nuditatis uirtutem, quam studet ad finem usq. perfecte atq. inuiolabiliter custodire, ita semetipsum a cunctis extraneum, & ex omnibus iudicat alienum, ut tamquam peregrinum se gerat & incolam istius mundi, alumnumq. se potius monasterij reputet ac ministrum, quàm dominum rei cuiusq. præsumat.

*De immodico apud nos studio habendi. Cap. XV.*

AD hæc nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobijs commorantes, ac sub abbatis cura & solicitudine constituti, peculiares circumferimus claues, omniq. professionis nostræ uerecundia & confusione calcata, etiam anulos quibus recondita prẽsignemus, in digitis palam



iam gestare præsumimus? quibus non solum cistellæ vel sportæ, sed ne arcæ quidem vel armaria, ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de sæculo reseruauimus condenda sufficiunt? quique ita nonnumquam pro vilissimis nullisq. rebus accendimur, eas nobis velut proprias vindicantes, vt si quis vel digito quidquam ex his contrectare præsumpserit, tanta contra eum iracundia suppleamur, vt commotionem cordis nostri ne a labijs quidem ac tota corporis indignatione reuocare possimus? Sed prętermissis nostris vitijs, & his quæ nec commemorari quidem dignum est, silentio traditis, secundum illud eloquium: Non loquatur os meum opera hominum; virtutes potius quæ apud illos sunt, & ea quæ nos quoque omni studio debemus appetere, cœpto narrationis ordine prosequamur; ipsasq. iam regulas ac typos cursim breuiterq. ponamus. vt peruenientes post hæc ad quosdã actus & opera seniorum, quæ studiose memoriæ mandare disponimus, hæc quę nostra expositione digesta sunt, velut testimonijs validissimis roboremus: vniuersa quæ diximus, exemplis eorum potius ac vitæ auctoritate firmantes. *Psal. 16.*

*De regulis diuersarum correptionum. Cap. XVI.*

SI quis igitur gillonem fictilem, quem baucalem nuncupãt, aut huiusmodi aliud casu aliquo fregerit, aut perdiderit aliquid; non aliter negligẽtiam suam quàm publica diluet pœnitentia: cunctisq. in synaxi fratribus congregatis, tamdiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum solemnitas consummetur, impetraturus eam cũ iussus fuerit abbatis iudicio de solo surgere. Eodem modo satisfaciat quisquis ad opus aliquod accersitus, vel ad congregationẽ solitam, tardius occurrerit: aut si decantans psalmum vel modicum titubauerit. similiter si superfluo, si durius, si contumacius responderit, si negligentius obsequia iniuncta compleuerit, si vel leuiter murmurauerit, si lectionem operi vel obedientiæ præferens, officia statuta segnius fuerit executus: si dimissa synaxi non concitus ad cellam recurrere festinauerit, si cum aliquo vel ad modicum substiterit, vel si ad punctum temporis vspiam fecesserit, si alterius tenuerit manum, si cum illo qui cellulę suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcumq. præsumpserit, si orauerit cum illo qui est ab

oratione

oratione suspensus, si parētum quempiam vel amicorū sæcularium viderit, vel collocutus ei sine suo fuerit seniore; si epistolam cuiuscumq. susceperit, si rescribere, sine abbate tentauerit. Hucusq. & in huiusmodi ac similibus admissis, procedit animaduersio spiritalis. Residua vero, quæ apud nos indifferenter admissa, reprehensibilius sustinentur, id est, aperta conuicia, manifesti cōtemptus, contradictiones tumidæ, libera & effrenata processio, familiaritas apud feminas, iræ, rixæ, simultates & iurgia, operis peculiaris præsumptio, phylargiriæ contagio, affectus atq. possessio rerum superfluarum, quæ a cęteris fratribus non habentur, extraordinaria ac furtiua cibi refectio, & his similia, non illa increpatione, quam diximus, spiritali; sed vel plagis emendantur, vel expulsione purgantur.

*Quibus auctoribus sit inuentum, vt reficientibus fratribus sacræ lectiones in cœnobijs recitentur, & quantum apud Ægyptios præbeatur silentium. Cap. XVII.*

ILlud autem, vt reficientibus fratribus sacræ lectiones in cœnobijs reciteutur, non de typo Ægyptiorum processisse, sed de Cappadocum nouerimus. Quos nulli dubium est non tam spiritalis exercitationis causa, quàm compescendæ superfluæ otiosæq. confabulationis gratia, & maxime contentionum, quæ plerumq. solent in conuiuijs generari, hoc statuere voluisse: videntes eas aliter apud se cohiberi non posse. Apud Ægyptios enim, vel maxime Tabennensiotas, tantum silētium ab omnibus exhibetur, vt cum in vnū tanta numerositas fratrū refectionis obtentu confederit, nullus nec mutire quidē audeat, prēter eum, qui suæ decaniæ præest. Qui tamen si quid mensæ superinferri vel auferri necessarium esse peruiderit, sonitu potius quàm voce significat. Tantaq. vescentibus eis silentij huius disciplina seruatur, vt cucullis vltra oculorū palpebras demissis, ne scilicet liber aspectus habeat curiosius copiam euagandi, nihil amplius intueantur quàm mensam, & appositos in ea vel quos ex ea capiūt cibos; ita vt quemadmodū, vel quantum reficiat alius nullus inuicem notet.

*Quam illicitum sit extra mensam communem quidquam cibi potusve gustare. Cap. XVIII.*

ANteque vel postquam legitimam communemq. refectionem percipiat, summa cautione seruatur ne extra



extra mensam quidquam cibi penitus ori suo quisquam indulgere presumat: vt incedentibus per hortos & pomaria, cum passim blandeq. per arbores poma pendentia, non solum obijciant se pectoribus transeuntium, verum etiam strata per terram conculcanda pedibus offerant, atq. ad colligendū parata, facile ad consensum concupiscentiæ illicere valeant intuentes, & oportunitate vel copia, quamuis districtos atq. abstinentissimos ad sui desiderium prouocare; sacrilegum ducatur non modo quidquam ex his degustare, verum etiam manu contingere; absque eo quod palam cunctis in commune reficientibus exhibetur, & ad percipiendum, œconomi dispensatione, per fratrum obsequia publice ministratur.

*Quemadmodum per Palæstinam vel Mesopotamiam quotidiana fratribus exhibeantur obsequia. Cap. XIX.*

NE quid sane de institutis cœnobiorum prætermississe videamur; quemadmodum quotidiana fratribus etiā per alias regiones exhibeantur obsequia, commemorandum breuiter puto. Per cunctam namq. Mesopotamiam, Palæstinam, & Cappadociam, ac totum Oriētem, singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt, ita vt secundum cœnobij multitudinem, ministrorum quoq. numerus deputetur. Quæ explere tanta deuotione & humilitate deproperant, quanta nullus seruorum † durissimo domino ac præpotenti exhibet famulatum. ita vt ne istis quidem solis contenti obsequijs, quę canonico iure soluuntur, etiam nocte surgentes, illos quos specialiter hæc manet cura, studio suo releuent; & ea quę ab ipsis perficienda sunt, furtim præuenientes implere contendant. has autem septimanas vnusquisq. suscipiens, vsq. ad cœnam dominici diei ministraturus obseruat. Qua peracta ministerium totius hebdomadis ita concluditur, vt hi quibus succedendum est, conuenientibus in vnum fratribus ad concinendos psalmos, quos quieturi ex more decantant, omnibus in ordine pedes lauent; hanc scilicet ab eis pro labore totius septimanæ benedictionis mercedem fideliter expetentes, vt eos, explentes mandatum Christi, emissa generaliter ab omnibus fratribus oratio prosequatur, quæ vel pro ignorationibus intercedat, vel pro admissis humana fragilitate peccatis; & com-

† *al. dirissimo.*

*Ioan. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Psal. 19. & commendet Deo velut sacrificiũ pingue, consummata eorum deuotionis obsequia. Itaq. secunda sabbati post matutinos hymnos, alijs rursum succedentibus vtensilia in quibus ministrauerant, ac vasa consignant: quæ suscipientes tanta solicitudine curaq. custodiunt, ne quid ex eis imminuatur vel pereat, vt credant se etiam pro minimis quibusq. vasis, tamquam pro sacrosanctis rationẽ non solum dispensatori præsenti, sed etiã Domino reddituros, si forte aliquid ex eis negligentia eorum fuerit imminutum. Cuius disciplinę qui modus sit, vel quanta fide & cautione seruetur, vno testimonio, quod exempli gratia ponam, poteritis agnoscere. Sicut enim studemus satisfacere vestro feruori, quo plenam vniuersorum cognitionem desiderantes, etiam ea quæ optime nostis, hoc libello vobis cupitis iterari: ita veremur mensuram breuitatis excedere.

*De tribus lenticulæ granis ab œconomo repertis. Cap. XX.*

IN septimana cuiusdam fratris, cum præteriens œconomus tria lenticulæ grana in terra iacere vidisset, quæ hebdomadario festinanti, dum ea prępparat coctioni, inter manus cum aqua qua diluebantur elapsa sunt; confestim super hoc abbatem consuluit. A quo velut interuersor neglectorq. sacri peculij iudicatus, ab oratione suspensus est. Cuius negligentię reatus non aliter ei remissus est, nisi eum publica pœnitentia diluisset. Non solum enim seipsos non esse suos, sed etiam omnia quæ sua sunt, credunt Domino consecrata. Propter quod si quid fuerit monasterio semel illatum, vt sacrosanctum cum omni decernunt reuerentia debere tractari. Tantaq. fide vniuersa procurant atq. dispensant, vt etiam ea quæ despectui habentur, paruaq. reputantur ac vilia, si vel loco mouerint, vel competentius collocauerint, si gillonem aqua impleuerint, si ex eo cuiquam obtulerint ad bibendum, si tenuẽ festucam de oratorio cellave submouerint, mercedem se consecuturos a Domino tota credulitate confidant.

*De spontaneo quorundam fratrum ministerio. Cap. XXI.*

NOuimus fratres in quorum septimana cum accidisset tanta lignorum penuria, vt non esset penitus vnde soliti cibi fratribus pararentur, & donec possent coempta deferri, vt xerophagia contenti essent abbatis fuisset auctoritate præceptum, essetq. hoc vniuersis placitũ, nec quisquam posset vllum coctionis sperare pulmentum: illos velut qui fructu ac mercede sui laboris & obsequij fraudarentur, si in ordine vicis suæ cibos fratribus non secundum consuetudinem parauissent, tantum sibi spontanei operis ac solicitudinis indixisse, vt in illis aridis ac sterilibus locis, in quibus ligna nisi de fructiferis arboribus excidantur, omnimodis nequeũt inueniri (nec enim, vt apud nos, vlla reperiuntur fruteta siluestria,) per extẽta auia discurrentes, & eremum, quæ versus mare mortuum tenditur, obeuntes, festucas tenues ac spinulas quas ventus huc illucq. dispersserat, suo sinu & gremijs colligentes, cunctam solemnitatem ciborum spontaneis obsequijs præpararẽt: ita vt de solita præbitione nihil paterentur imminui: tanta fide hæc sua munia fratribus exhibentes, vt etiam cum illos honeste posset vel lignorum excusare penuria, vel abbatis imperium, pro fructu suo atque mercede noluerint hac abuti licentia.



*De Ægyptiorum typo, qui est super quotidianis fratrum statutis obsequijs. Cap. XXII.*

HÆc sint dicta secundum typum, vt prefati sumus, totius Orientis: quem etiã in partibus nostris necessario ducimus debere seruari. Ceterum apud Ægyptios, quibus maxima cura est operis, non est hebdomadarum mutua vicissitudo, ne sub occasione huius officij omnes ab operis canone impediantur: sed vni probatissimo fratrum cellarij vel coquinæ cura committitur, qui donec vires eius vel ætas admittit, iugiter opus istud exerceat. Non enim magno labore corporis fatigatur, quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum vel coctionis impenditur, quippe qui maxime xerophagijs, vel omophagijs vtũtur, & apud quos secta singulis mensibus porrorum folia, lapsania, sal frictum, oliuę, pisciculi minuti salliti, quos illi męnidia vocant, summa voluptas est.

*De obedientia abbatis Ioannis, per quam vsque ad prophetiæ proiectus est gratiam. Cap. XXIII.*

ET quoniam hic liber de institutione est eius, qui rẽnuntiat huic mũdo, per quam scilicet introductus ad humilitatem veram, & obedientiam perfectam, ceterarum quoque

Universidad de Deusto
Biblioteca



quoque virtutum culmina possit ascendere: necessarium reor quædam seniorum gesta, quibus per hanc enituere virtutem, exempli gratia, sicut promisimus, explicare; de multis admodum pauca carpentes, vt studentibus sublimiora sectari, non solum incitamentum ex his vitæ perfectæ, sed etiam propositi forma procedat. Quamobrē duos vel tres, pro libelli huius compendio, de tam innumera patrum multitudine proferentes; ponemus primum abbatem Ioannem, qui commoratus est iuxta Lyco (quod est oppidum Thebaidis) quiq. propter obedientiæ virtutem ad prophetiæ gratiam sublimatus, sic vniuerso orbi claruit, vt etiam regibus mundi huius merito suo redderetur illustris. Nam cum in extremis, vt diximus, Thebaidis partibus commaneret, non ante præsumebat Theodosius imperator ad præpotentium tyrannorum bella procedere, quàm oraculis illius animaretur atque responsis. Quibus confidens velut cælitus sibi delatis, trophæa de bellis desperatis atque hostibus reportabat.

### *De ligno putri atque arido, quod idem abbas Ioannes ad arbitrium senioris sui quasi adolendum rigare non destitit.* Cap. XXIV.

HIc itaque beatus Ioannes ab adolescentia sua vsq. ad perfectam ac virilem ætatem seniori deseruiens, donec ille in huius vitæ conuersatione durauit, tanta humilitate inhæsit eius obsequijs, vt ipsi quoque seni stuporem summum obedientia eius incuteret. Cuius hanc virtutem vtrum de vera fide ac profunda cordis simplicitate descēderet, an affectatitia esset, & quodāmodo coactitia, & quæ ad imperantis faciem præberetur, volens manifestius explorare; quamplura ei etiā superflua, minusq. necessaria, vel impossibilia frequētius iniungebat. Ex quibus tria ponam, per quæ manifestari possit volentibus scire, vel mentis eius, vel subiectionis integritas. Sumpsit itaq. de lignario suo senex virgultum, quod olim excisum vsibus foci fuerat præparatum: dumq. coctionis tardat occasio, non modo aridum, sed prope putre temporis vetustate iacebat. Cumq. hoc coram ipso fixisset in terram, præcepit aduecta aqua quotidie bis rigari, vt scilicet diuturnis humoribus radicatum, atque in antiquam arborem reuirescens, diffusis ramis amœnitatem oculis, atque vmbraculum in æstu



æstu feruenti, subter residentibus exhiberet. Quod præceptum veneratione solita, sine vlla impossibilitatis consideratione suscipiens adolescēs, ita quotidianis diebus expleuit, vt aquam per duo ferme millia indesinenter apportās, nullatenus lignū rigare cessaret; atq. per totum anni spatium non infirmitas corporis, non festiuitatis solemnitas, non occupatio necessitatis vllius quæ illum etiam honeste excusaret ab executione mandati, non denique hiemis asperitas intercedens, ab huius obseruatione præcepti potuerit impedire. Cumq. eius hanc sedulitatē tacitus senex diebus singulis exploraret, & videret eum simplici cordis affectu mādatum suum velut emissum diuinitus, sine vlla permutatione vultus, vel rationis discussione seruare; sinceram humilitatis eius obedientiam comprobans, pariter etiam miserans tam longum laborē, quem per totū anni spatium studio deuotionis impēderat, ad virgultū aridum accedens: O, inquit, Ioannes, misit ne radices hæc arbor, an non? Cumq. ille se nescire dixisset, senex velut inquirēs rei veritatem, & tamquam tentās vtrum suis radicibus niteretur, euulsit corā ipso leui cōmotione virgultum, sicq. proijciens illud, præcepit vt deinceps rigare desineret

### *De proiecto ab abbate Ioanne vase vnico olei ad senioris imperium.* Cap. XXV.

ITaque cum huiusmodi exercitijs eruditus, quotidie iuuenis in hac parendi virtute succresceret, & humilitatis eius enitesceret gratia, atque obedientiæ suauis odor per monasteria vniuersa fragraret; quidam fratrum probationis, immo ædificationis obtentu venientes ad senē, cum subiectionem eius, quam audierant, mirarentur; vocans eum repente senex: Ascende, ait, & sumens lenticulam olei (quæ sola in eremo suis vel aduenientium vsibus, liquorem pinguedinis tenuissimum ministrabat) deorsum proijce per fenestram. Quam ille, cum ad superiora concitus peruolasset, per fenestram proferens comminuendam demisit ad terram; parum cogitans vel retractans præcepti ineptiam, diuturnam necessitatem, infirmitatem corporis, penuriam sumptuum, eremi squalentis angustias ac difficultates, in qua etiam si pecunia suppeditaret, nihilominus perdita species inueniri repararique non posset

Quem-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quemadmodum abbas Ioănes ſuo obedierit ſeniori ad aduoluendum ſaxum, quod ne à multis quidem poſſibile erant moueri. Cap. XXVI.*

ALijs rurſum ædificari cupientibus obedientię huius exemplo, vocans eum ſenior: Curre, inquit, Ioannes, ſaxum illud huc aduolue quantocyus. Qui confeſtim ſaxũ immane, quod vel turbę multę hominum mouere nõ poſſent, applicita nunc ceruice, nunc toto pectore, tanto niſu atque conatu prouoluere contendebat, vt ſudore omnium membrorum, non ſolum totum infunderet veſtimentum, ſed etiam ſaxum ipſum ſuis ceruicibus humectaret. in hoc quoque parum metiens impoſſibilitatem prȩcepti vel facti pro reuerentia ſenioris, & obſequij ſimplicitate ſincera, qua credebat tota fide ſenem nihil poſſe incaſſum ac ſine ratione prȩcipere.

*De humilitate & obedientia abbatis Mucij, quam in proijciendo in fluuium paruulo filio ex præcepto ſenioris, non hæſitauit implere. Cap. XXVII.*

HVcuſque abbatis Ioannis pauca de multis dixiſſe ſufficiat. nunc abbatis Mucij factum memoria dignum comprehendam. Hic namq. abrenuntiare deſiderans huic mundo, tamdiu pro foribus monaſterij excubans perduxit, donec immobili perſeuerantia ſua, contra omnem conſuetudinem cœnobiorum, cum filio paruulo, qui octo circiter erat annorum, vt ſuſciperetur, eliceret. Cumque tandem recepti fuiſſent, confeſtim non ſolum diuerſis prȩpoſitis traditi, verumetiam cellę habitatione ſeiuncti ſunt: ne ſcilicet iugi viſione paruuli rẽminiſceretur pater ex omni ſua, quam renuntians abiecerat, facultate atq. affectione carnali, ſaltem ſibi filium ſupereſſe: & quemadmodum ſe iam diuitem non eſſe ſciebat, ita etiam patrem ſe eſſe dediſceret. Quod vt plenius probaretur, vtrum videlicet pluris faceret affectionem ſanguinis ac ſuorum viſcerum charitatem, an obedientiam & mortificationem Chriſti, quam renuntians quiſque pro eius debet amore prȩferre; de induſtria negligebatur paruulus, panis potius quàm veſtimentis indutus; ſordibus quoque ita obſitus ac fœdatus, vt offendere potius quàm delectare paternos oculos poſſet quotiens ab eo fuiſſet aſpectus: etiam colaphis atq. alapis expoſitus diuerſorum, quas plerumq. ſub



ſub obtutibus ſuis innocẽti paruulo etiam gratis cernebat inferri, ita vt numquam genas eius niſi ſordentibus lacrymarum veſtigijs uideret infectas. Cumq. taliter infans ſub oculis eius per dies ſingulos ageretur, pro amore nihilominus Chriſti, & obedientię virtute, rigida ſemper atque immobilia patris viſcera permanſerunt. Non enim reputabat ſuum filium, quem ſecum pariter obtulerat Chriſto; nec curabat de præſentibus eius iniurijs, ſed potius exultabat quòd eas nequaquam infructuoſe tolerari cernebat, parum cogitans de lacrymis eius, ſed de propria humilitate ac perfectione ſolicitus. Quam diſtrictionem mentis illius atque immobilem rigorem peruidens cœnobij ſenior, ad comprobandam penitus animi eius conſtantiam, cum plorare quadam die uidiſſet infantem, ſimulans ſe aduerſus eum commotum, præcepit patri ut tollens eum iactaret in flumen. Tunc ille, velut a Domino hoc ſibi præceptum eſſet, confeſtim celeri curſu rapiens filium, vlnis proprijs vſque ad oram fluminis iactaturus aduexit. Quod profecto feruore fidei & obedientiæ eius fuiſſet opere conſummatum, niſi procurati fuiſſent de induſtria fratres, qui ſolicite ripã fluminis obſiderent, proiectumq. iam quodammodo de fluminis alueo paruulum rapuiſſent; & conſummationẽ prȩcepti obſequio patris ac deuotione completam, ab effectu operis atque ab ipſo fine reuocaſſent.

*Quemadmodum reuelatum ſit abbati de patre Mucio opus eum Abrahæ feciſſe: & quod defuncto eidem abbati idem pater Mucius in monaſterij adminiſtratione ſucceſſerit. Cap. XXVIII.*

CVius fides atque deuotio intantum Deo fuit accepta, vt diuino ſtatim teſtimonio comprobata ſit. Reuelatũ namq. eſt continuo ſeniori, hac eum obedientia Abrahę patriarchę opus impleſſe. Cumq. breui tẽpore tranſacto, idẽ abbas cœnobij de mundi huius commoratione migraret ad Dominum; hunc prȩponens cunctis fratribus, ſucceſſorem ſibi atque abbatem monaſterio dereliquit. *Gen. 22.*

*De obedientia fratris, qui decem ſportas circumferẽs, publicę diſtraxit ad abbatis imperium. Cap. XXIX.*

NOn tacebimus etiam nobis cognitum fratrem, ſecundum ſæculi huius ordinẽ ſummæ familiæ. Nam patre

Universidad de Deusto
Biblioteca



comite ac ditissimo oriundus fuit, studijs quoq. liberalibus non mediocriter institutus. Qui relictis parentibus cum ad monasterium peruolasset, ad comprobandã mentis humilitatem vel fidei eius ardorem, confestim ei a seniore præceptum est, vt decem sportas, quas necesse non erat publice uenditari, cruicibus suis onerans distrahendas per plateas circumferret, adiecta condicione qua diutius in hoc officio retineretur, ut si forte eas unus coemere uoluisset; non cederet, sed singillatim eas quærentibus uenundaret. Quod ille tota deuotione compleuit, & omni confusionis uerecundia pro nomine ac desiderio Christi calcata, sportas humeris suis imponens, pretio statuto distraxit, ac pecuniam ad monasterium reportauit; nequaquam perterritus tam uilis & insueti officij nouitate, nec considerans indignitatẽ rei, nataliumq. splendorẽ, ac uenditionis iniuriã, dum illam Christi humilitatẽ, quę est uera nobilitas, per obedientiæ gratiam desiderat obtinere.

*De abbatis Pynuphij humilitate, qui relicto cœnobio celeberrimo cui presbyter præerat, longinquum monasterium, in quo velut incipiens susciperetur, desiderio subiectionis expetijt.* Cap. XXX.

COartat nos libelli modus ad finem tendere, sed obedientiæ bonum, quæ inter ceteras uirtutes primatum tenet, non patitur nos eorum gesta qui per hanc claruerunt penitus silentio præterire. Propter quod utrunq. congrue temperantes, id est, tam breuitati quàm studiosorum desiderijs atque vtilitatibus seruientes, vnum adhuc ponemus exemplum, quod non ab incipiente; sed a perfecto atque abbate completum; non solum iuniores instruere, sed etiam seniores ad perfectam humilitatis virtutem lectione sua poterit incitare. Vidimus itaque abbatem Pynuphium, qui cum esset immanis cœnobij presbyter, quod est in Ægypto, non longe a Panephysi ciuitate, & pro ipsa reuerentia vel vitæ suæ, vel ætatis, vel sacerdotij, cunctis honorabilis ac venerandus existeret, videns se pro hoc ipso humilitatem illam, quam secundum suæ mentis ardorem concupierat, exercere non posse; nec habere quo virtutem desideratæ subiectionis extenderet, clam fugiens de cœnobio, secessit solus in Thebaidis vltimas partes. Ibiq. depositio habitu monachorum, assumpta sæculari veste



veste cœnobium Tabennensiotarum expetijt quod sciebat cunctis esse districtius, & in quo se vel pro longitudine regionis credidit ignorandum, vel pro magnitudine monasterij ac multitudine fratrum facile posse cælari. Vbi diutissime pro foribus perseuerans, cunctorum fratrum genibus prouolutus, vt susciperetur summis precibus exorabat. Cumq. multo despectu tandem fuisset admissus, quòd scilicet decrepitus senex, & qui omnem suam † peruixisset ætatem, ingredi cœnobium postularet, quo tempore iam ne deseruire quidem suis voluptatibus præualeret, ac ne hoc quidem ipsum causa religionis eum expetere assererent, sed famis & inopiæ necessitate constrictum; vt seni nulliq. operi penitus apto horti cura diligentiaq. mandatur. Quam sub alio fratre iuniore qui eum sibi creditum retinebat, exercens, sic eidem subdebatur, tantaq. obedientia desideratam humilitatis excolebat virtutem, vt non solum ea quæ ad horti curam diligentiamq. pertinebant, verum etiam vniuersa officia quæ cunctis erant aspera vel indigna, atq. ab omnibus ducebantur horrori, tota quotidie sedulitate compleret. Quamplura etiam nocte consurgens ita furtim nullo teste vel conscio, tenebris occulentibus faciebat, vt penitus auctorem operis nemo deprehenderet. Cumque ibidem triennio delitescens, dispersis per vniuersam Aegyptum vbique fratribus quæreretur: a quodam tandem qui de Aegypti partibus commearat, vix potuit pro humilitate habitus sui, ac vilitate officij quod gerebat agnosci. Nam sarculo deorsum incuruus laxabat oleribus terram, deinde sterçus humeris suis aduectans, eorum radicibus ingerebat. Cumque hæc intuens frater super agnitione eius diutissima fuisset hæsitatione detentus, propius tandem accedens, & non solum vultum sed etiam sonum vocis diligenter exploraus, ad pedes eius comminus procidens, primo quidem super hoc stuporem summum videntibus cunctis incussit, cur videlicet istud fecerit ei qui apud ipsos velut nouitius, ac de sæculo nuper egressus habebatur extremus: post uero miraculo sunt miore perculsi, cum eius nomen, quod apud ipsos quoq. magna fuerat opinione compertum, protinus prodidisset. A quo uniuersi fratres prioris ignorantiæ ueniam postulantes, quod eum uidelicet tanto tempore inter iuniores ac paruulos depurasset, inuitum ac flentem quòd inui-

*al. perduxisset.*

dia diaboli digna sibi fuisset conuersatione atq. humilitate fraudatus, quam diutissime requisitam, tandem aliquando se inuenisse gaudebat, nec meruisset vitam suam in illa quam arripuerat subiectione finire, ad proprium cœnobium reduxerunt, custodientes eum summa diligentia, ne ab eis quoq. similiter quoquam dilapsus aufugeret.

*Quemadmodum abbas Pynuphius reductus in monasterium suum, modico tempore commoratus iterum fugerit in partes Syriæ. Cap. XXXI.*

VBi cum fuisset modico tempore demoratus, eodem rursus humilitatis desiderio atq. ardore succensus, captans nocturna silentia ita diffugit, vt iam non vicinam prouinciam, sed ignotas & alienas, longeq. diuisas regiones expeteret. Nã conscendens nauem in Palæstinæ partes commeare festinauit credens se tutius latitaturum, si ad illa semetipsum asportaret loca, in quibus ne nomen quidem suum fuisset auditum. Quo cum aduenisset, nostrum monasterium protinus expetiuit, quod non longe fuit a spelæo in quo Dominus noster Iesus Christus ex virgine nasci dignatus est. In quo permodico tempore delite-
Matth. 5. scens, secundum sententiam Domini, tamquam ciuitas super montem posita diutius abscondi non potuit. Nam continuo quidam fratrum, qui ad loca sancta de Ægypti partibus orationis causa conuenerant, agnitum eum summa vi precum ad suum cœnobium reuocarunt.

*Quæ præcepta dederit idem abbas Pynuphius fratri, quem in suo monasterio sub nostra præsentia recipiebat. Cap. XXXII.*

HVnc igitur senem, pro illa quæ nobis fuerat apud ipsum in monasterio nostro familiaritas, cum post hęc in Ægypto studiosissime requisissemus, exhortationem quam dedit fratri, quem sub nostra præsentia in cœnobio suo recipiebat, quia puto ex hac posse aliquid institutionis accedere, est animus huic opusculo intexere. Nosti, ait, quot diebus pro foribus excubans, hodie sis receptus. Cuius difficultatis causam primitus debes agnoscere. Poterit enim tibi in hac via, quam ingredi concupiscis, multum conferre, si ratione eius agnita ad Christi seruitium consequenter, ac sicut oportet accesseris.

Quod



*Quod sicut magna remuneratio debetur monacho secundum institutionem patrum laboranti, ita & pœna negligenti tribuatur: & ideo non debeat quis facile in monasterio admitti. Cap. XXXIII.*

SIcut namq. immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundum regulæ institutionem ei adhęrentibus, repromittitur in futurum; ita pœnæ grauissimæ præparantur his qui tepide eam negligenterq. fuerint executi, & secundum hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint. Melius est enim (secundum scripturæ Eccl. 5.
sententiam) non vouere quemquam, quàm vouere & non reddere. &: Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Ideo Hier. 48.
igitur a nobis diutissime refutatus es, non quia tuam uel omnium salutem non toto desiderio cupiamus amplecti, & his qui ad Christum cupiũt peruenire, etiam procul occurrere non optemus; sed ne temere recipientes, & nos apud Deum leuitatis, & temetipsum reum grauioris suppli cij faceremus, si ad præsens facile susceptus, nec põdus professionis huius intelligens, uel destitutor post hæc uel tepidus extitisses. Quamobrem ipsam causam abrenuntiationis debes in primis agnoscere: quo ea perspecta, quid te cõueniat agere manifestius instruaris.

*Quod abrenuntiatio nostra nihil sit aliud quam mortificatio & imago crucifixi. Cap. XXXIV.*

ABrenuntiatio nihil est aliud quàm crucis ac mortificationis indicium. Ideoque noueris hodierno die te huic mundo & actibus eius ac desiderijs esse defunctum, teque, secundum Apostolum, mũdo huic esse crucifixum, Galat. 6.
tibiq. hunc mundum. Considera ergo conditiones crucis sub cuius te deinceps sacramẽto oportet in hac luce versari, quia iam tu non viuis, sed ille viuit in te, qui est crucifi- Galat. 2.
xus pro te. Eo ergo habitu ac figura qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac uita degere; ut scilicet, secundum Dauid, affigentes timo- Psal. 118.
re Domini carnes nostras, vniuersas uoluntates nostras ac desideria, non nostrę concupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa. Sic enim Domini præceptum implebimus dicens: Qui non accipit crucem suã Mat. 10.
& sequitur me, non est me dignus. Sed forte dicas: Quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca



modo potest homo crucem suam iugiter portare? vel quē admodum viuens quis possit esse crucifixus? Audi rationem breuiter.

*Quod crux nostra timor Domini sit. Cap. XXXV.*

CRux nostra timor Domini est. Sicut ergo crucifixus quis iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi vel conuertendi habet potestatem, ita & nos voluntates nostras ac desideria non secundum id, quod nobis suaue est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa cōstrinxerit applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino solicitudine curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permouetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet iniurijs, non præteritarum iam recordatur, seque cum adhuc spirat in corpore cunctis elementis credit esse defunctum, illuc immittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat ilico transiturum: ita nos quoq. timore Domini crucifixos, oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitijs, verumetiam ipsis elementis mortuos esse: illuc habētes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos. Hoc enim modo mortificatas poterimus vniuersas concupiscentias nostras & affectus habere carnales.

*Quod renuntiatio nostra nil prosit, si ijsdem quibus renuntiauimus implicemur. Cap. XXXVI.*

CAue ergo ne quid aliquando eorum resumas quæ renuntians abiecisti, & contra Domini interdictum de
*Matt. 24.* agro euangelicæ operationis reuersus, inueniaris tunica
tua qua te spoliaueras reuestiri. neque ad humiles terrenasque mundi huius concupiscentias ac studia reuoluaris, &
*Ibid.* contra Euangelij mandatum, de perfectionis tecto descendens, tollere aliquid præsumas ex his quæ abrenuntians abdicasti. Caue ne parentum, ne affectionis pristinæ recorderis, & ad curas huius sæculi solicitudinesq. reuoca-
*Luc. 9.* tus, secundum Saluatoris sententiam, ponens manum tuā super aratrum, & aspiciens retro, regno cælorum aptus esse non possis. Caue ne quando superbiam quam nunc incipiens



cipiens ardore fidei ac pia humilitate calcasti, cum cœperis psalmorum vel professionis huius quandam notitiā degustare, paulatim elatus resuscitare mediteris, ac secun-
dum Apostoli sententiam; quæ destruxisti iterum reædifi- *Galat. 2.*
cans, prævaricatorem constituas temetipsum: sed potius vt in hac nuditate quam coram Deo & angelis eius professus es, ad finem vsq. perdures. In hac quoq. humilitate ac patientia, qua vt suscipereris in monasterio decem diebus pro foribus perseverās, multis lacrymis imploraſti, nō solummodo persistas, verumetiam proficias atque succrescas. Satis enim miserum est, vt cum debeas a rudimentis ac primordijs tuis prouehi, & ad perfectionem tendere, etiā ab ipsis incipias ad inferiora decidere. Non enim qui cœ- *Mat. 10.*
perit hæc, sed qui perseuerauerit in his vsque ad finem, hic saluus erit.

*Quod diabolus nostro fini semper insidietur, & nos eius caput iugiter obseruare debeamus. Cap. XXXVII.*

VErsutus enim serpens calcanea nostra semper obser- *Gen. 3.*
uat; id est, insidiatur exitui nostro, & vsq. in finem vi- *sec. LXX.*
tæ nostræ nos supplantare conatur. Et idcirco bene cœpisse nil proderit, nec pleno feruore renuntiationis arripuisse principia, si hæc congruus etiam finis similiter non commendauerit atque concluserit: Christique humilitas atque paupertas, quam nunc coram ipso professus es, vsq. ad extremum vitæ quemadmodum arrepta est, a te non fuerit custodita. Quod vt possis implere, tu eius capita, id est, co- *Ibid.*
gitationum principia semper obserua; ad seniorem scilicet mox ea deferens. Ita enim discēs pernicioſa eius initia conterere, si nihil ex eis seniori tuo erubueris reuelare.

*De renuntiantis præparatione aduersum tentationes, & de paucis imitandis. Cap. XXXVIII.*

QVa propter secundum scripturæ sententiam, egressus *Eccli. 2.*
ad seruiendum Domino, sta in timore Dei, & præpara animam tuam, non ad requiem, non ad securitatem, *Act. 14.*
non ad delicias, sed ad tentationes & angustias. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Angusta namq. est porta, & arta via quæ ducit ad vitam, *Matth. 7.*
& pauci sunt qui inueniunt eam. Considera ergo te de paucis & electis effectum, & ne exemplo ac tempore mul-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tudinis refrigescas, sed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. &: Pusillus est grex, cui complacuit patri hereditatem dare. Itaq. non leue noueris esse peccatum, perfectionem professum quempiam, ea quæ sunt imperfecta sectari. Ad quem perfectionis statum his gradibus atque hoc ordine peruenitur.

*Matt. 20. Luc. 12.*

*Quo ordine quis ad perfectionem valeat peruenire, per quam de timore Dei ad charitatem consequenter ascendat. Cap. XXXIX.*

*Prou. 9.* PRincipium nostrę salutis eiusdemq. custodia, sicut dixi, timor Domini est. Per hunc enim & initium cõuersionis, & vitiorum purgatio, & uirtutum custodia, his qui imbuuntur ad viam perfectionis acquiritur. Qui cum penetrauerit hominis mentem, contemptum ei rerum omnium parit, obliuionem parentum, mundique ipsius gignit horrorem. Contemptu autem ac priuatione facultatum omnium, humilitas acquiritur. Humilitas vero his indicijs comprobatur. primo si mortificatas in se habeat omnes voluntates. secundo si non solum actuum suorum, verum etiam cogitationum nihil suum celauerit seniorem. tertio si nihil suæ discretioni, sed iudicio eius vniuersa committat, ac monita eius sitiens libenter auscultet. quarto si in omnibus seruet obedientiam, mansuetudinem, & patientiæ constantiam. quinto si non solum iniuriam inferat nulli, sed ne ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atq. tristetur. sexto si nihil agat, nihil præsumat quod non vel communis regula vel maiorum cohortentur exempla. septimo si omni vilitate contentus sit, & ad omnia se quæ sibi prębentur, velut operarium malum, iudicarit indignum. octauo si semetipsum cunctis inferiorem, non superficie pronuntiet labiorum, sed intimo cordis credat affectu. nono si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce. decimo si non sit facilis ac promptus in risu. Talibus namq. indicijs & his similibus humilitas vera dinoscitur. Quæ cum fuerit in veritate possessa, confestim te ad charitatem, quæ timorem non habet, gradu excellentiore perducet: per quam vniuersa quæ prius non sine pœna formidinis obseruabas, absque vllo labore velut naturaliter incipies custodire, non iam contemplatione supplicij

*1. Ioan. 4*



plicij vel timoris vllius, sed amore ipsius boni & delectatione virtutum.

*Quod non debeat monachus exempla perfectionis a multis expetere, sed ab vno vel paucis. Cap. XL.*

AD quod vt valeas facilius peruenire, exempla tibi sunt imitationis ac vitæ perfectę in congregatione commoranti, a paucis, immo ab vno vel duobus, nõ a pluribus expetenda. Nam præter id quod examinata vita atq. ad purum excocta reperitur in paucis, etiam istud ex hoc vtilitatis accedit, quòd ad perfectionem propositi huius, ideſt, cœnobialis vitę, diligentius quis vnius imbuitur ac formatur exemplo.

*Quarum debilitatum similitudinem suscipere debeat, qui in cœnobio commoratur. Cap. XLI.*

QVę omnia vt possis consequi, & sub hac regula spiritali perpetuo perdurare, tria hæc in congregatione necessario custodienda sunt tibi. vt scilicet, secundum Psalmistæ sententiam, qui ait: Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus qui non aperit os suum: & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes; tu quoque velut surdus ac mutus & cæcus incedas, vt absque illius contemplatione qui tibi fuerit ad imitandum merito perfectionis electus, vniuersa quęcumque videris minus ædificationis habentia, velut cæcus non videas; ne animatus eorum qui hæc agunt auctoritate vel forma, ad id quod deterius est, & quod ante damnaueras, traducaris. Si inobedientem, si contumacem, si detrahentem audieris, vel secus quàm tibi traditum est aliquid admittentem, non offendaris, nec ad imitandum eum tali subuertaris exemplo; sed vt surdus qui hæc penitus nec audieris, vniuersa transmittas. Si tibi ingeruntur conuicia, si irrogantur iniuriæ, esto immobilis, & vt mutus ausculta, semper hunc Psalmistæ versiculum in tuo corde decantans: Dixi, custodiam vias meas, ut nõ delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersus me. obmutui & humiliatus sum, & silui a bonis. Verum & quartum hoc præ omnibus excole, quod hæc quæ supra diximus tria commendet atq. ornet, ideſt, ut stultum te, secundum Apostoli sententiam,

*Psal. 37.*

*Psal. 38.*

*1. Cor. 3.*

rentiam, facias, in hoc mundo, vt sis sapiens. nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his quæ tibi fuerint imperata; sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantum modo sanctum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit. Tali enim institutione fundatus, sub hac disciplina poteris durare perpetuo, & de cœnobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus deuolueris.

*Quod bonum patientiæ suæ non debeat monachus de aliorum sperare virtute, sed de sua longanimitate. Cap. XLII.*

ERgo patientiam tuam non debes de aliorum sperare virtute; id est, vt tunc eam tãtum modo possideas cum a nemine fueris irritatus: quod † ne possit non euenire, tuæ non subiacet potestati, sed potius de humilitate tua & longanimitate, quæ in tuo pendet arbitrio.

al. vt possit.

*Recapitulatio expositionis per quam monachus ad perfectionem possit ascendere. Cap. XLIII.*

ET vt hęc omnia quæ latiori sermone digesta sunt, cordi tuo facilius inculcẽtur, ac tenacissime tuis sensibus valeant inhærere, quoddam ex his breuiarium colligam, per quod possis breuitate & compendio mandatorum memoriter vniuersa complecti. Audi ergo paucis ordinem, per quem scandere ad perfectionem summam sine vllo labore ac difficultate perualeas. Principium nostræ salutis sapientiæque, secundum scripturas, timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris. De compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. Mortificatione voluntatum extirpantur atque marcescunt vitia vniuersa. Expulsione vitiorum virtutes fructificant atq. succrescunt. Pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur. Puritate cordis apostolicæ charitatis perfectio possidetur.

Prou. 9.

LIBRI IV. FINIS.

IOAN.

# IOANNIS CASSIANI EREMITÆ DE SPIRITV GASTRIMARGIAE.

## *LIBER QVINCTVS.*

*Transitus de institutis cœnobiorum ad collectationem octo principalium vitiorum. Cap. I.*

QVinctus nobis iuuante Deo liber iste proceditur. Nam post quattuor libellos qui super institutis monachorum digesti sũt, nunc arripere collectationem aduersus octo principalia vitia, vestris orationibus Domino confortante disponimus. ideſt, primum Gastrimargiæ, quæ interpretatur gulæ concupiscentia. secundum Fornicationis. tertium Philargyrię, quod intelligitur auaritia, vel vt proprius exprimatur, amor pecuniæ. quartum Iræ. quinctum Tristitiæ. sextum Acediæ, quod est anxietas siue tædium cordis. septimum Cenodoxiæ, quod sonat vana seu inanis gloria. octauum Superbiæ. Quem ineũtes agonem, tuis precibus, o beatissime Papa Castor, nunc impensius indigemus; ut primum naturas eorum, tam minutas, tam occultas, tamq. obscuras inuestigare condigne; deinde causas eorundem sufficienter exponere; tertio vt idoneas curationes eorum ac remedia possimus inferre.

γαστριμαργία
φιλαργυρία
ἀκηδία
κενοδοξία

*Quod causæ vitiorum sicut in omnibus immorantur, ita ab omnibus ignorantur: & quod ad manifestandas eas Domini egeamus auxilio. Cap. II.*

QVarum passionũm causæ quemadmodum cum patefactæ fuerint traditionibus seniorum ab omnibus protinus agnoscuntur, ita priusquam reuelentur cum ab ipsis vniuersi vastemur, & in cunctis hominibus immorentur, ab omnibus ignorantur. Verum eas ita nos aliquatenus explicare posse confidimus, si intercessionibus vestris ad nos quoque ille qui per Esaiam prolatus est sermo Domini dirigatur: Ego ante te ibo, & potentes terræ humiliabo; portas æreas † conterã, & vectes ferreos † confringam,

Esa. 45.
al. cõfringam
al. cõterã

Universidad de Deusto
Biblioteca



gam, & aperiam tibi thesauros absconditos & arcana secretorum. vt nos quoq. uerbum Dei præcedens, primùm terræ nostræ potentes humiliet, id est, has eadem quas expugnare cupimus passiones, dominationem sibi ac tyrannidem sæuissimam in nostro mortali corpore uindicantes, easq. faciat indagini nostrę atque expositioni succumbere, & ita nostrę ignorationis portas effringens, ac uitiorum uectes excludentium nos a uera scientia conterens, ad secretorum nostrorum nos arcana perducat, ac secundum Apostolum, illuminatis nobis reuelet ea quæ sunt abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium, ut sic ad tetras uitiorum tenebras purissimis oculis animæ penetrantes, patefacere eas ac producere possimus ad lucem, earumq. causas atque naturas his, qui uel caruerunt eis, uel adhuc obligati sunt pandere ualeamus: & ita secundum prophetam, transeuntes per ignem uitiorum dirissime nostras exurentium mentes, confestim per aquas quoq. virtutum extinguentium scilicet ea, transire possimus illæsi, ac spiritalibus remediis irrorati, ad refrigerium perfectionis puritate cordis mereamur educi.

*Rom. 6.*

*1. Cor. 4.*

*Psal. 65.*

*Quod prima nobis colluctatio sit aduersus Spiritum Gastrimargiæ, ideſt, concupiscentiam gulæ. Cap. III.*

ITaque primum ineundum certamen est aduersus Gastrimargiam, quam diximus gulę esse concupiscentiam. Et in primis de modo ieiuniorum & escarum qualitate dicturi, rursus ad Aegyptiorum traditiones ac statuta recurremus; quibus sublimiorem continentię disciplinam, & perfectam discretionis inesse rationem nullus ignorat.

*Testimonium abbatis Antonij quo docet vnamquamque virtutem ab illo, qui eam peculiarius possidet, expetendam. Cap. IV.*

VEtus namque est beati Antonij admirabilisq. sententia, monachum qui post cœnobiale propositum fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere, & apprehenso discretionis examine, proprio iam potens est stare iudicio, atque ad arcem anachoreseos peruenire; minime debere ab vno quamuis summo vniuersa genera virtutum expetere. Alius enim scientiæ floribus exornatur, alter discretionis ratione robustius communitur, alter patientiæ grauitate



grauitate fundatur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius simplicitatis gratia decoratur. hic magnanimitatis, ille misericordiæ, iste vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris studio ceteros superare minet. Et idcirco monachum spiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam debere vnamquamq. virtutem ab his qui eam familiarius possident deflorare, & in sui pectoris vase diligēter recondere; nec quid minus aliquis habeat discutere; sed hoc tantum, quid virtutis habeat contemplari studioseq. decerpere. Cunctas namq. si ab vno volumus mutuari, aut difficile aut certe numquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Quia licet necdum Christum omnia factum secundum Apostolum videamus in omnibus, tamen hoc modo possumus cum, id est, per partes in omnibus inuenire. De ipso enim dicitur: Qui factus est nobis ex Deo sapientia, iustitia, sanctitas & redemptio. Dum ergo in alio sapientia, in alio iustitia, in alio sanctitas, in alio mansuetudo, in alio castitas, in alio humilitas, in alio patientia reperitur, membratim Christus per vnumquemq. nunc sanctorum diuisus est. Concurrentibus vero vniuersis in vnitatem fidei ac virtutis, reditur in virum perfectum, plenitudinem sui corporis in singulorum membrorum compage ac proprietate perficiens. Donec ergo veniat illud tempus, quo sit Deus omnia in omnibus, in præsenti potest hoc quo diximus modo, id est, per partes virtutum esse in omnibus Deus, licet nondum per plenitudinem earum omnia sit in omnibus. Quia licet vnus religionis nostræ sit finis, professiones tamen diuersæ quibus ad Deum tendimus: sicut in collationibus seniorum plenius disputandum est. Ideoq. discretionis & continentię forma ab his est nobis peculiaribus expetenda, a quibus virtutes has per gratiam Spiritus sancti vberius videmus effluere. non quòd † vllus quæ in multos diuisa sunt solus possit acquirere, sed vt in his bonis quorum capaces esse possumus, ad eorum nos imitationem qui ea peculiarius obtinuere tendamus.

*Coloss. 3.*

*1. Cor. 2.*

*Ephes. 4.*

*Coloss. 3.*

*al. vnus*

*Quod non possit ab omnibus vniformis ieiuniorum regula custodiri. Cap. V.*

ITaq. super ieiuniorum modo haud potest facile vniformis regula custodiri, quia nec robur vnum cunctis corpori-

Universidad de Deusto
Biblioteca



poribus ineſt, nec ſicut ceteræ virtutes animi ſolius rigore parantur. Et idcirco quia non in ſola fortitudine mentis animæq. conſiſtunt (cum corporis enim poſſibilitate participant,) talem his definitionem traditam nobis accepimus. diuerſum quidem eſſe refectionis tempus, ac modum, & qualitatem, pro impari ſcilicet corporum ſtatu vel ætate, vel ſexu; vnam tamen eſſe omnibus, pro mentis continentia atq. animi virtute; caſtigationis regulam. Neq. enim cunctis poſſibile eſt hebdomadibus protelare ieiunia, ſed ne triduana quidem vel biduana inedia refectionem cibi diferre. A multis quippe ægritudine, & maxime ſenio iam † defeſſis, ne vſq. ad occaſum quidem ſolis ieiunium ſine afflictione toleratur. Non omnibus infuſorum leguminum eſus conuenit eneruatus, nec cunctis purorum olerum habilis eſt parſimonia, nec vniuerſis ſicci panis refectio caſtigata conceditur. Alius quantitate librarum duarum ſaturitatem non ſentit, alius libræ vnius ſiue vnciarum ſex edulio prægrauatur; attamen vnus in omnibus his continentiæ finis eſt, ne quis iuxta menſuram capacitatis ſuæ ſaturitatis onerętur ingluuie. Non enim qualitas ſola, ſed etiam quantitas eſcarum aciem cordis obtundit, ac mente cum carne pariter impinguata, noxium vitiorum fomitem igneumq. ſuccendit.

al. defeßis.

*Quod non ſolo vino mens inebriatur. Cap. VI.*

QVilibet eſcis refectus venter ſeminaria luxurię parit, nec prævalet mens diſcretionum gubernacula moderari, ciborum pondere præfocata. Non ſola crapula vini mentem inebriare conſueuit, ſed cunctarum eſcarum nimietas vacillantem eam ac nutabundam reddit, omniq. integritatis ac puritatis contemplatione deſpoliat. Sodomitis cauſa ſubuerſionis atq. luxurię, non vini crapula, ſed ſaturitas extitit panis. Audi Dominum per prophetam Hieruſalem increpantem; Quid enim peccauit ſoror tua Sodoma, niſi quia panem ſuum in ſaturitate & abundantia comedebat? Et quia per ſaturitatem panis inextinguibili carnis fuerant ardore ſuccenſi, iudicio Dei cælitus ſunt igne ſulphureo concremati. Quod ſi illos ſola nimietas panis ad tam præruptum præcipitium flagitiorum vitio ſatietatis impegit; quid cenſendum eſt de his qui vegeto corpore perceptionem carnium ac vini immoderata vbertate præſumunt, non quantum expetit imbecillitas, ſed quantum animi libido ſuggerit vſurpantes?

Ezech. 16

Gen. 19.



*Qua ratione infirmitas carnis puritatem cordis nequeat impedire. Cap. VII.*

INfirmitas carnis ad puritatem cordis non officit, ſi hæc tantúmodo, quæ fragilitas, non quæ voluptas exigit, vſurpentur. Facilius vidimus viros qui ab eſcis corpulentioribus omnimodis temperarent, quàm moderate vſos pro neceſſitate conceſſis; & qui totumſibi pro continentiæ amore denegarent, quàm cui eas ſub infirmitatis occaſione ſumentes menſuram ſufficientię cuſtodirent. Habet etiam corporis imbecillitas continentiæ ſuæ palmam; dummodo eſcis defectioni carnis indultis adhuc indigentem ſe refectione defraudet; tantumq. eſus indulgeat, quantum ſufficere ad viuendi vſum temperantiæ diſcretio rigida iudicarit, non quantum deſiderij appetitus expoſcit. Eſculentiores cibi vt procurant corporis ſanitatem, ita caſtitatis non adimunt puritatem, ſi cum moderatione ſumantur. Quidquid enim fortitudinis eſu eorum percipitur, ægritudinis labore ac defectione conſumitur. Quamobrem vt nulli ſtatui virtus parſimoniæ adimitur, ita ne integritatis quidem conſummatio denegatur.

*Quo perfectæ continentiæ fine eſca ſumenda ſit. Cap. VIII.*

VEriſſima eſt itaq. patrum probatiſſimaq. ſententia, ieiuniorum & continentiæ modum in menſura parcitatis tantum & caſtigatione conſiſtere: & hunc eſſe perfectæ virtutis in commune omnibus finem, vt eſcis, quas ſumere ſuſtentandi corporis neceſſitate compellimur, adhuc in appetitu earum poſiti temperemus. Quamuis enim quis corpore ſit infirmus, perfectam uirtutem æque quàm robuſtus ac ſanus in omnibus poſſidebit, ſi deſideria quę fragilitas carnis exigit, mentis rigore caſtiget. Apoſtolus namq. ait: Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Non ergo curam eius omnimodis interdixit, ſed ut in deſideriis fieret, denegauit. Voluptuoſam ademit diligentiam carnis, gubernationem vitæ neceſſariam non excluſit: illud ne indulgentia carnis ad deſideriorum occupationes noxias deuoluamur, hoc uero ne corruptum noſtro uitio corpus ſpiritales ac neceſſarias functiones implere non poſſit.

Rom. 13.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De mensura castigationum assumendarum, remedioq. ieiunij. Cap. IX.*

SVmma igitur continentiæ non sola temporis ratione, nec escarum qualitate tantummodo, sed ante omnia conscientiæ iudicio colligenda est. Tantum enim debet vnusquisq. sibi frugalitatis indicere, quantum corporeæ obluctationis pugna deposcit. Vtilis quidem & omnimodis obseruanda est canonica ieiuniorum custodia; sed nisi hanc frugi fuerit ciborum refectio subsecuta, ad integritatis calcem non poterit peruenire. Longorum namq. ieiuniorum inedia, saturitate corporis subsequente, lassitudinem potius temporalem, quàm puritatem castitatis acquirit. Integritas mentis ventris cohæret inediæ. Non habet perpetuam castimoniæ puritatem, quisquis non iugem temperantiæ æqualitatem tenere contentus est. Quamuis enim districta sint ieiunia, succedente superflua remissione vacuantur, & in Gastrimargiæ vitium protinus collabuntur. Melior est rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quàm per interualla arduum longumq. ieiunium. Nouit immoderata inedia non modo mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficaciam reddere lassitudine corporis eneruatam.

*Ad conseruandam mentis & corporis puritatem abstinentiã ciborum non posse sufficere. Cap. X.*

AD integritatem mentis & corporis cõseruandam abstinentia ciborum sola non sufficit, nisi fuerint ceteræ quoq. virtutes animæ coniugate. Humilitas igitur primitus obedientiæ virtute, & cordis contritione, corporisq. fatigatione discenda est. Pecuniarum non solum est vitanda possessio; sed etiam desiderium earum penitus extirpandum. Non enim eas sufficit non habere, quod plerumq. solet etiam ex necessitate descendere; sed ne ipsam quidem, si forte oblatæ fuerint, habendi recipere voluntatem. Iræ conterẽdus est furor, Tristitiæ superãda deiectio, Cenodoxia, id est, vana gloria contemnenda, Superbiæ calcandus est fastus, mentis quoq. ipsius instabiles vagiq. discursus assidua Dei memoria refrænandi. Totiensq. nobis est ad contemplationẽ Dei lubrica cordis nostri peruagatio reducẽda, quotiens subtilis hostis ab hoc intuitu mẽtem captiuare pertentãs, recessibus nostri cordis irrepserit.

*Con-*



*Concupiscentias cordis non extingui nisi omni extirpatione vitiorum. Cap. XI.*

IMpossibile namque est extingui ignita corporis incentiua, priusquam ceterorum quoq. principalium vitiorum fomites radicitus excidantur; de quibus singillatim distinctis libellis suo loco, donante Domino, disseremus. Nunc vero propositum nobis est de Gastrimargia, id est, gulæ concupiscentia, contra quam nobis primus conflictus est, disputare. Numquam igitur poterit ardentis concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ refrænate nequiuerit. Interioris hominis castitas, virtutis huius consummatione discernitur. Numquam enim robustioribus æmulis colluctari posse confidas eum, quem in leuiore conflictu conspexeris ab infirmioribus paruisq. superari. Cunctarum namq. virtutum vna natura est, licet in multas diuidi species & vocabula videatur; sicut auri una substantia est, licet per multa variaq. monilium genera pro artificum videatur ingenio ac voluntate distincta. Itaq. nullam perfecte possidere probabitur, quisquis elisus in earum parte dinoscitur. Quo enim modo flagrantes æstus concupiscentiæ, qui nõ sola instigatione corporis, sed & etiam mentis vitio succenduntur, extinxisse credendus est, qui aculeos iręcordis solius intemperantia prorumpentes mitigare non potuit? Aut quonam modo putandus est carnis animæque lasciuientes stimulos retudisse, qui superbię vitium simplex non quiuit euincere? Aut quemadmodum credendus est insertam carni luxuriam conculcasse, qui pecuniarum concupiscentiam forinsecus sitam, atque a substantia nostra alienam non valuit abdicare? Qua autem ratione bellum carnis & animæ triumphabit, qui idoneus non fuit morbum curare tristitiæ? Quantalibet vrbs sublimitate murorum & clausarum portarum firmitate muniatur, posterulæ vnius quamuis paruissimæ proditione vastabitur. Quid enim differt, vtrum per excelsa mœnia & ampla portarum spatia, an per cuniculi anguſti latibula pernicioſus hoſtis penetralibus ciuitatis irrepat?

*De agone carnali etiam spiritalis agonis imitationem esse sumendam. Cap. XII.*

QVi in agone contendit, non coronabitur nisi legitime certauerit. Qui naturales appetitus carnis optat ex- *2.Tim.2.*

E tingue-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tinguere, extra naturam vitia collocata primitus superare festinet. Si enim apostolicæ sententiæ vim volumus experiri, quę sint agonis mundani leges, ac disciplina primitus debemus agnoscere; vt ita demum harum comparatione scire possimus, quid nos in spiritali agone certantes beatus Apostolus hoc exemplo voluerit edocere. In illis enim certaminibus, quæ, secundum eundem Apostolum, corruptibilem coronam vincentibus parant, mos ille seruatur, vt is qui se ad glorioſam coronam, & immunitatis priuilegio decoratam præparare contendit, & perfecta cupit agonis subire certamina, prius in Olympiacis, ac Pythijs certaminibus indolē suę iuuentutis ac rudimentorum robur ostentet. In his siquidem iuniores, qui has disciplinas cupiunt profiteri, vtrum mereātur, vel debeant ad eas admitti, tam eius, qui istis certaminibus præsidet, quàm totius populi iudicio comprobantur. Cumq. diligenter examinatus quis primum repertus fuerit nulla vitæ respersus infamia, deinde non seruitutis iugo ignobilis, & ob hoc indignus disciplina, vel congressu eorum, qui hāc profitentur, fuerit iudicatus, tertio si artis, si fortitudinis digna præferat documenta, & iunioribus, coæuisq. decertās, peritiam pariter, ac virtutem suæ demonstrauerit iuuētutis, ac proficiens de ephebis luctamine, perfectis iam viris, & experientia longa probatis congredi permissus fuerit præsidentis examine, seq. non solum parem virtutis eorum assidua collucta-
tione probauerit, verumetiam frequenter inter hos quoque victorię palmam fuerit consecutus; tum demum ad agonis præclara certamina merebitur peruenire, in quibus non nisi victoribus tantum, & his qui multarum coronarum stipendijs decorati sunt, facultas conceditur decertandi. Si intelleximus carnalis agonis exemplum, spiritalis quoque certaminis, quę disciplina, vel ordo sit, comparatione huius debemus agnoscere.

1.Cor. 9.

*Quod, nisi gulæ fuerimus vitio liberati, nequaquam possimus ad pugnas interioris hominis peruenire.*
*Cap. XIII.*

OPortet nos quoq. primum libertatem nostram carnis subiectione monstrare. A quo enim quis vincitur, ei & seruus addicitur. Et: Omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. Cumque nos nulla concupiscentiæ turpis respersos

2.Petr 2.
Ioan. 8.



spersos infamia examen certamini præsidentis inuenerit, nec fuerimus ab eo vt serui carnis, & ignobiles indigni Olympiacis vitiorum colluctationibus iudicati; tunc poterimus contra coæuos nostros, id est, concupiscentiam carnis, & motus, ac perturbationes animæ inire certamē. Impossibile namq. est saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri: nec bellis robustioribus attentari, dignum est, eum, qui potest deijci leuiore conflictu.

*Quomodo possit gulæ concupiscentia superari. Cap. XIV.*

PRima ergo nobis est gulæ calcanda concupiscentia, & eo vsq. extenuanda mens non solum ieiunijs, verum etiam vigilijs, lectione quoque, & crebra compunctione cordis, in quibus se forsitan, vel illusam; vel victam reminiscitur ingemiscens, nunc horrore vitiorum, nunc desiderio perfectionis, & integritatis accensa; donec eiusmodi curis, ac meditationibus occupata pariter, ac possessa, ipsius cibi refectionē non tàm iucunditati concessam quàm oneris vice sibi impositam recognoscat, magisque eam necessariam corpori, quàm desiderabilem animæ sentiat attributam. Quo studio mentis, & iugi compunctione detenti lasciuiam carnis, quæ fotu escarum vehementius insolescit, & aculeos eius noxios retundemus; atque ita fornacem corporis nostri, quæ a rege Babyloniæ occasiones pec catorum & vitia nobis iugiter subministrante succendi-
tur, quibus naphthę, & picis vice acrius exuramur, vbertate lacrymarum, & fletu cordis poterimus extinguere: donec Dei gratia, spiritu oris sui in cordibus nostris insibilante, æstus carnalis concupiscentiæ penitus valeant consopiri. Hæc est igitur nobis prima contentio, hæc nostra velut in Olympiacis certaminibus prima probatio, gulæ, ventrisq. concupiscentiam desiderio perfectionis extinguere. Ob quod ciborum non solum superfluus appetitus virtutum contemplatione calcandus; sed etiam ipsi naturæ necessarius tamquam castitati contrarius, non sine cordis anxietate sumendus est. Et ita demum vitę nostræ instituendus est cursus, vt nullum magis sit tempus, quo sentiamus nos a spiritalibus studijs reuocari, quàm quo descendere ad necessariam corporis curam eius fragilitate compellimur. Cumq. ad hanc necessitatem submittimur, vsui potius vitæ, quàm mentis desiderio famulantes

Dan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca



quantocius ab ea, velut a salutaribus nos studijs retrahente, subtrahi festinemus. Nequaquam enim poterimus escarum præsentium spernere voluptates, nisi mens contemplationi diuinæ defixa, amore virtutum potius & pulchritudine rerum cælestium delectetur. Et ita quis uelut caduca, despiciet vniuersa præsentia, cũ ad ea quæ immobilia sunt & æterna, inseparabiliter defixerit mentis obtutum, adhuc in carne positus futuræ commorationis beatitudinem iam corde contemplans.

### *Quomodo ad custodiendam cordis sui puritatem monachus semper esse debet intentus. Cap. XV.*

VElut si quis immania virtutũ præmia in sublimi quibusdam paruis indiciis designata, perspicacissimis oculorum obtutibus cum teli directione tendentibus ferire festinet, sciens immensam gloriæ palmam & remunerationis præmia in eorum confixione consistere, oculorum aciem ab omni intuitu auertens, illuc dirigat necesse est, vbi summam remunerationis & præmij perspicit collocatam: amissurus proculdubio peritiæ palmam & remunerationem virtutis, si quantulumcumque contemplationis eius acies deuiauerit.

### *Quod monachus secundum Olympiaci certaminis morem nõ possit spiritales conficere pugnas, nisi obtinuerit bella carnalia. Cap. XVI.*

ITaque ventris & gulæ concupiscentia hoc intuitu superata, nec serui carnis, nec infames vitiorum nota pronũtiati, velut in Olympiacis disciplinis, iudicabimur superiorum quoq. certaminum digni esse conflictu; præmissisq. huiuscemodi documentis, spiritalibus quoq. nequitiis congredi posse credemur; quæ non nisi victoribus tantum & his qui merentur in spiritali agone contendere, concertare dignantur. Illud enim est cunctorũ luctaminũ velut quoddam solidissimũ fundamentũ; vt primitus carnaliũ desideriorum incentiua perimantur. Nam nullus carne propria nõ deuicta legitime poterit decertare. Et qui legitime non
2.Timo.2 decertat, sine dubio nec in agone confligere, nec coronæ gloriam uictoriæ gratia poterit promereri. Quòd si hoc fuerimus superati certamine, uelut serui carnalis concupiscentię comprobati, & per hoc nec libertatis nec roboris



ris insignia præferentes, a spiritalium congressionum conflictu, vt indigni serui non sine confusionis nota protinus repellemur. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est *Ioan. 8.* peccati. Diceturq. nobis per beatum Apostolum cum his inter quos fornicatio nominatur: Tentatio vos non appre- *1.Cor.10.* hendit, nisi humana. Non enim merebimur mentis robore conquisito grauiores pugnas nequitiarum cælestium experiri, qui carnem fragilem resistentem spiritui nostro subiugare nequiuimus. Quod Apostoli testimoniũ non intelligẽtes quidam, posuerunt pro indicatiuo optatiuum modum, εἴλῃφεν id est: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Quod ab ipso magis dici manifestum est non optantis sed pronũtiantis vel exprobrantis affectu.

### *Quod fundamentum ac basis spiritalis agonis in Gastrimargia sit certamine collocata. Cap. XVII.*

VIs audire verum athletam Christi legitimo agonis iure certantem? Ego igitur, inquit, sic curro, non quasi in *1. Cor. 9.* incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne alijs prædicans ipse reprobus efficiar. Vides vt in seipso, id est, in carne sua colluctationum summam velut in base quadam firmissima statuerat, & prouentum pugnæ in sola castigatione carnis & in subiectione sui corporis collocarat. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum. Non currit in incer- *Ibid.* tum qui cælestem Hierusalem conspiciens, defixum habet quo sibi cordis sui indeflexibilis sit dirigenda pernicitas. Non currit in incertum qui obliuiscens posteriora, ad *Phil. 3.* ea quæ priora sunt extendit se, ad destinatum persequens brauium supernæ uocationis Dei in Christo Iesu; quo semper dirigens suæ mentis obtutum, & ad eum omni cordis præparatione festinans, cum fiducia proclamat: Bonum *2.Tim.4.* agonem certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Et quia se nouerat post odorem vnguentorum Christi præpe- *Cant.1.* ti conscientiæ deuotione infatigabiliter cucurrisse, & spiritalis agonis certamen carnis castigatione vicisse, cum fiducia infert, & dicit: De cetero reposita est mihi corona iu- *2.Tim.4.* stitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Et vt nobis quoque similem retributionis spem aperiret, si in agone cursus istius imitari eum velimus, adiecit: Non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt ad- *Ibid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



uentum eius; participes nos coronæ suæ in die iudicij fore pronuntians, si diligentes aduentum Christi, non illum tantum, qui etiam nolentibus apparebit; sed etiam hunc, qui quotidie in sanctis commeat animabus, victoriam certaminis castigatione corporis acquiramus. De quo aduentu Dominus in Euangelio: Ego, inquit, & pater meus veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Et iterum: Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

*Ioan. 14.*

*Apoc. 3.*

*Per quot genera certaminum atq. palmarũ B. Apostolus ad coronam sublimissimi agonis ascenderit. Cap. XVIII.*

NEc tamen agonem cursus tantummodo se consummasse describit cum dicit: Sic cutro, non quasi in incertum; quod specialiter refertur ad intentionem mentis & feruorem spiritus sui, quo toto Christum sequebatur ardore, cum sponsa decantans: Post te in odorẽ vnguẽtorum tuorum curremus: & iterum: Adhæsit anima mea post te; sed etiam aliud colluctationis genus se vicisse testatur, dicens: Sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & seruituti subijcio. Quod proprie ad continentiæ labores, & corporale ieiunium, atq. afflictionem carnis pertinet; per hanc se pugilem quendam strenuum suæ carnis esse describens, nec in vanum aduersus eam ictus continentiæ exercuisse designans; sed triumphum pugnæ mortificatione sui corporis acquisisse; quo verberibus continentię castigato, & cęstibus ieiuniorum elisо, victori spiritui immortalitatis coronam, & incorruptionis contulit palmam. Vides legitimum colluctationis ordinem, & spiritalium certaminum contemplaris euentum, quemadmodum athleta Christi adeptus de rebellatrice carne victoriam, subiecta illa quodammodo † non pedibus suis, vt sublimis triumphator inuehitur. Et idcirco nõ currit in incertum, quia confidebat vrbem sanctam Hierusalem cælestem se protinus ingressurum. Sic pugnat ieiunijs scilicet & afflictione carnali, non quasi aerem verberans, id est, in vanum ictus continentiæ porrigens, per quos non aerem uacuum, sed illos spiritus, qui in eo versantur castigatione sui corporis verberabat. Qui enim dicit: Non quasi aerem uerberans; ostendit se, tametsi non aerem

*1. Cor. 9.*

*Cant. 1.*

*Psal. 62.*

*1. Cor. 9.*

*al. deest non.*

*Ibid.*



aerem vacuum & inanem; aliquos tamen in aere verberare. Et, quin hæc certaminum genera superarat, & ditatus multarum coronarum stipendijs incedebat; non immerito robustiorum incipit hostium subire luctamina, ac prioribus æmulis triumphatis, cum fiducia proclamat, & dicit. Iam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitię in cælestibus.

*Ephes. 6.*

*Quod athleta Christi, donec in corpore commoratur, pugna non desit. Cap. XIX.*

ATHletę Christi in corpore cõmoranti numquã † defit colluctationum palma; sed quanto magis triumphorum successibus creuerit, tanto ei etiam colluctationũ robustior ordo succedit. Subiugata etenim carne, atq. deiecta, quantę aduersariorum cohortes, quanta hostium agmina aduersum victorem triũphis eius instigata consurgunt? scilicet, ne pacis otio miles Christi lentescens incipiat obliuisci colluctationum suarum glorioſa certamina, ac securitatis inertia dissolutus, præmiorum stipendijs, ac triumphorum meritis defraudetur. Itaque, si ad hos triumphorũ gradus cupimus crescente virtute conscendere, eodem nos quoque ordine oportet præliorum inire certamina, & primum cum Apostolo dicere: Sic pugno, non quasi aerẽ verberans; sed castigo corpus meum, & seruituti subiicio: vt hoc conflictu superato, rursus cum eo possimus dicere: Nõ est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Aliter enim congredi cum illis nullo modo poterimus, nec spiritales pugnas merebimur experiri carnali deiecti conflictu, & colluctatione ventris elisi; meritoque nobis ab Apostolo cum exprobratione dicetur: Tentatio vos non apprehendit; nisi humana.

*al. deficit*

*1. Cor. 9.*

*Ephes. 6.*

*1. Cor. 10*

*Quod non debeat monachus sumendi cibi tempus excedere, si vult ad pugnas interiorum certaminum peruenire. Cap. XX.*

IGitur monachus ad pugnas interiorum certaminum cupiens peruenire, hanc in primis sibimet cautionem indicat,

Universidad de Deusto
Biblioteca



dicat,vt non porus quidquam, non esus, vlla oblectatione deuictus,ante stationem legitimam, cõmunemq. refectionis horam, extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat;sed ne refectione quidem transacta, ex his præsumere sibi quantulum cumq. permittat: similiter quoq. canonicũ somni tempus mensuramq. custodiat. Eodem namq. studio istæ sunt mentis amputandæ lasciuiæ, quo meretricationis vitium desecandum. Qui enim gulæ superfluos appetitus inhibere non potuit, quomodo æstus carnalis concupiscentiæ ualebit extinguere? Et qui non quiuit passiones in propatulo sitas paruasq. compescere,quemadmodũ occultas, nulloque hominum teste prurientes, moderatrice discretione poterit debellare? Et idcirco per singulos motus & in quolibet desiderio robur animæ comprobatur: quæ si in minimis apertisq. cupiditatibus superatur, quid in maximis ac fortioribus occultisq. sustineat, vnicuique sua conscientia testis est.

*De interiori monachi pace,& abstinentia spiritali.Cap.XXI.*

NOn enim est nobis aduersarius extrinsecus formidandus;in nobismetipsis hostis inclusus est. Intestinum nobis quotidie geritur bellum: deuicto eo omnia quæ forinsecus sunt reddentur infirma, ac militi Christi vniuersa pacata erunt & subdita. Non habebimus aduersarium nobis extrinsecus metuendum,si ea quæ intra nos sunt,spiritui deuicta subdantur. Nec solum nobis istud ieiunium visibilium ciborum ad perfectionem cordis, & corporis puritatem sufficere posse credamus, nisi huic fuerit animę quoque ieiunium copulatum. Habet namque & illa suos noxios cibos,quibus impinguata etiam sine escarum abũdantia ad luxuriæ prærupta deuoluitur. Detractio cibus eius est,& quidem persuauis. Ira etiam cibus eius est, licet minime lenis, ad horam tamen infelici eam esu pascens, ac pariter letali sapore prosternens. Inuidia cibus est mentis.virulentis eam succis corrumpens, & prosperitatis alienæ successibus iugiter miseram excruciare non desinens.Cenodoxia,id est uana gloria, cibus est eius, qui delectabili eam esca permulcet ad tempus, post vero vacuam omniq. virtute spoliatam reddit ac nudam, cunctis eam spiritalibus fructibus sterilem inanemque dimittens: ita vt non solum immanium laborum faciat merita deperire,



rire,verumetiam supplicia maiora conquirat. Omnis concupiscentia & peruagatio cordis instabilis, pastus quidam est animæ,noxiis escis eam nutriens; expertem vero cælestis panis ac solidi cibi in posterum derelinquens. Ab his itaque,quanta nobis est virtus, sacratissimo ieiunio continentes, vtilem habebimus commodamque obseruantiam ieiunij corporalis. Labor namq. carnalis spiritus contritioni cõiunctus, acceptissimum Deo sacrificium dignumque sanctitatis habitaculum puris mundisque recessibus exhibebit. Ceterum si corporaliter ieiunantes perniciosissimis animæ vitijs implicemur, nihil nobis proderit carnalis afflictio pretiosiore parte polluta. per eam scilicet substantiam delinquentibus nobis, qua efficimur habitaculum Spiritus sancti. Non enim tam corruptibilis caro, quàm cor mundum habitaculum Dei templumque Spiritus sancti efficitur. Oportet ergo exteriore homine ieiunante,interiorem quoq. similiter a cibis noxijs temperare: quem præcipue exhibere mundum Deo, vt hospitem in se Christum recipere mereatur, beatus Apostolus monet his verbis: In interiore, inquiens, homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris. *Ephes.3.*

*Quod idcirco nos oporteat exercere continentiam corporalẽ, vt per ipsam perueniamus ad spiritale ieiuniũ.Cap.XXII.*

NOuerimus itaque nos idcirco laborem continentiæ corporalis impendere, vt ad puritatem cordis hoc possimus ieiunio peruenire. Ceterum labor a nobis impenditur in cassum, si hunc quidem contemplatione finis infatigabiliter sustentemus,finem uero propter quem toleraumus afflictiones tantas, obtinere nequeamus. meliusque fuit interdictis escis animæ temperasse, quàm voluntariis minusq. noxijs corporaliter ieiunasse. In his enim simplex & innoxia creaturæ Dei perceptio est, nihil per semetipsam habens peccati;in illa vero primitus fratrum pernicioſa deuoratio,de qua dicitur:Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Et de ira atque inuidia beatus Iob dicit: Etenim stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.Simulque notandum,quòd qui irascitur stultus, & qui inuidet paruulus iudicetur Ille namque non immerito stultus iudicatur, uoluntarie sibi mortem iræ stimulis incitatus inducens: & hic dum liuet, paruulum, minoremq. se pro- *Prou. 20. sec. LXX. Iob.5.*

se probat. Dum enim inuidet, testatur maiorem esse eum, cuius prosperitate cruciatur.

### *Qualis esse monachi cibus debeat. Cap. XXIII.*

IGitur eligendus est cibus non tantum qui cõcupiscentiæ flagrantis æstus temperet, minusq. succendat, verumetiã qui ad parandum sit facilis; & quem ad comedendũ opportuniorem vilioris pretij compendium præstet; quiq. sit conuersationi fratrum vsuiq. communis. Triplex enim natura est Gastrimargiæ. vna quæ canonicam refectionis horam præuenire cõpellit: alia quæ tantũmodo ventris ingluuie & saturitate quarumlibet gaudet escarum: tertia quæ accuratioribus epulis & esculẽtioribus oblectatur. Ideoq. aduersus eam necesse est monachum obseruantiam triplicem custodire, id est, vt primum legitimum tẽpus absolutionis expectet: deinde vt castiget & refrænet desiderium carnis: tertio vt qualibuscumq. escis etiam vilioribus contentus sit. Quidquid enim extra consuetudinem præsumitur vsumq. communẽ, vt vanæ gloriæ atq. ostentationis morbo pollutum, antiquissima patrum traditio notat; nec quemquam ex his quos merito scientiæ ac discretionis enituisse peruidimus, vel quos ad imitandum gratia Christi velut splendidissima luminaria omnibus prælocauit, esu panis qui apud eos vilis habetur ac facilis, abstinuisse cognouimus: nec eorum quempiam, qui hanc regulam declinantes, prætermisso panis vsu, leguminum vel olerum seu pomorum refectionem sectati sunt, inter probatissimos habitum aliquã do conspeximus, sed ne discretionis quidem aut scientiæ gratiam consecutum. Non solum enim ceteras inusitatas escas expetere monachum non debere decernunt, ne videlicet cursus eius velut in propatulo cunctis expositus, inanis factus ac vacuus cenodoxiæ morbo depereat, sed ne ipsam quoq. ieiuniorum castigationem cõmunem cuiquam facile patefieri oportere pronuntiant; verum quantum fieri potest contegi pariter & abscondi. Aduentantibus autem fratribus magis humanitatis ac dilectionis offerri debere virtutem, quàm continentię districtionem & quotidiani propositi rigorem manifestari, probabilius censuerunt; nec quid voluntas vtilitasq. nostra seu desiderij ardor exposcat attendere, sed quod aduenientis requies vel infirmitas exigit præponere, & gratanter implere.

*Quod*



### *Quod in Ægypto indiferenter vidimus sub aduentu nostro soluui quotidiana ieiunia. Cap. XXIV.*

CVm de Syriæ partibus seniorum scita discerere cupientes, Ægypti prouinciam petissemus, ibiq. tanta cordis alacritate nos susscipi mirati sumus, ut nulla prorsus, sicut fueramus in Palæstinæ monasterijs instituti, usq. ad præstitutam ieiunij horam refectionis regula seruaretur, sed absq. legitimis quartæ, sexteq. feriæ, quocumq. perrexissemus, quotidiana statio solueretur: quidam seniorum percunctantibus nobis cur ita indifferenter apud eos præterirentur quotidiana ieiunia, respondit: Ieiunium semper est mecum; vos autem continuo dimissurus mecum iugiter tenere non possum. Et ieiunium quidem licet utile sit ac iugiter necessarium, tamen uoluntarij muneris est oblatio. Opus autem charitatis impleri, exigit præcepti necessitas. Itaq. susscipiens in uobis Christum, reficere eum debeo: deducens autem uos, humanitatem eius obtentu prębitam, districtiore ieiunio in memetipso potero compẽsare. Non enim possunt filij sponsi ieiunare, donec cum illis est sponsus. Cum autem discesserit, tunc illi ieiunabunt. *Mat. 10.* *Matth. 9.*

### *De continentia senis, qui ita sexies cibum sumpsit, vt seruaret esuriem. Cap. XXV.*

QVidam seniorum cum reficientem me, ut adhuc paululum quid ederem hortaretur, iamq. me non posse dixissem; respondit: Ego iam sexies diuersis aduenientibus fratribus mensam posui, hortansq. singulos, cum omnibus cibum sumpsi, & adhuc esurio; & tu primitus nũc reficiẽs, iam te non posse dicis?

### *De eo sene, qui in cella sua escam numquam solus accepit. Cap. XXVI.*

VIdimus alium in solitudine commorantem, qui numquam se sibi soli indulsisse cibum testatus est, sed ẽt si per totos quinque dies ad eius cellulam nullus e fratribus aduenisset, refectionem iugiter distulisse donec sabbatorum uel Dominico die deuotæ congregationis obtentu procedens ad ecclesiam, peregrinorum quempiam reperisset; quem exinde reducens ad cellulam, consorte eo refectionem corporis, non tam suę necessitatis obtentu, quàm humanitatis gratia causaq. fratris asumeret. Itaqtiẽ

ut no-

vt norunt in aduentu fratrum indifferenter soluere quotidiana ieiunia, ita discedentibus eis refectionem ob illos indultam continentia maiore compensant, perceptionem cibi paruissimi, acriore castigatione, nec sola panis, sed etiam somni ipsius diminutione durius exigentes.

*Qui de fructu studij sui professi sint abbas Pæsius, & Ioannes. Cap. XXVII.*

*al. Phesium.*

AD senem † Pæsium in eremo vastissima commorantē cū senex Ioannes magno cœnobio ac multitudini fratrum præpositus aduenisset, & ab eo velut antiquissimo sodale perquireret, quidnam per omnes quadraginta annos quibus ab eodem separatus in solitudine minime a fratribus interpellatus egisset: Numquam me, ait, sol reficiētem vidit, Et ille: Nec me, inquit, iratum.

*Quam exempli sui professionem abbas Ioannes discipulis reliquerit discessurus. Cap. XXVIII.*

EVndem senem cum alacrem tamquam ad propria trās migrantem, in extremo iam anhelitu positum anxij fratres circumuallantes suppliciter precarentur, vt aliquod eis memoriale mandatum velut hereditarium quoddam legatum relinqueret, per quod possent ad perfectionis culmen præcepti compendio facilius peruenire; ingemiscens ille: Numquam, ait, meam feci voluntatem, nec quemquam docui quod prius ipse non feci.

*De abbate Machete inter collationes spiritales numquam dormitante, & semper inter terrenas fabulas obdormiente. Cap. XXIX.*

VIdimus senem Machetē nomine, a turbis fratrū eminus cōmorantem, hanc a Domino gratiam diuturnis precibus impetrasse, vt quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio spiritalis, nūquā somni torpore penitus laxaretur. Si quis vero detractionis verbū seu otiosum tentasset inferre, in somnum protinus concidebat, nec vsq. ad auriū quidem eius pollutionē virus obloquij poterat peruenire.

*Eiusdem senis de nemine iudicando. Cap. XXX.*

HIc idem senex cum instituere nos neminē dijudicare debere, intulit; tria fuisse in quibus discussisset vel repre-



reprehenderit fratres. quòd scilicet vuam sibi nonnulli paterentur abscidi, quòd haberent in cellulis sagum, quòd oleum benedicentes exposcentibus sæcularibus darent; & hæc omnia se incurrisse dicebat. Nam ægritudinem vuæ contrahens, tamdiu, inquit, eius languore distabui, donec tam doloris necessitate quàm seniorum omnium adhortatione compulsus abscidi eam permitterem. Cuius etiam infirmitatis obtentu sagum quoque habere coactus sum. Oleum etiam benedicere, ac supplicantibus dare, quod præ omnibus execrabar, vtpote iudicans illud ex magna cordis præsumptione descendere, circumdantibus me repente sæcularibus multis ita constrictus sum, vt aliter eos nullatenus euadere possem, nisi a me summa ui & obtestationibus extorsissent, vt oblato ab eis vasculo manum meam impresso crucis signaculo superponerem: itaque se credentes benedictionis oleum consecutos, tandem me aliquando relaxarunt. Quibus mihi manifeste compertum est, ijsdem causis ac vitijs monachum obligari, in quibus de alijs iudicare præsumpserit. Oportet ergo vnumquēq. semetipsum iudicare tantūmodo, & circumspecte cauteq. custodire in omnibus, non aliorum conuersationem vitamq. discutere, secundum illud Apostoli præceptum: Tu autem quid iudicas fratrem tuum? suo domino stat aut cadit. Et: Nolite iudicare ante tempus. Et illud: Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Præter hanc enim quam diximus causam, etiam ob hoc iudicare de aliis periculosum est, quòd ignorantes vel necessitatem vel rationem qua illi hæc in quibus offendimus. aut recte coram Deo, aut venialiter agunt, inuenimur eos temere iudicasse, & per hoc admittimus nō leue peccatum, secus quàm oportet de fratribus nostris aliquid sentientes.

*Rom. 14.*

*1. Cor. 4.*

*Matth. 7.*

*Increpatio eiusdem senis, cum fratres inter spiritales collationes dormitantes, ad narrationem otiosæ fabulæ vidisset expergefactos. Cap. XXXI.*

HIc idem senex otiosarum fabularum diabolum esse fautorem, ac spiritalium collationum impugnatorem semper existere, his declarauit indiciis. Nam cum fratribus quibusdam de rebus necessarijs ac spiritalibus disputaret, eosq. videret lethæo quodam sopore demergi, nec posse

Universidad de Deusto
Biblioteca



posse ab oculis suis pondus somni depellere; otiosam repete fabulam introduxit. Ad cuius oblectationem cum eos euigilasse confestim, atq. erectas aures suas habere vidisset, ingemiscens ait: Nunc vsq. de spiritalibus loquebamur, & omnium vestrum oculi letali dormitatione deprimebantur: at cum otiosa fabula intromissa est, omnes expergefacti torporem somni dominantis excussimus. Vel ex hoc ergo perpendite, quisnam collationis illius spiritalis fuerit impugnator, aut quis huius infructuosæ atque carnalis insinuator existat. Ille etenim esse manifestissime deprehendetur, qui malis adgaudens, vel istam fouere, vel illam impugnare non desinit.

*De epistolis priusquam legerentur incensis, Cap. XXXII.*

NEc minus quoque hic opus fratris erga puritatem sui cordis intenti, & erga contemplationem diuinam valde soliciti, commemorari necessarium reor. Qui cum ei post annos quindecim patris ac matris amicorumq. multorum de prouincia Ponti complures epistolę delatæ fuissent, accipiens grandem fasciculum litterarum, diuq. apud semetipsum voluēs: Quantarum, inquit, cogitationum causa erit mihi harum lectio, quæ me vel ad inane gaudium, vel ad tristitias infructuosas impellent? quot diebus eorum recordatione qui scripserint, intentionem pectoris mei a proposita contemplatione reuocabunt? Post quantum temporis digerenda est hæc mentis concepta confusio, quantoq. labore rursus iste tranquillitatis reparandus est status, si semel animus litterarum permotus affectu, eorumq. recensendo sermones ac vultus quos tanto tempore dereliquit, iterum eos reuisere, ipsisq. cohabitare, & animo ac mente cœperit interesse? Quos profecto corporaliter deseruisse nil proderit, si corde eos incipiat intueri, ac memoriam quam sęculo huic renuntians quisque velut mortuus abdicauit, reuiuiscens eandem rursus admiserit. Hæc voluens in corde suo, non solum nullam resoluere epistolam definiuit, sed ne ipsum quidem fasciculum resignare: ne scilicet eorum qui scripserant vel nomina recensendo, uel vultus recordando, a spiritu sui intentione cessaret. Itaque vt eum constrictum susceperat, igni tradidit comburendum: Ite, inquiens, cogitationes patriæ, pariter concremamini, ne me vlterius ad illa quæ fugi, reuocare tentetis.

De



*De absolutione quæstionis, quam abbas Theodorus orando promeruit. Cap. XXXIII.*

VIdimus etiam abbatem Theodorum summa sanctitate & perfecta scientia prędituin non solum in actuali vita, sed etiam notitia scripturarum; quam ei non tam studium lectionis vel litteratura mundi contulerat, quàm sola puritas cordis: siquidem vix ipsius quoq. Græcæ linguæ perpauca verba aut intelligere posset aut proloqui. Hic cū explanationem cuiusdam obscurissimæ quæstionis inquireret, septem diebus ac noctibus in oratione infatigabilis perstitit, donec solutionem propositę quæstionis Domino reuelante cognosceret.

*De sententia eiusdem senis, qua docuit quo studio monachus possit assequi scientiam scripturarum. Cap. XXXIV.*

HIc ergo quibusdam fratribus admirantibus tam præclarum scientię eius lumen, & ab eodem quosdam scripturarum sensus inquirentibus, ait: Monachum ad scripturarum notitiam pertingere cupientem, nequaquam debere labores suos erga commentariorum libros impendere, sed potius omnem mentis industriam & intentionem cordis erga emundationem vitiorum carnalium detinere. Quibus expulsis, confestim cordis oculi, sublato velamine passionum, sacramenta scripturarum † velut naturaliter incipient contemplari. Siquidem nobis non ut essent incognita uel obscura sancti Spiritus gratia promulgata sunt, sed nostro uitio uelamine peccatorum cordis oculos obnubente redduntur obscura: quibus rursum naturali redditis sanitati, ipsa scripturarum sanctarum lectio ad contemplationem ueræ scientię abunde etiam sola sufficiat, nec eos commentariorum institutionibus indigere, sicut oculi isti carnales ad uidendum nullius egent doctrina, si modo fuerint a suffusione uel caligine cæcitatis immunes. Ideo nāque & tanta varietas erroresq. inter tractatores ipsos exorti sunt, quòd plerique minime erga purgationem mentis adhibita diligentia, profilientes ad interpretandum eas, propinguedine uel immunditia cordis sui diuersa atq. contraria uel fidei uel sibimet sentientes, ueritatis lumen comprehendere nequiuerunt.

*al. naturaliter cō templantur.*

Inter

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Increpatio eiusdem senis cum ad meam cellulam media nocte venisset. Cap. XXXV.*

HIc idem cum inopinatus ad meam cellulam intempesta nocte venisset, quidnam rudis adhuc anachoreta solus agerem, paterna curiositate latenter explorans, meq. illico finita vespertina solemnitate incipientem iam fessum corpus reficere, & incubantem psiathio reperisset; protrahens imo corde suspiria, meoq. me vocitans nomine: Quanti inquit, o Ioannes, hora hac Deo colloquuntur, eumq. in semetipsis amplectuntur ac retinent, & tu fraudaris tanto lumine, inerti sopore resolutus. Et quoniam nos ad huiuscemodi narrationem diuertere patrum virtutes & gratia prouocarunt, necessarium reor memorabile opus charitatis, quam summi viri Archebij humanitate sumus experti, in hoc volumine commendare, quo puritas continentię operi charitatis inserta propensius enite-
*Esai. 58.* scat pulchra varietate distincta. Etenim tunc gratum Deo ieiunij munus efficitur; cum hoc fructibus charitatis fuerit consummatum.

*Descriptio eremi quæ est in Diolco, in qua anachoretæ commorantur. Cap. XXXVI.*

ITaq. cum de Palæstinæ monasterijs ad oppidum Ægypti, quod Diolcos appellatur, rudes adhuc veniissemus, ibiq. plurimam turbam cœnobij disciplina constrictam; & optimo ordine monachorum, qui etiam primus est, institutam mirifice videremus, alium quoq. ordinē qui excellentior habetur, id est, anachoretarum, cunctorū prę conijs instigati, sagacissimo corde videre properauimus. Hi namq. in cœnobijs primum diutissime commorantes, omni patientiæ ac discretionis regula diligenter edocti, & humilitatis pariter ac nuditatis virtute possessa, atq. ad purum vitiorum vniuersitate consumpta, diris simis dæmonum prælijs congressuri, penetrant eremi profunda secreta. Huius igitur propositi viros comperiētes circa Nili fluminis alueum commorari, in loco qui vno latere eodem flumine, alio maris vastitate circumdatus, insulam reddit, nullis alijs quàm monachis secreta expetentibus habitabilem: (nec enim cuiq. culturæ aptam esse eam falsitas soli ac sterilitas patitur arenarum) ad hos, inquā, summo desiderio festinantes, vltra modum sumus labores eorum, quos contem-



contemplatione virtutum & amore solitudinis tolerāt, admirati. Nam ipsius aquæ tanta penuria constringuntur, vt tali eam diligentia scrupuloq. dispensent, quali nemo frugalissimorum speciem pretiosissimi vini conseruat & parcit. Tribus namq. millibus vel eo amplius eā de prædicti fluminis alueo necessarijs vsibus aduehunt: quod † tantum *al. tam* interuallum arenosis diuisum montibus, laboris difficultate grauissima duplicatur.

*De traditis nobis ab abbate Archebio cum instructu suo cellis. Cap. XXXVII.*

HIs igitur visis, cum imitationis eorum nos ardor accenderet, prędictusq. Archebius probatissimus inter eos humanitatis gratia nos ad suam cellulam pertraxisset, explorato desiderio nostro, confinxit se de eodem loco velle discedere, ac nobis cellulam suam velut exinde migraturus offerre, sese id facturum etiam si minime † affussemus *al. fuisse-* affirmans. Quam rem nos & desiderio commorationis ac- *mus.* censi, & assertionibus tanti viri indubitatam accommodātes fidem libenter amplexi, cellulam cum omni supellecti li vtensilibusq. suscepimus. Itaq. religiosa potitus circūuētione, paucis diebus quibus cōstruendæ cellæ pararet impē dia de loco discedens, reuersus post hæc aliam sibi summo labore construxit. Quam rursum non longo post tempore alijs superuenientibus fratribus, eodemq. desiderio cupientibus ibidem commorari, simili charitatis mendacio circumuentis, cum uniuerso tradidit instrumento. Ipse vero erga opus charitatis infatigabilis perseuerans, tertiam sibi cellulam in qua commaneret, extruxit.

*De debito quod abbas Archebius manuum suarum labore pro matre dissoluit. Cap. XXXVIII.*

OPeræpretium mihi videtur aliud quoq. eiusdem viri charitatis opus memoriæ tradere, quo nostrarum partium monachi non solum continentiæ rigorem, verumetiam sinceriss imum retinere dilectionis affectum, unius eiusdēq. viri instituantur exemplo. Hic namq. non ignobili oriundus familia, ad monasterium quod a prædicto oppido ferme quattuor milibus distat, mundi huius ac parentum affectione contempta, a puerilibus annis aufugit. Vbi ita vitæ suæ oēm exegit ætatem, vt numquam prorsus per

totos quinquaginta annos non solũ vicum, ex quo egressus est, nec fuerit ingressus, nec uiderit: sed ne cuiusquã feminæ, vel ipsius matris suæ conspexerit vultum. Interea pater morte præuentus, centum solidorum debitum dereliquit. Cũq. hic esset omni inquietudine penitus alienus, vtpote qui vniuersis paternis facultatibus esset extorris, a creditoribus tamen inquietari vehementer comperit matrẽ. Tunc hic ab euangelico illo rigore quo antehac in statu prospero parentibus constitutis, nec patrem in terra se nouerat habuisse nec matrem, pietatis consideratione mollitus, ita se habere credidit matrem, eiq. subuenire festinauit oppressæ, vt nihil a proposita districtione laxaret. Intra monasterij namq. claustra perdurans, soliti operis pensum sibimet triplicari popoſcit. Et ibi per totum anni spatium diebus pariter noctibusq. desudans, debiti modum operis sudore partum creditoribus soluens, matrem omni inquietudinis iniuria liberauit; ita eruens eam debiti sarcina, vt nihil de propositi rigore piæ necessitatis obtentu pateretur imminui. Ita districtionem solitam custodiuit, ut nequaquam pietatis opus maternis uisceribus denegaret; & quã pro Christi charitate prius despexerat; pro eius rursus pietate cognosceret.

*Qua simulatione cuiusdam senioris cuidam fratri, cum otiosus esset, opus manuum sit prouisum. Cap. XXXIX.*

CVm frater nobis optime carus nomine Symeon, penitus Græci sermonis ignarus, e partibus Italiæ cõmeasset, quidam seniorum erga eum, utpote peregrinũ, charitatis opus quodam redhibitionis colore cupiẽs exhibere, inquirit ab eo, cur otiosus sederet in cella, per hoc conijciẽs eum tam otij peruagationẽ, quàm penuria necessariarum rerum diutius in ea durare non posse, certus neminem posse impugnationes solitudinis tolerare, nisi eum qui proprijs manibus uictum sibimet fuerit parare contẽtus. Quo respondente, nihil se nec nosse nec præualere ex illis quæ illic exercebãtur a fratribus operari, præter librariam manum, si tamen ullus in Aegypti regione Latinum codicem vsui esset habiturus: tunc ille tandem nactus occasionem, qua posset desideratum pietatis opus uelut debiti colore mercari: Ex Deo hęc inuenta est, inquit, occasio: nam olim quærebam qui Apostolum Latina mihi manu perscriberet.



ret. Etenim habeo fratrem militiæ laqueis obligatum, & apprime Latinis instructũ, cui de scripturis sanctis aliquid ad legendũ ædificationis eius obtentu transmittere cupio Itaq. Symeone hanc occasionem velut a Deo oblatam sibi gratanter suscipiente: senex quoq. colorem, sub cuius prętextu pietatis opus libere posset implere, libentius amplexus, confestim non solum vniuersas ei necessitates sub obtentu mercedem totius anni conuexit, verumetiam membranas & utensilia quæ ad scribendũ necessaria erant, comportans, recepit post codicem scriptum nullis vsibus vel commodis profuturum, quippe uniuersis in illa regione penitus linguę huius ignaris; præter id quod hac subtilitate sumptuq. prolixiore mercatus est quemadmodum & ille sine confusionis verecundia, merito laboris & operis sui necessaria victus alimenta perciperet, & ipse munificentiæ suæ pietatem tamquam debiti necessitate compleret, eo abundantius mercedem sibi conquirens, quo ambitu maiore peregrino fratri non solum victus necessaria, verum etiam operis instrumenta & operandi occasionem pariter contulisset.

*De pueris qui deferentes ad ægrotantem ficus, non degustatis eisdem, fame in eremo defecerunt. Cap. XL.*

SEd quoniam in loco vbi de ieiuniorum & continentiæ rigore dicere aliquid proposuimus, affectio & opera charitatis videntur admixta, rursum ad propositum reuertentes quoddam puerorum ætate non sensu factum memorabile opusculo huic inseremus. Nam cum ultra omnem admirationem ficus quidam de Mareotæ Libię partibus velut rem ante in loco non visam abbati Ioanni œconomo in eremo Scythi detulisset, qui dispensationem ipsius ecclesiæ temporibus beati Paphnutij presbyteri ab eodem sibi creditam gubernabat: hic confestim eas ad senem quendam, qui in interioribus deserti mala valetudine laborabat, per duos adolescentulos misit. Siquidem decẽ & octo milibus longe ab ecclesia commanebat. Qui pomis acceptis, cum ad prædicti senis tenderent cellam, quod ibi perfacile solet etiam senioribus euenire, infusa repente densissima nebula, tramitem recti itineris perdiderunt. Cumq. tota die & nocte discurrentes per auiam eremi vastitatem nequaquam potuissent ęgrotantis cellulam reperire, tam

itineris lassitudine quàm inedia sitique confecti, fixis genibus, in orationis officio spititum Domino reddiderũt. Qui post hæc vestigiorum suorum indicijs diutissime perquisiti, quæ in locis illis arenosis tanquam niuibus impressa signantur, donec ea vel leui ventorum flatu tenuis arena discurens rursus operiat, inuenti sunt ficus intactas vt acceperant reseruasse: eligentes scilicet animam magis quàm fidem depositi prodere, vitamq. potius amittere temporalem, quàm senioris violare mandatum.

*Sententia abbatis Macarij de obseruantia monachi, vel tamquam diutissime uicturi, vel tamquam quotidie morituri. Cap. XLI.*

ADhuc vnum beati Macarij proferetur nobis salutare mandatum, quo libellum ieiuniorum & continentiæ tanti viri claudat sententia. Ita, inquit, debere monachũ ieiunijs operam dare, vt centum annis in corpore commoraturum; ita motus animi refrenare, & iniuriarum obliuisci, tristitiasque respuere, dolores quoq. ac detrimenta cõtemnere, tamquam quotidie moriturum. In illo namq. vtilis est prudensq. discretio, æquali monachum districtione faciens semper incedere, nec permittens sub occasione debilitati corporis de arduis ad pernicioſissima prærupta deuolui: in hoc uero magnanimitas salutaris, quæ valeat non solum quæ videntur prospera mundi præsentia despicere, verumetiam aduersis tristibusq. non frangi, & ea velut parua nullaq. contemnere; illic habens iugiter fixum suæ mentis intuitum, quo quotidie singulisq. momentis accersendum esse se cædit.

LIBRI V. FINIS.



# IOANNIS CASSIANI EREMITAE DE SPIRITV FORNICATIONIS *LIBER SEXTVS.*

*De duplici pugna aduersus spiritum fornicationis. Cap. I.*

SEcundum, traditione patrum, aduersus spiritum fornicationis certamen est, longum præ ceteris ac diuturnum, & perpaucis ad purum deuictum. immane bellum, & quod cum a primo tempore pubertatis impugnare incipiat hominum genus, non, nisi prius cetera vitia superentur, extinguitur. Duplex namq. est oppugnatio gemino armata vitio consurgens ad prælium, & idcirco similiter ei gemina est acie resistendum. Siquidem vt morbo carnis animæq. concretum uires acquirit, ita nisi vtrisq. pariter dimicantibus nequeat debellari. Nec enim sufficit solum corporale ieiunium ad conquirendam vel possidendã perfectæ castimonię puritatem, nisi præcesserit contritio spiritus, & oratio contra hunc immundissimum spiritum perseuerans, dein continuata meditatio scripturarum; huicq. fuerit scientia spiritalis adiuncta, labor etiam opusq. manuũ instabiles cordis peruagationes coercens ac reuocans; & ante omnia fundata fuerit humilitas vera, sine qua nullius penitus vitij poterit triumphus acquiri.

*De principali correctione aduersus spiritum fornicationis. Cap. II.*

PRincipaliter enim vitij huius correctio de cordis perfectione descendit, ex quo etiam huius morbi virus Domini voce prodire signatur: De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, &c. Illud ergo est primitus expiandum, vnde fons vitæ & mortis manare cognoscitur; dicente Salomone: Omni custodia serua cor tuum. ex his enim sunt exitus vitæ. Caro enim eius arbitrio atq. im- *Matt. 15.* *Prou. 4. sec. LXX.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



perio famulantur,& idcirco summo studio parsimonia ieiu-
marum sectando est, ne escarum abundantia referta caro,
præceptis animę salutaribus aduersata,rectorem suum spi
ritum dejciat insolescens.Ceterum si omnem summam in
castigatione tantum corporis collocemus,anima nō simi-
liter a ceteris uitijs ieiunante, nec meditatione diuina &
spiritalibus studijs occupata,nequaquam ad illud sublimis
simum uerę integritatis fastigium poterimus ascendere, il-
lo quod in nobis est principale puritatem corporis nostri
infestante. Oportet ergo nos mundare prius iuxta senten-
*Matt.23.* tiam Domini,id quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat
& id quod deforis est mundum.

*Quantum ad superandum fornicationis vitium remedij con-
ferat cum continentia solitudo. Cap. III.*

DEnique cetera vitia etiam vsu hominum & exercitio
quotidiano purgari solent, & quodāmodo ipsius la-
psus offensione curari: ut puta, irę, tristitiæ,impatientiæ,
meditatione cordis ac peruigili solicitudine, fratrum etiā
frequenti & assidua prouocatione sanantur. Dumq. com-
mota manifestantur sæpius, & crebrius arguuntur, ocius
perueniunt ad salutem. Hoc vero, cum corporis aflli-
ctione & contritione cordis, solitudine quoque ac remo-
tione indiget, ut possit ad integrum sanitatis statum, per-
niciosa æstuum febri deposita,peruenire. Et sicut plerūque
certa ægritudine laborantibus vtile est, vt cibi noxij ne
oculorum quidem ipsorum obtutibus offerantur, ne quod
aspectus occasione desiderium eis letale gignatur: ita plu-
rimum confert ad depellendum hunc specialiter morbum
quies ac solitudo, ut mens ægra minime diuersis figuris
interpellata, ad puriorem perueniens contemplationis in-
tuitum,facilius pestiferum concupiscentiæ fomitem radi-
citus possit eruere.

*Quid interſit inter castitatem & continentiam,& an vtraq.
simul semper habeatur. Cap. IV.*

NEmo tamen ex hoc negare nos putet,etiam in congre-
gatione fratrum positos inueniri continentes, quod
perfacile fieri posse fatemur. Aliud enim est continen-
tem esse;id est, ἐγκρατῆ aliud castum: & vt ita dicam, in
affectum integritatis vel incorruptionis transire, quod di-
citur



citur ἁγνόν. Quæ virtus illis solis tribuitur maxime, qui
virgines vel carne vel mente perdurant, vt vterque Ioānes
in nouo testamento: in ueteri quoque Elias, Hieremias,
Daniel fuisse noscuntur. In quorum gradu ij quoque non
immerito reputabuntur, qui post experimenta corruptio-
nis ad similem puritatis statum per laborem longū & indu
striam perue erunt, & aculeos carnis non tam impugna-
tione concupiscentiæ turpis, quàm naturæ tantūmodo mo
tu sentiunt. Quem statum dicimus difficillime posse inter
hominum turbas apprehendi; vtrum vero & hoc possibile
sit,vnusquisq. non nostra sententia expectet agnoscere, sed
conscientiæ suæ rimetur examine. Ceterum multos existe-
re non dubitamus, qui impugnationem carnis, quam vel
raro vel quotidie sustinent,seu metu gehēnæ, seu desiderio
regni cælorum extinguunt atq. compescunt. Quos senio-
res sicut pronuntiant posse non penitus incentiuis obrui vi-
tiorum, ita securos & insauciatos semper existere non pos-
se definiunt. Necesse est enim vnumquemque in colluctа-
tione positum, quamuis frequenter aduersarium vincat at
superet,ipsum tamen aliquando turbari.

*Quod impugnatio fornicationis solo humano studio non
possit euinci. Cap V.*

QVapropter si nobis cordi est agonem spiritalem cum 2.Tim.4.
Apostolo legitime decertare,hunc immundissimum
spiritum superare omni mentis intentione, non nostris vi-
ribus confidentes (hoc enim perficere industriæ humana
non prævalet) sed opitulatione Domini,festinemus. Tam-
diu nāque hoc vitio animam necesse est impugnari,donec
se bellum gerere supra suas vires agnoscat, nec labore vel
studio proprio victoriam obtinere se posse,nisi Domini fue
rit auxilio ac protectione suffulta.

*De peculiari gratia in munere castitatis. Cap. VI.*

ET re vera cum in omnibus virtutum profectibus, &
cunctorum expugnatione vitiorum, Domini sit gratia
atq. victoria; in hoc præcipue peculiare beneficium Dei
ac speciale donum, & patrum sententia & experimento
purgationis ipsius manifestissime declaratur his, qui eam
meruerint possidere. Quodammodo enim exire de carne

Universidad de Deusto
Biblioteca



est in corpore commorantem, & vltra naturam est fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire. Et idcirco impossibile est hominem suis (vt ita dixerim) pennis ad tam præcelsum cælesteq. præmium subuolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere castitatis eduxerit. Nulla etenim virtute tam proprie carnales homines spiritalibus angelis imitatione conuersationis æquantur, quàm merito & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habẽt, secundum Apostolum, municipatũ in cę- *Philip. 3.* lis: quod deposita corrupteela carnali habituros promittitur in futurum, hic iam in carne fragili possidentes. *Matt. 22.*

*Exemplum de agone mundiali secundum sermonem Apostoli. Cap. VII.*

AVdi quid dicat Apostolus: Omnis qui in agone con- *1. Cor. 9.* tendit, ab omnibus se abstinet. A quibus omnibus dixerit inquiramus, vt possit nobis spiritalis agonis instructio comparatione carnalis acquiri. Illi etenim qui in agone visibili student legitime decertare, vtendi omnibus escis quas desiderij libido suggesserit, non habent facultatem, sed illis tantum quas eorundem certaminum statuit disciplina. Et non solum interdictis escis, & ebrietate, omniq. crapula eos necesse est abstinere: verum etiam cuncta inertia, otio atq. desidia, vt quotidianis exercitijs, iugiq. meditatione virtus eorum possit accrescere. Et ita omni solicitudine ac tristitia, negotijsq. sæcularibus, affectu etiã & opere coniugali efficiuntur alieni, vt præter exercitium disciplinę, nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curę penitus implicentur: ab eo tantum qui certamini præsidet, spectantes quotidiani victus substantiam, & coronę gloriam, condignaq. præmia victoriæ laude conquirere. Atq. in tantum se mundos ab omni coitus pollutione custodiunt, vt cum se præparant ad agonũ certamina, ne qua forsitan per somnum nocturna delusi fallacia, vires minuant multo tempore conquisitas, laminis plumbeis renum contegant loca, quo scilicet metalli rigore genitalibus membris applicito, obscenos humores valeant inhibere; intelligentes se proculdubio esse vincẽdos, nec iam posse propositum certamen ademptis viribus adimplere, si prouisam pudicitiæ soliditatem fallax noxiæ voluptatis imago corruperit.

*De com-*



*De comparatione purificationis eorum qui in terreno agone certamen subituri sunt. Cap. VIII.*

ITaq. si agonis mundialis intelleximus disciplinam, cuius exemplo beatus Apostolus nos voluit erudire, docens quanta in illa sit obseruatio, quanta diligentia, quanta custodia; quid nos cõueniet facere? qua puritate oportebit custodire nostri corporis atq. animæ castitatem, quos necesse est quotidie sacrosanctis agni carnibus vesci, quas neminem immundũ contingere, etiam ueteris legis præcepta permittunt. In Leuitico namq. ita præcipitur: Omnis *Leuit. 7.* mundus manducabit carnes. Et anima quæcumq. come- *sec. LXX.* derit de carnibus sacrificij salutaris quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino. Quantum igitur integritatis est munus, sine qua etiam illi qui erant sub veteri testamento, sacrificijs typicis non poterant interesse, & qui huius mundi corruptibilem coronam cupiunt adipisci, nequeunt coronari?

*Quantam semper cordis puritatem parare Dei oculis debeamus. Cap. IX.*

ITaq. omni custodia cordis nostri sunt latebræ primitus expiandæ. Quod enim illi in corporis puritate assequi cupiunt, nos debemus etiam in arcanis conscientiæ possidere, in qua Dominus arbiter atq. agonothera residens, pugnam cursus & certaminis nostri iugiter spectat, vt ea quę in propatulo horremus admittere, ne intrinsecus quidem coalescere incauta cogitatione patiamur; & in quibus humana cognitione confundimur, ne occulta quidem † conniuentia polluamur. Quæ licet possit hominum prę- *al. conhi-* terire notitiam, sanctorum tamen angelorum ipsiusq. om- *bentia.* nipotentis Dei scientiam quam nulla subterfugiunt secreta, latere non poterit.

*Quod sit indicium perfectæ & integræ puritatis. Cap. X.*

CVius puritatis hoc erit euidens indiciũ ac plena probatio, si vel nulla imago illiciens quiescentibus nobis & in soporem laxatis occurrat, vel certe interpellans nullos concupiscentiæ motus valeat excitare. Licet enim ad plenam peccati noxam talis commotio minime reputetur; tamen nec dum perfectæ mentis indicium est, nec ad purum excocti vitij manifestatio, cum per fallaces imagines huiusmodi operatur illusio.

*Ex quo*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ex quo vitio illusio nocturna procedat. Cap. XI.*

QValitas enim cogitationum quæ distentionibus diei negligentius custoditur, probatur quiete nocturna. Et idcirco cum interceſſerit aliqua talis illuſio, non culpa ſomni credenda eſt, ſed negligentia temporis præcedentis, & manifeſtatio morbi latentis intrinſecus: quem non primitus noctis hora parturijt, ſed intimis animę reconditum fibris ad cutis ſuperficiem ſomni refectione produxit, arguens occultas æſtuum febres quas per totum diei ſpatium noxijs cogitationibus paſti contraximus; vt ſolent malæ quoque valetudines corporum non ea colligi tẽpeſtate qua videntur emergere, ſed negligentia ſunt præteriti temporis acquiſitę, quo paſtus quis imprudenter eſcis ſaluti contrarijs, noxios humores ſibimet letalesq. contraxit.

*Quod carnis puritas ſine munditia cordis nequeat obtineri. Cap. XII.*

IDeoq. humani generis creator & conditor Deus, opificij ſui naturam præ omnibus † emendationemq. cognoſcens, illuc curam adhibuit medicinæ, vnde cauſas morbi principaliter nouerat emanare: Quicumque, inquiens, viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Petulantes oculos notans, non tam eos arguit, quàm illum interiorem ſenſum, qui officio eorũ male vtitur ad videndum. Cor namq. eſt ægrum & ſauciũ libidinis telo quod ad concupiſcendum videt, beneficium intuitus recte ſibimet a creatore conceſſum, ſuo vitio ad operum prauorum miniſteria contorquens, & in ſemetipſo reconditum concupiſcentiæ morbum contemplationis occaſione producens. Idcirco huic prȩcipitur ſalutare mandatum, cuius vitio peſſimus languor viſus occaſione procedit. Non enim dicitur: Omnia cuſtodia ſerua oculos tuos, quos vtique oportuit principaliter cuſtodiri, ſi ex ipſis concupiſcẽtiæ prodiret affectus: (nihil enim amplius oculi quàm ſimplex præbent viſionis officium,) ſed dicit: Omni cuſtodia ſerua cor tuum: illi potiſſimum impoſita medicina quod abuti poteſt oculorum miniſterio.

*al. emundationẽq.* *Matth. 5.* *Prou. 4.*

Qua



*Quæ ſit purgationis carnalis prima cuſtodia. Cap. XIII.*

HÆc igitur erit purgationis huius prima cuſtodia, vt cum menti noſtræ memoria ſexus feminei per ſubtilem ſuggeſtionem diabolicæ calliditatis obrepſerit; primum recordatione præmiſſa matris, ſororum, parentum, ſeu certe teminarum ſanctarum, quantocius eam de noſtris receſſibus extrudere feſtinemus; ne ſi fuerimus in ea diutius immorati, occaſionem ſexus ſemel indeptus illex malorum, ad eas perſonas exinde ſubtiliter deuoluat ac præcipitet mentem, per quas noxias cogitationes poſſit inſerere. Quamobrem illius præcepti iugiter meminiſſe debemus: Omni cuſtodia ſerua cor tuum: & ſecundum Dei principale mandatum ſolicite ſerpentis obſeruare noxium caput, ideſt, cogitationum malarum principia, quibus ſerpere in animam noſtram diabolus tentat: nec ſinamus per negligentiam penetrare in cor noſtrum reliquum eius corpus, ideſt, oblectationis aſſenſum. Qui proculdubio ſi fuerit intromiſſus, morſu virulento mentem interimet captiuatam. Emergentes etiam peccatores terræ noſtræ, ideſt, ſenſus carnales in matutinis ſui ortus nos oportet extinguere, & dum adhuc paruuli ſunt allidere ſilios Babylonis ad petram. Qui niſi dum tenerrimi ſunt, fuerint enecati, adulti per † conniuentiam in perniciem noſtram validiores inſurgent, aut certe non ſine magno gemitu ac labore vincentur. Dum enim fortis, ſcilicet ſpiritus noſter, domum ſuam cuſtodit armatus, receſſus cordis ſui Dei timore communiens, in pace erit omnis ſubſtantia eius; ideſt, emolumenta laborum ac virtutes longo tempore conquiſitæ. Si autem fortior ſuperueniens vicerit eum, ideſt, diabolus cogitationum conſenſu; arma eius diripiet, in quibus confidebat, ideſt, memoriam ſcripturarum, vel timorem Dei: & ſpolia eius diuidet, virtutum ſcilicet merita per contraria vitia quæque diſpergens.

*Prou. 4.* *Gen. 3.* *ſec. LXX.* *Pſal. 100.* *Pſal. 136.* *al. conhibentiam.* *Luc. 11.*

*Quod non laudem ſtudeamus texere caſtitatis, ſed effectum eius exponere. Cap. XIV.*

ET vt cuncta præteream quæ in ſanctis ſcripturis ob laudem virtutis huius inſerta ſunt. (non enim mihi propoſitum eſt laudem texere caſtitatis, ſed qualitatem ipſius, vel quemadmodum acquiri vel cuſtodiri debeat, quive ſit finis eius, patrum traditionibus explicare.) vnam

tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tantummodo ponam Apostoli beati sentẽtiam, qua pateat qualiter illã, Thessalonicensibus scribẽs, uirtutibus prætulerit uniuersis, tali eam uerbi nobilitate commendans.

*Quod specialiter castitatis uirtus ab Apostolo sanctimonia nuncupetur. Cap. XV.*

*1.Thes.4.* HÆc est, inquit, uoluntas Dei, sanctificatio uestra. Et ne forte dubium nobis relinqueret uel obscurũ, quidnam sanctificationem uoluerit appellare, utrum iustitiam, an charitatem, an humilitatem, an patientiam: (in omnibus enim istis uirtutibus creditur acquiri sanctificatio,) infert & manifeste designat quid proprie sanctificationẽ uo-
*Ibid.* luerit appellare. Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra: ut abstineatis uos, inquit, a fornicatione, ut sciat unusquisque uestrum uas suum possidere in sanctificatione & hono re non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum. Vides quibus eam laudibus prosequatur: honorem uasis, id est, corporis nostri, & sanctificationem appellans eam. Igitur e contrario qui in passione desiderij est, in igno minia & immunditia consistit, & alienus a sanctificatione
*Ibid.* uersatur. Tertio quoq. post pauca infert, rursus sanctimoniam eam pronuntians: Non enim uocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctimoniam. Itaq. qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis. Auctoritatem quoq. præcepto suo
*Ibid.* inuiolabilem iunxit, dicens: Qui hęc spernit, (id est, quę de sanctimonia præfatus sum) non hominem spernit, (hoc est,
*2.Cor.13.* me qui hæc pręcipio,) sed Deum qui in me loquitur, qui
*Ephes.2.* etiam Spiritui suo sancto cor nostrum habitaculum deputauit. Cernis simplicibus uerbis ac puris quibus eam præconijs quantisq. extulerit laudibus: primum uirtuti huic sanctificationem proprie tribuendo: deinde per hanc asserens uas nostri corporis ab immunditia liberandum: tertio quòd abiecta ignominia & cõtumelia, in honore sit & sanctificatione mansurum: postremo (quæ summa est perfecti pręmij ac beatitudinis remuneratio) per hanc habitatorem pectoris nostri sanctum fore Spiritum designauit.

*De alio Apostoli testimonio super eadem sanctimonia. Cap. XVI.*

ET licet ad finem libelli tendat oratio, aliud adhuc simile huic eiusdem Apostoli testimonium ponam, ad Hebrę-



Hebręos namq. scribens: Pacem, inquit, sectamini cũ omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo uidebit Deum. Hic *Hebe. 12.* quoque euidenter sine sanctimonia, quam solet integritatẽ mentis, uel puritatem corporis appellare, pronuntiauit, Deum penitus uideri non posse: si quidem & hic similiter, infert, eundem sensum explanans: Ne quis fornicator aut *Ibid.* profanus ut Esau.

*Quod spes sublimioris præmij debeat custodiam castitatis augere. Cap. XVII.*

ITaq. quantum sublime cælesteq. est præmium castitatis, tanto grauioribus aduersariorum insidijs lacessitur. Et idcirco propensius nobis est, non solum continẽtia corporis, uerumetiam contritio cordis assiduis orationum gemitibus adhibenda, ut clibanus carnis nostrę quem rex Ba *Dan.3.* bylonius incentiuis suggestionum carnalium succendere non desistit, descendente in corda nostra rore sancti Spiritus extinguatur.

*Quod sicut absq. humilitate castitas obtineri non potest, ita sine castitate scientia. Cap. XVIII.*

VT enim hanc seniores aiunt apprehendi nõ posse, nisi prius humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata; ita ne ad fontem quidem ueræ scientiæ perueniri posse definiunt, donec penetralibus animæ nostrę radix vitij huius insederit; & possibile quidem esse integritatem sine scientiæ gratia reperiri, impossibile uero scientiam spiritalem sine integritatis castimonia possideri. quia & diuersa sunt dona, & non omnibus una gratia Spiritus sancti tribuitur, sed ad quam se unusquisq. studio uel industria sua dignũ aptumq. prębuerit. Denique cum in omnibus Apostolis sanctis uirtus integritatis perfecta fuisse credatur, abũdantius tamen scientiæ donum exuberauit in Paulo, quia se ad hanc aptum solerti studio atq. industria præparauit.

*Sententia sancti Basilij episcopi de qualitate uirginitatis suæ. Cap. XIX.*

FErtur sancti Basilij Cęsarienſis episcopi districta sentẽtia: Et mulierem, inquit, ignoro, & uirgo non sum. Intantum intellexit incorruptionem carnis, nõ tam in mulieris esse abstinentia, quàm in integritate cordis, quę uere in-

re incorruptam perpetuo sanctimoniam corporis vel timore Dei vel castitatis amore custodiat.

*Qui finis verę integritatis ac puritatis sit. Cap. XX.*

ITaque hic est integritatis finis ac perfecta probatio, si quiescentibus nobis titillatio voluptatis nulla subrepserit, ac pro necessitate naturæ nobis in onscijs concretiones egerentur obscenæ. Quas sicut abscidere per omnia & in perpetuum amputare super naturam est, ita reuocare ad ineuitabilē rarissimamq. naturæ necessitatem summæ virtutis est, quæ pulsare monachum duobus interpositis mēsibus solet. Quod tamen dictum sit secundum nostram experientiam, non secundum sententiam seniorum, a quibus etiam hæ memorati temporis inducię admodum iudicabātur angustæ; quas si hoc modo quo ab ipsis percepimus, voluerimus exponere, his forte qui pro negligentia sua vel remissiore studio puritatem hanc minus experti sunt, incredibilia uel impossibilia descripsisse credemur.

*Quemadmodum perfectæ puritatis statum retinere possimus. Cap. XXI.*

QVem statum ita tenere perpetuo poterimus, ac numquam naturalem modum nec tempus excedere superius comprehensum, si Deum nō solum secretorum actuū nostrorum, verumetiam cogitationum internarum diurnum pariter nocturnumq. inspectorem esse & conscium cogitemus, ac pro omnibus quæ in nostro corde uersantur, sicut pro factis & operibus nostris rationem nos ei reddituros esse credamus.

*Vsq. ad quem modum possit integritas corporis nostri perduci, vel quod indicium sit ad purum mentis excocta. Cap. XXII.*

HVcusque igitur festinandum est nobis, & eo vsq. aduersus animi motus uel carnis incentiua pugnādum, donec ista carnis condicio necessitatem naturę expleat, nō suscitet voluptatem; concretam exuberantiam sine vllo pruritu noxaq. propellens, non pugnam suscitans castitati. Ceterum mens dum adhuc dormiens imaginum visione deluditur, nouerit se necdum ad integram perfectionem castitatis excoctam.

*Remedia quibus perfecta possit cordis & corporis nostri puritas permanere. Cap. XXIII.*

IGitur ut illusiones hę ne dormientibus quidē nobis subrepere ualeant, æquale moderatumq. semper tenendum ieiunium est. Quisquis enim mensuram districtionis excedit, necesse est ut modum quoque remissionis excedat. Qua inæqualitate detentus, ab hoc tranquillitatis planissimo statu sine dubio reuocabitur: nunc quidē nimia inanitate defectus, nunc aūt cibo propensiore distētus. Cū immutatione siquidē refectionis, qualitatē quoq. puritatis nostræ necesse est immutari. Deinde iugis humilitas ac patientia cordis adhibenda perpetuo est, atq. intenta aduersus iram uel ceteras passiones per diem cautio. Vbi enim furoris insederit vires, libidinis quoque necesse est incendiū penetrare. Ante omnia uero peruigil necessaria est solicitudo nocturna. Nā sicut puritas & custodia diei nocturnam prępparant castitatē, ita nocturnæ uigiliæ cordi pariter & obseruationi diurnæ statum solidissimum roburq. pręmittunt.

LIBRI VI. FINIS.



# IOANNIS CASSIANI EREMITAE DE SPIRITV PHILARGYRIAE. LIBER SEPTIMVS.

*Quod peregrinum sit bellum Philargyriæ, & eadem non sit in homine naturaliū, vt cętera vitia. Cap. I.*

PErtius nobis conflictus est aduersus Philargyriam, quam nos amorē pecuniarum possumus appellare: peregrinum bellum & extra naturā, nec aliunde in monacho sumēs principiū, quā de corruptæ ac torpidę mētis ignauia, & plerūque initio abrenuntiationis male arrepto, & erga Deū tepido amore fundato. Cetera namque vitiorum incitamenta humanæ inserta naturæ uelut ingenita videntur in nobis habere principia, & quodammodo inuiscerata carni,

Universidad de Deusto
Biblioteca



ni, ipſiq. propemodum coæua natiuitati diſcretionem boni maliq. pręueniunt: & licet prima arripiant hominem, longo tamen labore uincuntur.

*Quod pernicioſus ſit morbus Philargyriæ. Cap. II.*

HIc vero morbus poſterius ſuperueniens & extrinſecus accidẽs animæ, quãto facilius caueri põt ac reſpui, tãto neglectus & intromiſſus ſemel cordi, fit pernicioſior cũctis, difficiliuſq. propellitur. Malorũ namq. omnium efficitur radix, multiplices fructificãs fomites vitiorum; ut puta carnis ſimplices motus. nonne uidemus non ſolum in pueris in quibus adhuc innocentia boni maliq. præuenit diſcretionem, uerum in paruulis atq. lactentibus; qui cum ne initium quidem ullius libidinis in ſemetipſis habeant, motus carnis naturali incitamẽto ſibi ineſſe deſignant? Iræ quoq. aculeos truces nonne ſimiliter in paruulis iam uigere conſpicimus, & antequàm patientiæ uirtutem agnoſcant, iniurijs eos cernimus commoueri, & uerborum ſentire etiam periocum iniurias irrogatas? ac nonnunquam cum deſint uires, uoluntas tamen ultionis ira inſtigante non deeſt.

1. Tim. 6.

*Quæ nobis in vitijs naturalibus ſit vtilitas. Cap. III.*

NEc hoc dico, quo uocem naturam condicionis in culpam: ſed quo aſſeram motus hos qui procedunt ex nobis, quoſdam quidem utilitatis cauſa nobis inſertos, quoſdam uero negligentiæ uitio ac malæ uoluntatis arbitrio extrinſecus introductos. Hi namq. quos ſupra diximus motus carnales ob reparationẽ ſobolis, & poſteritatis propaginẽ ſuſcitãdã, vtiliter ſunt corpori noſtro prouidẽtia creatoris inſerti, nõ ad perpetranda ſtuprorũ flagitia & adulteria quæ legis ẽt auctoritate damnantur. Iræ etiam aculeos nõne ſaluberrime nobis intelligimus attributos, vt noſtris uitiis & erroribus † iraſcentes, uirtutibus potius ac ſpiritalibus ſtudiis occupemur, oẽm charitatem Deo, & patientiã noſtris fratribus exhibentes? Triſtitiæ quoq. utilitas quanta ſit nouimus; quæ inter ceteta uitia cũ in contrariũ affectum eſt mutata connumeratur. Eſt enim & ſecundum Dei timorem perneceſſaria, & ſecundum ſæculum admodum pernicioſa, ut docet Apoſtolus, dicens: Quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam ad ſalutem ſtabilem operatur; ſæculi autem triſtitia mortem operatur.

al. indignantes.

2. Cor. 7.

Quod



*Quod ineſſe nobis quædam naturalia vitia ſine creatoris dicamus iniuria. Cap. IV.*

NOn ergo ſi dixerimus hos motus a creatore nobis inſertos, ex eo culpabilis ille videbitur, ſi nequiter his abuſi maluerimus eos ad noxia potius miniſteria detorquere, & velimus pro infructuoſis & ſæcularibus lucris, nõ pro ſalutari pœnitentia & vitiorum correctione triſtari: vel certe ſi non nobiſmetipſis vtiliter, ſed contra interdictũ Domini noſtri fratribus iraſcamur: velut ſi ferrum quis ad neceſſarium & vtile miniſterium contributum, ad necẽ voluerit inſontium retorquere, non ex hoc infamabit materiæ conditorem, ſi quod ille ad uſum bene † viuendi aptũ ac neceſſarium pręſtitit, iſte hoc vſus eſt ad nocendum.

Matth. 5.

al. vtendi

*De vitijs quæ extra naturalem motum noſtro uitio contrahuntur. Cap. V.*

DIcimus tamen quædam vitia ſine vlla pręcedente naturali occaſione concreſcere, ſed ſolius corruptæ ac malæ voluntatis arbitrio; vt eſt inuidia, ipſaq. Philargyria; quæ cum nulla habeãt in nobis de naturali inſtinctu principia, extrinſecus contrahuntur. Quę tamen quantum facilia ſunt ad cauendum & oportuna ad declinandum, tantum occupatam mentem atque poſſeſſam miſeram faciũt, vixq. ad ſanitatis concedunt remedia peruenire; ſiue quòd non merentur curari celeri medicina qui ab his ſauciati ſunt, quæ vel ignorare vel vitare uel facillime vincere potuerunt; vel certe quòd male fundati, uirtutum ſtructuram & perfectionis ſuſcipere culmen ſunt indigni.

*Receptus ſemel Philargyriæ morbus quàm difficile pellatur. Cap. VI.*

QVamobrem nulli vilis deſpectuſq. uideatur hic morbus: qui ſicut poteſt perfacile declinari, ita ſi quemquam poſſederit, ad ſanitatis remedia uix peruenire concedit. Receptaculum namq. eſt uitiorum, malorumq. omnium radix, & inextricabilis nequitiæ fomes efficitur, dicente Apoſtolo: Radix omnium malorum eſt Philargyria: id eſt, amor pecuniæ.

1. Tim. 6.

G Qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quibus vitijs Philargyria generetur, vel quantorum malorum sit eadem procreatrix. Cap. VII.*

HÆc igitur cum remissam tepidamq. monachi posse-derit mentem, primitus eum in exigua summa solicitans, iustos quosdã & uelut rationabiles ei colores ob quos reseruare sibi aliquid pecunię debeat vel parare, describit. Nã & ea quę prębẽtur in monasterio queritur non esse sufficientia; & sano robustoq. corpore uix posse tolerari; quid faciendum si valitudo mala carnis emerserit, & reconditũ non fuerit aliquid peculiare quo sustẽtetur infirmitas? Monasterij pręstationem esse pertenuẽ, & negligentiam erga ægrotantes maximã. Si proprium aliquid nõ fuerit quo cura corpori valeat adhiberi, misere esse moriendum. Ipsum etiã vestimentũ non sufficere quod præbetur, nisi procurauerit vnde sibi aliud ualeat exhiberi. Postremo nec diu posse in eodem loco vel monasterio commorari: & nisi parauerit sibi uiatici sumptus, euectionisq. transmarinę mercedẽ, non posse cum voluerit trãsmigrare, & necessitate inopiæ coartatũ, laboriosam ac miserabilem absque vllo profectu vitam iugiter toleraturũ: inopẽ quoque se semper ac nudum non sine improperio aliena substantia sustẽtandũ. Itaque cum huiuscemodi cogitationibus laqueauerit mentẽ, qualiter vnum saltẽ denarium acquirere possit excogitat. Tunc peculiare opus quod exerceat abbate inscio solicita mẽte perquirit. Quod vendens clam, & optato tandem potitus nummo, qualiter eũ duplicet acrius vehementiusq. torquetur, vbi reponat, cuive illum credat ambiguus. Deinde quid ex eo coemere, qualiq. cum cõmercio ualeat duplicare, cura grauiore distenditur. Cumq. illi & hoc ex voto cesserit, auidior fames accrescit auri, tantoq. vehementius suscitatur, quanto ẽt summa luceri maior apponitur. Cum pecuniæ etenim incremento rabies cupiditatis augetur. Tum deinde vita lõgæua promittitur, senectus incuria, infirmitates diuersæ atque prolixæ, quę, nisi maior summa in iuuentute fuerit præparata, tolerari in senecta non possint. Agitur itaque infelix anima serpẽtinis nexibus obligata, dũ materiam male concretam nequiore cura concupiscit augere, pestem sibi qua dirius inflammetur ipsa parturiens, totaq. lucri cogitatione possessa, nihil aliud respicit cordis intuitu, quàm vnde pecuniã parare ualeat, per quam possit de



de monasterij disciplina quantocius euolare, nullam exhibens fidem vbi potuerit nummi spes aliqua refulgere. Pro hac non mendacij, non periurij, non furti facinus admittere perhorrescit, non fidem frangere, non iracundiæ noxio furore suppleri. Si quoquam a spe quæstus deciderit; non honestatis, non humilitatis modum transcendere pertimescit, fitq. ei per omnia, vt alijs vẽter, ita huic aurum & spes lucri pro Deo. Vnde beatus Apostolus huius morbi noxia venena prospiciens, non solum eam radicem esse omnium malorum, verumetiam seruitutem idolorum pronuntiauit, dicens: Et auaritia, quod in Græco dicitur φιλαργυρία, quę est simulacrorum seruitus. Cernis igitur ad quantam labem rabies hæc per gradus singulos crescat, vt etiam idolorum vel simulacrorum seruitus Apostoli uoce pronuntietur, eo quòd figura Dei & imagine prætermissa, quã deuote seruiens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire, hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit & tueri.

1. Tim. 6.

Coloss. 3.

*Quod Philargyria omnes virtutes impediat. Cap. VIII.*

TAlibus igitur decessionum profectibus in deterius crescens, nullam deinceps humilitatis, nullam charitatis, nullam obedientiæ, non dicam virtutem, sed ne vmbram quidem virtutis retinere contentus, indignatur ad omnia, & ad singula opera murmurat atque suspirat. Nullaq. iam reuerentia reseruata, uelut equus durissimus ad præcipitiũ fertur infrænis: nec uictu quotidiano, nec solito indumẽto contentus, nõ se diutius hæc toleraturũ esse testatur: Deũq, non ibi solummodo esse proclamat, nec salutem suam in illo tantum loco esse concussam. Vnde si quoquam se non celerius asportauerit, se periturum protinus ingemiscit.

*Quod monachus habens pecunias, in cœnobio permanere non possit. Cap. IX.*

ITaque instabilitatis suæ viaticum habens nummos, in quorum pręsidio alarum sibi instar aptauit, iamq. ad transmigrandum paratus insolenter ad omnia præcepta respondet: & tamquam peregrinum extraneumq. se gerens, quæcumq. indigentia correctione perspexerit, negligit atque contemnit. Cumq. furtim possideat reconditam

Universidad de Deusto
Biblioteca



pecuniam, nec calciamenta quidem ac uestimenta se habere conqueritur, dariq. sibi tardius indignatur. Ac si forte dispensatione senioris ei prius qui nihil penitus habere cognoscitur, aliquid horum fuerit impartitum, maioribus iræ stimulis inardescit, seq. despici ueluti extraneum putat; nec ad ullum opus manus suas accommodare contentus, reprehendit omnia quę necessario fieri monasterij compellit utilitas. Deinde occasiones quibus offendi uel irasci debeat, studiose perquirit, ne leuiter motus de cœnobij disciplina uideatur exire. Nec solus tamen transmigrare contentus, ne tamquam suo uitio deseruisse credatur, quantos potuerit susurrationibus clandestinis deprauare non desinit. Quòd si etiam temporis asperitas itineris seu nauigationis eius intercluserit commeatum, per omne illud tempus suspenso anxioq. residens corde, tristitias serere uel excitare non cessat: discessus solatium & excusationem leuitatis non se aliter credens quàm nota uel macula monasterij reperturum.

*Quem Philargyriæ laborem subeat desertor monasterij, qui ante pro leuissimis operibus murmurabat. Cap. X.*

AGitur itaq. facibus pecuniarum suarum magis accensus, quæ possessæ, numquam monachum uel in monasterio residere, uel uiuere sub regulæ institutione permittunt. Cumq. exinde eum uelut feralis quædam bestia de cœtu gregis segregãs, pecus oportunum prædæ destitutione sodalium fecerit, & deuorationi facilem contubernij priuatione reddiderit: eum qui prius opera monasterij leuia exercere despexerat, die ac nocte spe quęstus infatigabiliter laborare compellit, non orationum solemnia, non ieiuniorum modum, non uigiliarum regulam custodire permittit, non honestarum intercessionum explere officia sinit, dummodo uel auaritiæ rabiem satiare, uel quotidianis usibus possit occurrere, cupiditatis ignem dum acquirendo extinguendum credit accendens.

*Quod occasione custodiendæ pecuniæ, feminarum contubernia requirantur. Cap. XI.*

HInc iam nonnulli per abruptum prȩcipitium lapsi; irreuocabili ruina feruntur ad mortem; & non contenti soli possidere quas uel numquam habuerant, vel initio



initio malo seruarant pecunias, inquirunt contubernia feminarum, quæ debeant ea quæ male congesta vel retenta sunt custodire: tantisq. se occupationibus noxijs ac perniciosis inuoluunt, vt vsq. ad profundum infernum deoluti, dum acquiescere illi apostolicæ sententiæ renuunt: vt habentes victum & vestimentum, his contenti sint quæ *1. Tim. 6.* monasterij exhibeat frugalitas; sed volentes diuites fieri *Ibid.* incidant in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, idest, Philargyria: quam quiddam appetentes errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.

*Exemplum cuiusdam tepidi monachi Philargyriæ laqueis obligati. Cap. XII.*

NOn ignoro quendam qui semetipsum autumat monachum, sibiq. (quod est deterius) de perfectione blanditur: qui receptus in cœnobio, cum a suo moneretur abbate, ne reuolueretur ad illa quæ renuntians abdicarat, seq. de radice malorum omnium Philargyria terreniſq. laqueis expediret, ac si mallet pristinis passionibus emundari, quibus eum grauissime singulis momentis videbat vrgeri, cessaret affectare ea quæ ne antea quidem possederat, quorum sine dubio nexibus compeditus ad purgationem vitiorum suorum penitus peruenire non posset; truculento vultu eidem respondere non hæsitauit: Si tu habes plurimos vnde sustẽtes, me similiter habere cur prohibes?

*Quid conferant seniores iunioribus in denudatione vitiorum. Cap. XIII.*

HÆc autem nemini videantur, vel superflua, vel molesta. Nisi enim prius exposita fuerint genera vulnerum, & origines causæq. morborum fuerint indagatæ; nec infirmis poterit adhiberi congrua medicinæ curatio, nec validis conferri perfectæ custodia sanitatis. Nam & hæc & multo his plura ad instructionem iuniorum solent a senioribus, qui innumeros diuersorum casus ac ruinas sunt experti, in collatione proferri. Quorum multa sæpenumero cognoscentes in nobis, ita senioribus exponentibus ac reuelantibus, velut qui ijsdem ipsi quoque passionibus pulsarentur, absque confusionis nostræ verecun-

dia curabamur, cum & remedia pariter & causas infestantium nos vitiorum taciti disceremus. quæ nos non fraternitatis veriti corpus vel præteriuimus vel obteximus, sed ne forte delapsus liber in manus eorum qui in hoc proposito minus instituti videntur, patefaciat inexpertis quæ desudantibus solis ac festinantibus culmen perfectionis attingere, debent esse comperta.

### *Quibus exemplis morbus Philargyriæ triplex esse doceatur. Cap. XIV.*

TRiplex itaq. est huius valitudinis morbus, qui ab vniuersis patribus æquali detestatione damnatur. Vnus hic cuius superius descripsimus labem, qui decipiens miserabiles quosque, ea, quæ ne antea quidem cum in sæculo degerent possidebant, congregare persuadet. Alius qui hæc, quæ in primordijs suæ renuntiationis abiecerant, postea resumere ac rursum desiderare cõpellit. Tertius qui initio malo vitiosoq. contractus, & ab imperfectione incipiens, eos quo semel hoc tempore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos, spoliare se cunctis mundi facultatibus omnino nõ sinit: easq. pecunias vel substantias, quas vtique renũntiantes abijcere debuerãt, reseruantes, ad euangelicam perfectionem numquam peruenire concedit. Quarum trium ruinarum exempla, in scripturis sanctis etiam inuenimus non leui pœna fuisse damnata. Nam Giezi ea, quæ ne antea quidem possederat volens acquirere, non modo gratiam prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem velut hereditariam a suo habuit magistro suscipere: verumetiam econtrario æterna lepra sancti Elisæi maledictione perfunditur. Iudas autem volens resumere pecunias, quas antea Christũ secutus abierat, non solum ad proditionem Domini lapsus, apostolatus perdidit gradum, sed etiam vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eamq. violenta morte conclusit. Ananias vero & Sapphira reseruantes partem quandam ex his quæ possederant, apostolico ore morte multantur.

*4. Reg. 5.*
*Matt. 27.*
*Act. 5.*

### *Male renuntians a non renuntiante quo differat. Cap. XV.*

DE his igitur qui dicentes renuntiasse se huic mundo, rursus † incredulitate fracti nudari terrenis opibus timent, in Deuteronomio mystice sic præcipitur: Si quis est homo

*al. incredduli facti*
*Deut. 20.*



homo formidolosus & corde pauido, non egrediatur ad bellum: vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est. Hoc testimonio quid euidentius quæso? Nonne manifeste mauult eos scriptura professionis huius nec initiũ sibimet vsurpare nec nomen, quàm exhortatione exemploq. corrupto etiam alios ab euangelica perfectione reuocare, & infideli infirmare terrore? Iubetur itaq. eis vt discedentes e pugna reuertantur in domum suam; (quia non potest quisquam duplici corde bella Domini præliari. Vir enim duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis:) ne cogitantes, secundum illam Euangelij parabolam, eum qui cum decem milibus progreditur, contra regem cum viginti milibus venientem non posse confligere; adhuc eo longe posito postulent pacem, idest, vt initium renuntiationis potius non arripiant, quàm tepide eam post exequentes maiori discrimine semet inuoluant: Melius est enim non uouere, quàm uouere & non reddere. Pulchre autem hic cum decem milibus, & ille cum uiginti uenire describitur. Amplior enim uitiorum nos impugnantium numerus est, quàm uirtutum pro nobis dimicantium. Nemo autem potest Deo seruire & mammonæ. Nec ponens quisquam manum suam super aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

*Iacob 1.*
*Luc. 14.*
*Eccles. 5.*
*Matth. 6.*
*Luc. 9.*

### *Cuius testimonij se colore tueantur, qui exui facultatibus suis nolunt. Cap. XVI.*

HI ergo occasionem auaritiæ pristinæ sibimet intromittere quadam scripturæ sanctæ auctoritate conantur, quam vitiosiore intellectu interpretantes, Apostoli, immo Domini sententiam corrumpere atque ad suum desiderium gestiunt deprauare; non suam uitam uel intellectum scripturarum sensui coaptantes, sed uim scripturis pro desiderio suæ libidinis inferentes, consentire eas suis opinionibus uolunt; aiuntq. scriptum esse: Beatius est magis dare quàm accipere. Cuius interpretatione prauissima eneruatam Domini putãt illam esse sententiam, qua dicitur: Si uis perfectus esse, uade uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & ueni sequere me. Et arbitrantur hoc colore diuitias suas se abijcere non debere, beatiores scilicet semetipsos pronuntian-

*Act. 20.*
*Matt. 19.*

res, si pristinis suffulti substantijs, alijs quoq. de earum superabundantia largiantur: dumq. erubescunt pro Christo glorioſam cum Apostolo suscipere nuditatem, nec opere manuum nec monasterij parsimonia volunt esse contenti. Quibus superest vt se aut circumuenire nouerint semetipsos, & nequaquam renuntiasse huic mundo diuitijs pristinis incubantes; aut si professionem monachi re atq. opere cupiunt experiri, dispersis atq. abiectis omnibus, nihilque ex his quibus renuntianerant reseruantes, cum Apo- *1.Cor.11.* stolo glorientur in fame & siti, in frigore & nuditate.

## *De renunciatione Apostolorum & ecclesiæ primitiuæ.* Cap. XVII.

QVasi vero & ille similiter non potuerit facultatibus pristinis sustentari, qui se non ignobilem etiam in huius mundi ordine fuisse testatur, cum se asserit a natiui- *Act. 22.* tate ciuis Romani dignitate prælatum, si hoc esse ad perfectionem commodius iudicasset. Et illi qui Hierosolymis cum essent possessores agrorum vel domorum, vendentes *Act. 4.* omnia & nihil sibi ex his penitus reseruantes, afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum, non potuerint necessitatem corporis sui facultatibus proprijs sustentare, si hoc perfectius fuisset ab Apostolis iudicatum, vel ipsi esse vtilius probau ssent: sed vniuersas simul abijcientes substantias, maluerunt labore proprio vel collatione gentium sustentari. De quorum sumptu sanctus Apostolus ad Romanos scribens, suumq. eis in hoc mini- *Rom. 15.* sterium prædicans, ac subtiliter eos ad hanc collationem prouocans, ait: Nunc vero proficiscar Hierusalem ministrare sanctis. Complacuit enim & Macedoniæ & Achaiæ collationem aliquã facere in pauperes sanctorum qui sunt Hierusalem. complacuit enim, & debitores sunt eorum. Quoniã si spiritaliũ eorũ participes factæ sunt gentes, debent & in carnalibus ministrare eis. Ad Corinthios quoq., horum solicitudinẽ similiter gerens, monet eos vt ante ad- *1.Cor.16* uentum suũ collationẽ quã ad vsus eorũ mittere dispone- bant, solicitius præpararent, dicens: De collectis autẽ quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite. Vnusquisq. vestrũ per vnã sabbati thesaurizet apud semetipsum recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem venero, quoscumque



quẽ probaueritis per epistolas hos transmittam perferre gratiam vestram in Hierusalem. Et vt eos ad largiorem collationem prouocaret, infert: Quod si dignum fuerit vt *Ibid.* & ego eam, mecum ibunt. ideſt, si talis fuerit oblatio vestra, quæ mea quoq. mereatur prosecutione deferri. Ad Galatas quoque, cum prædicationis ministerium cum Apostolis partiretur, hoc idem se depactum cum Iacobo, Petro, & Ioanne testatur, vt licet prædicationem susciperet gentium, pauperum tamẽ qui erant Hierosolymis, nequaquam solicitudinem curamq. respueret: qui propter Christum vniuersis rebus suis renuntiantes, spontaneam subierant egestatem: Et cum vidissent, inquit, gratiam Dei quæ *Galat. 2.* data est mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos inter gentes prædicaremus, ipsi autem in circumcisione: tantũ vt pauperum memores essemus. Quam rem omni solicitudine se testatur impleſſe, dicens: Quod *Ibid.* etiã solicitus fui hoc ipsum facere. Qui igitur sunt beatiores, vtrum nam hi qui nuper de numero gentium cõgregati, nec prævalentes euangelicam perfectionem conscendere, ãdhuc suis substantijs inhærebant, in quibus magnus fructus ab Apostolo ducebatur, si saltem ab idolorum cultu & fornicatione, & suffocatis & sanguine reuocati, fidem *Act. 15.* Christi cum suis facultatibus suscepissent; an illi qui euangelicæ satisfacientes sententiæ, crucem Domini quotidie *Luc. 9.* portantes, nihil sibi de proprijs facultatibus superesse voluerunt? Cumq. ipse beatus Apostolus vinculis & carceribus obligatus, seu vexatione itineris impeditus, & ob hoc consuetam victus substantiam parare, vt erat solitus, suis manibus non occurrens, a fratribus qui de Macedonia venerant, supplementum suæ necessitatis se asserat accepisse: (Nam quod mihi, inquiens, deerat, suppleuerunt fra- *2.Cor.11* tres qui venerunt a Macedonia. Et ad Philippenses ipse referens: Scitis enim & vos Philippenses, quia in principio *Philip. 4.* Euangelij, quando profectus sum a Macedonia, nulla ecclesia mihi communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: quia & Thessalonicam & semel & bis in vsum mihi misistis.) erunt, secundum istorum sententiam quam mente tepida conceperunt, & isti beatiores Apostolo, quia de suis inueniuntur ei substantijs impartisse? Quod amens quilibet dicere non audebit.

Quod

### *Quod si Apostolos imitari velimus, non debemus nostris definitionibus viuere, sed illorum exempla sectari. Cap. XVIII.*

QVamobrem si euangelico præcepto volumus obedire, & Apostoli, ac totius illius ecclesiæ primitiuæ, seu patrũ qui virtutibus ac perfectioni eorum nostris temporibus successerunt, imitatores existere; non nostris definitionibus acquiescamus, de hoc tepido ac miserabili statu perfectionem nobis euangelicam pollicentes: sed illorum sectantes vestigia circumuenire nosmetipsos minime studeamus, & ita monasterij disciplinam institutionemq. pariter expectamus, vt in veritate renuntiemus huic mundo, nihil ex his quæ contempsimus infidelitate nos retrahente seruantes: quotidianum victum non recondita pecunia, sed opere proprio conquiramus.

### *Sententia sancti Basilij episcopi aduersus syncleticum quendam prolata. Cap. XIX.*

FErtur sententia S. Basilij Cæsariensis episcopi, ad quendam prolata * syncleticum, tali quo diximus tempore torpentem: qui cũ se renuntiasse diceret huic mundo, quædã sibi de proprijs facultatibus reseruauit, nolẽs exercitio manuũ suarum sustẽtari, & humilitatem verã nuditate, & † operis cõtritione, monasterijq. subiectione cõquirere: Et syncleticum, inquit, perdidisti, & monachum non fecisti.

* συγκλητικον, *idest, senatorem. al. corporis.*

### *Quam ignominiosum sit a Philargyria superari. Cap. XX.*

ITaq. si agonem spiritalem certare legitime cupimus, hunc quoq. pernicioſum hostem a nostris cordibus extrudamus. Quem quantũ superare non magnę virtutis est; tantum ab eo vinci ignominiosum plenumq. dedecoris. A potẽte enim elidi, licet sit in deiectione dolor, & gemitus in amissione victoriæ, tamen quodãmodo de aduersarij robore victis nascitur consolatio. Sin vero & inimicus exilis, & genus colluctationis infirmum, vltra deiectionis dolorem, confusio turpior, & ignõminia detrimẽto grauior infertur.

### *Quemadmodum superanda sit Philargyria. Cap. XXI.*

DE quo hæc erit summa victoria triumphusq. perpetuus, vt, quemad modum dicitur, nec minuto quidem nummo



nummo cõscientia monachi polluãt. Impossibile namquo est eum qui victus exigua stipe, concupiscentiæ semel in corde suo radicem susceperit, non maioris desiderij protinus incendio conflagrari. Tamdiu namque miles Christi victor ac securus, cunctaq. cupiditatis impugnatione erit externus, donec initia concupiscentiæ huius hic nequissimus spiritus in corde eius non seuerit. Quapropter cum in cunctis generibus vitiorũ generaliter serpentis caput oporteat obseruari, in hoc præcipue diligentius conuenit præcaueri. Quod si fuerit intromissum, sua materia conualescẽs ipsum sibimet vehementiora suscitabit incendia. Ideoque non solum pecuniarum est cauenda possessio, verumetiam voluntas ipsa ab animo penitus extrudẽda. Non enim tam effectus Philargyriæ vitandus est, quàm affectus ipsius radicitus amputãdus. Nihil enim proderit pecunias non habere, si voluntas in nobis fuerit possidendi. *Gen. 8. sec. lx.*

### *Quod possit quis etiam non habens pecunias Philargyrus iudicari. Cap. XXII.*

POssibile namq. est etiam non habentem pecunias nequaquam Philargyriæ morbo carere, nihilq. ei prodesse beneficium nuditatis, qui cupiditatis vitium resecare non valuit: paupertatis bono non virtutis merito delectatus, & necessitatis onere non sine cordis languore contentus. Quemadmodum enim corpore nõ pollutos, euangelicus sermo pronuntiat corde mœchatos, ita pecuniæ quoq. pondere minime sarcinatos, affectu ac mente cum Philargyris condemnari possibile est. Occasio enim eis habendi defuit, non voluntas, quæ semper apud Deum solet magis quàm necessitas coronari. Itaq. festinandum nobis est, ne in vacuum laborum nostrorũ emolumenta depereant. Miserabile namque est paupertatis ac nuditatis exitus tolerasse, fructus vero earum cassæ voluntatis vitio perdidisse. *Matth. 5.*

### *Exemplum de Iuda. Cap. XXIII.*

VIs nosse quàm pernicioſe, quàm noxie, fomes iste nisi fuerit diligenter excisus, ad eius interitũ qui eũ conceperit fruticet, & omnigenis pullulet ramusculis vitiorum? Respice Iudam Apostolorum numero deputatum, quia noluit serpentis huius caput letale conterere, qualiter cum suo veneno peremerit, & cõcupiscentiæ laqueis irretitum *Gen. 3.*

titum, ad quam abrupti præcipitij crimen impegerit, vt
Matt. 26 redemptorem mundi & humanæ salutis auctorem triginta argenteis vendere persuaserit. Qui nequaquam esset ad
al. necationis tam scelestum proditionis facinus deuolutus, si non Philargyriæ morbo fuisset infectus: nec dominicæ † negationis
Ioan. 12. reus sacrilegus extitisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi loculos compilare.

*Quod Philargyria nisi nuditate vinci non possit. Cap. XXIV.*

IMmane satis & euidens tyrannidis huius exemplum, quæ semel (vt diximus) animæ captiuatæ nullâ permittit honestatis regulam custodire, nec vlla quæstus adiectione satiari. Finis enim rabiei huius non diuitijs, sed nuditate conquiritur. Deniq. cum hic ipse ob hoc loculos dispensationi pauperum deputatos suæ potestati creditos accepisset, vt saltem pecuniarum abundantia satiatus concupiscentiæ suæ modum imponeret, in tantum copia earum in abundantiorem fomitem cupiditatis exarsit, vt iam non loculos clanculo compilare, sed ipsum Dominum venundare maluerit. Vniuersas enim diuitiarum moles, cupiditatis huius rabies exuperat.

*De exitu Ananiæ & Sapphiræ & Iudæ quem Philargyria impellente subierunt. Cap. XXV.*

DEniq. princeps Apostolorum his eruditus exemplis, sciens habentem quidpiam cupiditatis fræna non posse moderari, nec finem eius in parua summa magnave
Act. 5. consistere, sed in sola nuditatis virtute, Ananiam & Sapphiram, quorum superius fecimus mentionem, quia sibi quidpiam de sua facultate seruauerant, morte multauit, vt interitum quem ille vltro sibi pro reatu dominicæ proditionis intulerat, hi pro mendacio cupiditatis exciperent. Quanta in hoc quoq. facinoris ac supplicij similitudo cõcurrit. Ibi namq. Philargyriã proditio, hic falsitas subsecuta est. Ibi veritas proditur, hic mendacij crimen admittitur. Licet enim operis eorum dissimilis videatur effectus, unus tamen finis in utroq. concurrit. Ille namq. refugiens paupertatem resumere, quæ abiecerat concupiuit; hi ne fierent pauperes, de substãtia sua quam aut Apostolis offerre fideliter, aut totam dispergere fratribus debuerant, quiddam retinere tentarunt. Et ideo utrobiq. sequitur mortis damnatio,



natio, quia vtrumq. crimen de Philargyriæ radicibus pullulauit. Itaque si in eos qui non alienas concupierunt substantias, sed proprijs parcere tentauerunt, nec habuere desiderium acquirendi, sed reseruandi tantummodo voluntatem, processit tam seuera sententia; quid censendum de his qui numquam possessas pecunias cupiunt congregare, & nuditatem coram hominibus præferentes, affectu concupiscentiæ coram Deo diuites comprobantur?

*Quod Philargyria lepram animæ inferat spiritalem. Cap. XXVI.*

QVi secundum similitudinem Giezi spiritu ac mente leprosi esse noscuntur, qui mundi huius caducas pecunias concupiscens, immundæ lepræ contagione respersus est. Per quam nobis euidens reliquit exemplum, omnẽ animam cupiditatis labe pollutam spiritali vitiorum lepra respergi, immundamq. apud Dominum perenni maledictione reputari. 4. Reg. 5.

*Testimonia de scripturis, quibus perfectionem desiderãs edocetur non resumere quæ renuntians abdicauit. Cap. XXVII.*

IGitur si perfectionis desiderio dimittens omnia secutus es Christum dicentem tibi: Vade vende omnia quę habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me; quid missa super aratrum manu respicis retro, vt eiusdem Domini voce pronuntieris non esse aptus regno cælorum? Super tectum euangelici culminis stabilitus, quid descendis tollere aliquid de domo tua, ex his videlicet quæ antea contẽpsisti? Constitutus in agro atque operatione virtutum, substantia mundi qua te renuntians spoliasti, quid recurrens niteris reuestiri? Si vero paupertate prẽuentus nihil quod dimitteres habuisti, multo minus acquirere debes quod antea nõ possedisti. Ob id enim ita Domini beneficio prẽparatus es, vt expeditior ad eum nullis pecuniarum laqueis impeditus accurreres. Verumtamen nullus in hoc egens frangatur; nemo est enim qui non habeat quod dimittat. Vniuersis renuntiauit facultatibus mũdi, quisquis affectum possidendi eas radicitus amputauit. Matt. 19. Luc. 9. Matt. 24.

*Quod aduersus Philargyriam victoria non aliter possit nisi nuditate conquiri. Cap. XXVIII.*

HÆc est igitur de Philargyria perfecta victoria, vt paruissimæ cuiusliber stipis in corde nostro residere non

finamus

sinamus igniculum, certi quòd restinguendi eum non habebimus vlterius facultatem, si quantulam cumq. scintillę huius in nobis materiam fouerimus.

### *Quemadmodum posit nuditas a monacho sustentari. Cap. XXIX.*

QVam virtutem non aliàs retinere valebimus illibatã, nisi in monasterio consistentes, secundum Apostolũ: habentes victum & uestimentum his contenti fuerimus. *1. Tim.6*

### *Remedia contra morbum Philargyriæ. Cap. XXX.*

DAmnationem ergo Ananię & Sapphiræ memoriter retinentes, horrescamus aliquid ex his reseruare quæ renuntiantes penitus abdicare deuouimus. Giezi quoque pertimescamus exemplum, qui ob Philargyrię culpam † æternæ supplicio lepræ multatur, & aliquid ex his quæ nec ante possedimus caueamus acquirere. Nec non etiam Iudæ vel meritum vel exitum formidantes, quicquam pecunię resumere, quam semel a nobis abiecimus, tota virtute uitemus. Super hæc omnia considerantes condicionem fragilis incertæq. naturę nostræ, caueamus ne dies Domini sicut fur in nocte superueniens maculatam uel uno obolo nostram conscientiam deprehendat; qui omnes fructus nostræ renuntiationis euacuans, illud quod in Euangelio diuiti dictum est, ad nos quoque faciat uoce Dominica dirigi: Stulte, hac nocte animam tuam expetent a te: quæ autem parasti, cuius erunt? Nihilq. de crastino cogitantes, numquam nos de cœnobij disciplina patiamur auelli.

*Act. 5.* *4. Reg. 5.* *al. æterno.* *Matt. 27.* *1. Thes. 5.* *Luc. 12.* *Matt. 6.*

### *Quod non posit quis Philargyriam vincere nisi in cœnobio perseuerans: & quemadmodum posit ibidem permanere. Cap. XXXI.*

QVod sine dubio nequaquam permittemur implere, sed ne sub institutionis quidem regula permanere, nisi prius patientię virtus, quæ non aliunde quàm de humilitatis fonte procedit, in nobis fuerit firma soliditate fundata. Illa namque nulli commotiones nouit inferre: hæc vero illatas sibi magnanimiter tolerare.

LIBRI VII. FINIS.

IOAN-

# IOANNIS CASSIANI EREMITAE DE SPIRITV IRAE.

## *LIBER OCTAVVS.*

### *Quod quartum certamen aduersus iræ sit vitium, & quanta mala generet hæc perturbatio. Cap. I.*

QVarto quoque certamine est iræ mortiferum uirus de recessibus animæ funditus eruendum. Hac enim in nostris cordibus insidente, & oculum mentis noxijs tenebris obcæcante, nec iudicium rectæ discretionis acquirere, nec honestę contemplationis intuitum, nec maturitatem consilij possidere, nec uitæ participes, nec iustitiæ tenaces, sed ne spiritalis quidem ac veri luminis capaces poterimus existere, quia turbatus est, inquit, prę ira oculus meus. nec sapientię participes effici, tametsi sapientes omnium pronuntiari opinione uideamur; quia ira in sinu insipientium requiescit. Sed ne vitam quidem immortalitatis consequi poterimus, quamuis prudentes videamur definitione hominum iudicari; quia ira perdit etiã prudentes. Nec iustitię moderamina perspicaci discretione ualebimus obtinere, licet perfecti sãctiq. cũctorum opinationibus æstimemur; quia ira viri iustitiam Dei non operatur. Ipsam quoque honestatis grauitatem quę etiam viris sęculi huius solet familiaris existere, nullo modo possidere poterimus, licet nobiles & honesti natalium prærogatiua putemur; quia uir iracundus inhonestus est. Consilij etiam maturitatem nullatenus valebimus obtinere, quamuis graues & summa sciẽtia prędíti videamur; quia vir iracundus agit sine consilio. Sed nec quieti esse a perturbationibus noxijs, nec poterimus carere peccatis, tametsi nequaquam nobis inquietudines ab alijs inferantur; quia uir animosus parat rixas, uir autem iracundus effodit peccata.

*Psal. 30.* *Eccl. 7.* *Prou. 15. sec. LXX.* *Iacob. 1.* *Prou. 11. sec. LXX.* *Prou. 14. sec. LXX.* *Prou. 15. & 29. sec. LXX.*

De

*De his qui dicunt iram non esse noxiam si delinquentibus irascamur, quia & ipsa Deus irasci dicatur. Cap. II.*

NOnnullos audiuimus hunc animæ pernicioſum morbum ita excuſare tentãtes, vt eum deteſtabiliore interpretatione ſcripturarum extenuare geſtirent, dicentes non eſſe noxium ſi delinquentibus fratribus iraſcamur: ſi quidem, inquiunt, ipſe Deus contra eos qui eum vel ſcire nolunt, vel ſcientes contemnunt, furere atque iraſci dicatur; *Pſal. 105.* vt ibi: Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum. vel *Pſal. 6.* cum orat Propheta, dicẽs: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: non intelligentes quòd dum hominibus occaſionem peſtiferi vitij volunt concedere, immenſitati diuinæ ac fonti totius puritatis iniuriam carnis admiſceant.

*De his quæ in Deo ex noſtræ naturæ conſuetudine nominantur. Cap. III.*

SI enim hæc cum dicuntur de Deo, carnali & pingui ſenſu ſecundum litterę ſignificationem accipienda ſunt; *Pſal. 43.* ergo & dormit, cum dicitur. Exurge, quare obdormis Do- *Pſal. 120.* mine? de quo alibi dicitur: Ecce non dormitabit neque dor- *Eſai. 66.* miet qui cuſtodit Iſrael. & ſtat, ac ſedet, cũ dicit: Cælũ mihi ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum: qui metitur *Eſai. 40.* cælum palmo, & terram pugillo concludit. & crapulatur *Pſal. 77.* a vino, cum dicitur: Et exſurrexit ſicut dormiens Domi- *1. Tim. 6.* nus, ſicut potens crapulatus a vino: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem: ut prætermittã ignorationem & obliuionem, quæ de ipſo legimus in ſcripturis ſanctis frequenter inſerta. deinde liniamenta membrorum, quæ tamquam de homine figurali & compoſito deſcribuntur, capite & naribus, oculis ac facie, manibus ac brachijs, digitis, vtero, pedibusque: quę omnia ſecundum vilem litteræ ſonum ſi voluerimus admittere, Deum liniamentis membrorum & corporea figura compoſitum, quod dictu quoque nefas eſt, quodq. abſit a nobis, neceſſe eſt æſtimari.

*Qualiter de affectibus membriſq. humanis quæ indemutabili & incorporeo Deo adſcribi legimus, ſentiendum ſit. Cap. IV.*

ITaque vt hæc ſecundum litteram nõ abſque nefando ſacrilegio poſſunt intelligi ſuper eo qui inuiſibilis ineffabilis,



ineffabilis, incomprehenſibilis, inæſtimabilis, ſimplex, & incõpoſitus ſanctarum ſcripturarum auctoritate definitur; ita ne furoris quidem & iræ perturbatio, illi indemutabili naturæ ſine ingenti blaſphemia poterit coaptari. Nam huiuſcemodi ſignificatione membrorum diuinas efficientias Dei & immenſas operationes eius ſentire debemus, quæ nobis niſi per hæc vſitata vocabula membrorum nequeũt intimari: vtputa ſignificatione oris collocutionẽ eius, quæ in arcanos animæ ſenſus ſolet clementer infundi, vel quòd in patribus noſtris atque prophetis idem locutus ſit, agnoſcamus: in oculis immenſitatem perſpicaciæ, qua vniuerſa perluſtrat ac perſpicit, & quòd nihil eum ex his quę a nobis geruntur gerendave ſunt, ſeu cogitantur, lateat, ſcire poſſimus: manuum nuncupatione prouidentiam & operationem, qua quòd omnium ipſe ſit creator & conditor ſentiamus: brachiũ quoque virtutis & gubernationis eius inſignia † quibus cuncta ſuſtentat, moderatur, ac regit. Et *al. quæ* vt de ceteris taceam, canities capitis quid aliud quàm longęuitatem Deitatis & antiquitatẽ ſignificat? Quia ſine vllo principio eſt & ante omnia tempora, & creaturas excedit vniuerſas. Ita igitur & de ira Dei uel furore cũ legimus, non ἀνθρωποπαθῶς, id eſt, ſecundum humilitatem humanę perturbationis; ſed digne Deo, qui omni perturbatione alienus eſt, ſentire debemus: ſcilicet quo per hæc eum iudicem & ultorem omnium, quę inique geruntur in hoc mundo, poſſimus aduertere, & retributorem terribilem actuum noſtrorum his verborum ſignificationibus formidantes, cõtra illius uoluntatem quidquã timeamus admittere. Illos etenim timere conſueuit humana natura, quos indignari nouit & veretur offendere, ut in nonnullis ęquiſſimis iudicibus ſolet ab his, qui aliquo reatu ſuę conſcientię remordentur, ira ultrix timeri; non ſcilicet quòd hęc in animis eorum, qui iuſte iudicaturi ſunt perturbatio conſiſtat, ſed quòd ita metuentibus ille ſentiatur affectus, qui pro executione legum, examinatione iuſtitię, & ęqui libratione procedit. Quę tamen quantalibet animi fuerit manſuetudine ac lenitate † prolata, ab his qui pro ſuo me- *al. propoſita* rito pœna plectendi ſunt, furor grauis & ira ſęuiſſima iudicatur. Longum eſt nec præſentis operis, ſi uoluerimus omnia, quę de Deo humana ſignificatione figuraliter in ſcripturis dicta ſunt, explanare. Hæc ad præſentem neceſſitatem

sitatem quæ contra furoris vitium pertinebant, dixisse sufficiat, vt nullus exinde sibimet occasionem morbi mortisq. perpetuæ per ignorantiam trahat, vnde sanctitas & immortalitas vitæ salutisq. remedia conquiruntur.

### *Cuius placiditatis monachum esse conueniat. Cap. V.*

ITaque monachus ad perfectionem tendens, & agonem spiritalem legitime cupiens decertare, omni iræ furorisq. vitio alienus existat, & audiat quid sibi vas electionis præcipiat: Omnis, inquit, ira, & indignatio, & clamor, *Ephes.4.* & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. Cum dicit, Omnis ira tollatur a uobis, nullam penitus velut necessariam & vtilem nobis excepit. Delinquentemq. fratrẽ si necesse est, ita curare festinet, vt dum medelam leuiori forsitan febricula laboranti procurat inferre, non semetipsum iratus terriori morbo cæcitatis inuoluat. Oportet nãque illum qui alterius vulneri mederi cupit omni languoris morbo alienum sanumq. subsistere, ne illud euangelicum dicatur ei: *Luc. 4.* Medice prius cura teipsum: ac videns fe- *Matth. 7.* stucam in oculo fratris sui, trabem in oculo suo nõ videat. vel quomodo videbit eijcere festucam de oculo fratris sui, qui trabem furoris gestat in oculo suo?

### *De iniusta iracundiæ commotione vel iusta. Cap. VI.*

QValibet ex causa iracundiæ motus efferuens excæcat oculos cordis; & acumini visus exitialem validioris morbi ingerens trabem, solem iustitiæ intueri non sinit. Nihil interest, vtrum aurea lamina plumbeave seu cuiuslibet metalli oculorum obtutibus imponatur: differẽt iam cæcitatis non facit pretiositas metallorum. Habemus sane iræ ministerium satis commode nobis insertum, ad quod solum eam recipere vtile nobis est ac salubre, cum contra lasciuientes cordis nostri motus indignantes insemimus: & ea quæ agere confundimur coram hominibus siue proloqui, in latebras ascendisse nostri pectoris indignamur: angelorum scilicet ac Dei ipsius præsentiam vbique & omnia † penetrantis, oculumq. eius tota formidine tremi- *al. penetrantem* scentes; quem nequaquam possunt conscientiæ nostræ latere secreta.

*In quo*



### *In quo tantummodo nobis ira sit necessaria, vel quibus beati Dauid exemplis ira salubriter assumatur. Cap. VII.*

VEl certe cum contra hanc ipsam irã cur nobis aduersus fratrem irrepserit commouemur, & irati letales instigationes eius extrudimus, nec in abditis pectoris nostri noxias eam latebras habere permittimus. Taliter nos irasci etiam ille propheta docet, qui in tantum hanc e suis abegerat sensibus, vt ne inimicis quidem propriis, & quidẽ a Deo sibi traditis, maluerit reddere talionem: Irascimini, *Psal.4.* inquiens, & nolite peccare. Ille enim cũ aquam de cisterna Bethleemitica concupisset, eamq. a viris fortibus per me- *2.Reg.23.* dias hostium cateruas susceptisset allatam, protinus effudit in terrã: & ita voluptuosam concupiscentiæ passionẽ iratus extinguens, libauit eam Domino, & cupiditatis suæ desiderium non expleuit, dicens: Propitius sit mihi Domi- *Ibid.* nus ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, & animatum periculum bibam? Vel cũ Semei in regẽ Dauid audiente eo lapides & maledicta in- *2.Reg.16.* gereret coram omnibus; velletq. Abisai filius Saruiæ princeps militum, conuicij regalis vltionem truncatione capitis eius explere: beatus Dauid aduersus diram suggestionẽ eius pia indignatione cõmotus, humilitatis modum & patientiæ rigorem inconcussa lenitate seruauit, dicens: Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Dimittite eũ vt maledicat. Dñs *Ibid.* enim præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare si fecerit? Ecce filius meus qui egressus est de vtero meo, quærit animã meam; quanto magis nũc filius Iemini? Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptũ Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.

### *De ira aduersus nosmetipsos suscipienda. Cap. VIII.*

IVbemur itaq. irasci salubriter, sed nobismetipsis, ac suggestionibus accedentibus prauis: & non peccare, ad effectum scilicet eas noxiũ perducentes. Denique hunc eundem sensum euidentius explanat versiculus sequens: Quæ *Psal.4.* dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini: ideest, quæcumque in cordibus vestris ingruentibus repentinis ac subricis instigationibus cogitatis, cõsilij moderatione omnem strepitum & perturbationem furoris

Universidad de Deusto
Biblioteca



amouentes, uelut in cubili quietis positi, compunctione saluberrima emendate atque corrigite. Denique beatus Apo-
*Ephes. 4.* stolus usus huius versiculi testimonio, cum dixisset: Irascimini
*Ibid.* & nolite peccare, subiunxit: Sol non occidat super iracundiam uestram, neque detis locum diabolo. Si noxium est super iracundiam nostram occidere solem iustitiæ, & irati confestim locum diabolo damus in corde nostro? quomodo superius præcipit ut irascamur, dicens: Irascimini & nolite peccare? Nonne euidenter hoc dicit: irascimini
*al. conhibentibus.* uitijs & furori uestro, ne † conniuentibus uobis sol iustitiæ Christus incipiat propter iracundiam uestram mentibus obscuratis occidere, & discedēte illo locum diabolo in uestris cordibus præbeatis?

*De quo sole dicatur, ut non occidat super iracundiam nostram. Cap. IX.*

*Malac. 4.* DE quo sole per prophetam Deus euidenter cōmemorat, ita dicens: Timētibus autem nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Qui rursus peccatoribus & pseudoprophetis, illisq. qui irascuntur, occidere
*Amos. 8.* dicitur medio die, dicente propheta: Occidet eis sol in meridie. Vel certe secundum tropicum sensum, mens, id est, νοῦς, siue ratio, quę pro eo quòd omnes cordis cogitationes
*al. discretione sua.* † discretionesq. perlustrer, sol merito nuncupatur, irę uitio non extinguatur, ne eadem occidente, perturbationū tenebræ cum auctore suo diabolo uniuersum nostri cordis occupent sensum, & tenebris irę possessi, uelut in nocte cęca, quid nos agere oporteat ignoremus. Tali sensu hunc Apostoli locum institutis seniorum traditum nobis, quia
*al. deest, dicere.* necesse fuit quemadmodum de ira sentirent † dicere, licet longiore sermone protulimus; qui eam nec ad momentum quidem cor nostrum penetrare permittunt, illud Euange-
*Matth. 5.* lij omnimodis obseruantes: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Ceterum si usque ad occasum solis licitum sit irasci, ante furoris satietatem & ultricis irę commotionem poterunt noxię perturbationes explere, quàm iste sol ad locum sui uergat occasus.

*De his quorum iracundiæ ne occasus quidem solis istius modum ponit. Cap. X.*

*al. dicendum* QUid uero † dicam de his (quod quidem dicere sine mea confusione non possum) quorum implacabilitati



tati nec hic quidem sol occidens terminum ponit, sed per dies eam plurimos protelantes, atq. aduersus eos in quos commoti fuerint, rancorem animi reseruantes, negant quidem se uerbis irasci, sed re ipsa & opere indignari grauissime comprobantur? Nam neq. eos cōgruo sermone compellant, nec affabilitate eis solita colloquuntur; & in eo se minime delinquere putant, quòd uindictam suæ commotionis nō expetant: quam tamen quia proferre palam & exercere aut non audent, aut certe non possunt, in suam perniciem uirus iracundiæ retorquentes concoquunt in corde taciti, ac silentes in semetipsis consumunt, amaritudinem tristitiæ non uirtute animi protinus expellentes, sed digerentes processu dierū, & utcumq. pro tempore mitigantes.

*Quod hic finis tristitiæ uel iræ sit, ut hoc quod prævalet unusquisq. perficiat. Cap. XI.*

QVasi uero non hic finis † utrique uindictæ sit, & abun- *al. uniquique*
de quis furori proprio uel tristitiæ satisfecerit, si id quod prævaler, ira instigante compleuerit: quod hi quoquo facere noscūtur, qui motus suos non appetitu placiditatis, sed inopia ultionis cohibent: nihil enim inferre amplius his, quibus irati sunt possunt, nisi ut cum eis affabilitate solita minime colloquātur, aut quasi in effectu operis solummodo sit iracundia moderanda, & non potius ab arcanis nostri pectoris eruēda, ne tenebris illius obscurati, nec cōsilij salubris, nec scientiæ lumen admittere; sed nec templū Spiritus sancti, habitāte in nobis spiritu iracundiæ, nequaquam ualeamus existere. Cohibitus enim in corde furor, adstantes quidem homines non offendit, sed æque Spiritus sancti splendidissimum iubar, ac si prolatus, excludit.

*Quod ne momentaneam quidem iram liceat retentari. Cap. XII.*

AVt quemadmodum uel ad momentum uultcam Dominus retentari, qui nec sacrificia quidem spiritalia orationum nostratū permittit offerri, si uel alium contra nos aliquid rancoris habere cognoscimus, dicens: Si offers *Matt. 5.*
munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuū ad altare, & uade prius reconciliare fratri tuo, & sic ueniēs offer munus tuum? Quomodo ergo, non dicam usque iu-

dies plures, sed vel vsque ad occasum solis istius permittimur contra fratrem retinere tristitiã, qui ne illo quidẽ habente aliquid aduersum nos orationes nostras Deo offerre
*1. Thess. 5.* concedimur? quibus præcipitur ab Apostolo: Sine inter-
*1. Tim. 2.* missione orate. &: In omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione? Superest igitur vt aut numquam oremus huiuscemodi virus retinentes in cordibus nostris, & apostolico huic præcepto siue euãgelico, quo indesinẽter & vbique iubemur orare, simus obnoxij; aut si nosmetipsos circumuenientes precem fundere contra eius interdictum præsumimus, non orationem Domino, sed rebellione spiritus contumaciam nos eidem nouerimus offerre.

### *De reconciliatione fraterna. Cap. XIII.*

ET quia plerumq. seu læsos fratres & contristatos contemnimus, vel certe non vitio nostro dicentes eos offensos despicimus: animarũ medicus & occultorum conscius, occasiones iracundiæ volẽs radicitus a cordibus nostris euellere, nõ solum si læsi fuerimus iubet nos remitte-
*Matth. 5.* re, & reconciliari fratribus nostris, nullamq. aduersus eos iniuriæ seu læsionis memoriam retinere, sed etiam si illos aduersum nos seu iuste seu iniuste habere aliquid nouerimus, similiter præcipit vt munus nostrum relinquentes, id est, cõpescentes orationes nostras, ad eorum prius satisfactionem tendere festinemus: & ita fratris curatione præmissa, orationum nostrarum munera illibata deferre. Non enim ita nostris obsequijs communis omnium Dominus delectatur, vt quod in vno acquirit, perdat in altero dominante tristitia. In cuiusl bet namque dispẽdio vnũ patitur detrimentum, qui eodem modo omnium famulorum suorum salutem desiderat & expectat. Et idcirco æque habente aliquid aduersum nos fratre inefficax erit oratio nostra, ac si nos aduersum eum tumenti spiritu indignationis amaritudinem reseruemus.

### *Quod vetus quoque lex iram non tãtum de effectu, sed etiam de cogitatione conuellat. Cap. XIV.*

SEd quid diutius præceptis euangelicis atque apostolicis immoramur, cum etiam vetus lex quæ aliquid habe-
*Leuit. 19.* re remissionis videtur, hæc eadem præcaueat, dicens: Ne
*Ibid.* oderis fratrem tuum in corde tuo, & iterum: Non eris memor



mor iniuriæ ciuium tuorum. & rursum: Itinera eorum qui
*Prou. 12.* memoriam retinent malefacti, in mortem? Vides & ibi *sec. LXX.* nequitiam non in opere tantum, sed etiam in arcanis cogitationibus resecari, cum de corde odium, & iniuriæ non solum retributio, sed etiam ipsa memoria radicitus iubeatur euelli.

### *De superflua secessione eorum, qui ab inemendatis moribus non recedunt. Cap. XV.*

INterdum superbia vel impatientia superati, cum inconditos mores nostros atque inordinatos volumus emendare, solitudinem nos desiderare conquerimur, tamquam ibi nullis nos concitantibus illico virtutem patientiæ reperturi; excusantes negligentiam nostram, causasq. commotionis non nostra dicentes impatientia, sed fratrum vitio generari. Dumq. in alios erroris nostri vertimus causas, numquam ad patientiæ ac perfectionis calcem valebimus peruenire.

### *Quòd tranquillitas cordis nostri non in alterius arbitrio, sed in nostra debeat ditione consistere. Cap. XVI.*

SVmma igitur emendationis ac tranquillitatis nostræ nõ est in alterius arbitrio collocanda, quod nequaquã nostræ subiacere potestati, sed in nostra potius ditione consistit. Itaque vt non irascamur, non debet ex alterius perfectione, sed ex nostra virtute descendere, quę non aliena patientia, sed propria longanimitate conquiritur.

### *Quo studio eremum debeamus expetere, & qualium inibi sit profectus. Cap. XVII.*

PORro eremum perfectos omniq. vitio purgatos oportet expetere, & excoctis ad purum in congregatione vitijs, non pusillanimitatis perfugio, sed diuinæ contemplationis obtentu, & desiderio intuitus sublimioris intrare, qui non nisi in solitudine a perfectis solum modo poterit apprehendi. Quæcumque enim vitia incurata in eremum detulerimus, operta in nobis non abolita sentientur. Solitudo namque sicut nouit emendatis moribus contemplationem purissimam referare, & intuitu sinceriſſimo spiritalium sacramentorum scientiam reuelare; ita eorum qui minus emendati sunt vitia non solum seruare, verum-

etiam exaggerare cõsueuit. Tamdiuq. sibi patiens quis videtur & humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio, ad naturam pristinam mox reuersurus cum interpellauerit cuiuslibet commotionis occasio. emergunt quippe ex eo confestim vitia, quæ latebant, & velut equi infrænes certatim e suis repagulis otio longiore nutriti acrius ad perniciem aurigæ proprij ferociusq. prorumpunt. Magis enim exercitio vsuq. humano cessante efferantur in nobis vitia, nisi fuerint ante purgata. Ipsamq. vmbram patientiæ, quam possidere imaginarie permixti fratribus saltem pro eorum reuerentia & nota publica videbamur, desidia securitatis amittimus.

*Qua comparatione æstimandi sint, qui tunc tantum patientes sunt, cum a nemine prouocantur. Cap. XVIII.*

QVasi vero vniuersa virulenta serpentium genera vel ferarum, cum in solitudine suisq. cubilibus immorantur, † non noxia perseuerent, nec tamen ex eo pronuntiari possunt innoxia, quia nulli noceant. Hoc enim eis nõ affectus bonitatis, sed necessitas solitudinis confert. Quæ cum lædendi copiam nacta fuerint, in semetipsis reconditum virus & animi feritatem protinus egerunt, atque demonstrant. Ideoque perfectionem quærentibus nonsufficit contra hominem non irasci. Meminimus enim in solitudine commorantibus nobis, contra calamũ cum aut crassitudo eius aut exilitas displiceret, contra vel scalpellũ cum incidenda hebeti acie segniter exsecaret, contraq. silicem si forte ex ea festinantibus nobis ad lectionẽ tardius scintilla ignis emicuit, ita indignationis irrepsisse motum, vt nõ alias perturbationem mentis quàm vel contra insensibiles materias, vel certe aduersus diabolum maledictione prolata digerere atq. euaporare possemus. Quamobrẽ ad perfectionis dumtaxat rationẽ non satis proderit, abesse homines, in quos ira moueatur, cũ si patientia prius nõ fuerit acquisita, etiã erga res mutas speciesq. minutas exerceri similiter iracundiæ possit affectus; qui residẽs in corde nostro, nec iugẽ nos possidere tranquillitatis statũ, nec residuis vitijs carere permittet: nisi forte in eo putemus cõmotionibus nostris in lucrũ aliquod vel remedium comparari, ꝙ maledictionibus vel iracũdiæ nostræ minime res inanimę mutæq. respondeant, & intemperantiam cordis nostri ad maiorem nequaquam prouocent furoris insaniam.

*al. inoxia*



*De amputanda ira secundum Euangelium. Cap. XIX.*

QVapropter si illam summam diuini præmij cupimus adipisci, de quo dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: non solum e nostris actibus hæc amputanda est, sed etiam de internis animæ radicitus extirpanda. Non enim valde proderit iracundiæ cohibitus furor in verbo, nec in effectum prolatus, si illum arcanis pectoris nostri Deus, quem secreta non latent cordium, inesse perspexerit. Radices enim vitiorum potius excidi præcipit euangelicus sermo, quàm fructus; qui proculdubio euulsis fomitibus nequaquam vlterius pullulabunt, atque ita mens poterit iugiter in omni patientia & sanctitate durare, cum hæc non de superficie operationis & actuum, sed de cogitationum euulsa fuerint penetralibus. Et ideo ne homicidium perpetretur, ira odiumq. succiditur, sine quibus homicidij crimen nullo modo valebit admitti. Qui irascitur enim fratri suo, reus erit iudicio. &: Qui odit fratrem suum, homicida est: in eo scilicet quòd eum corde cupiat interire: cuius cruorem propria manu vel telo apud homines minime fudisse cognoscitur, affectu iræ homicida pronuntiatur a Domino, qui nõ solum pro operationis effectu, sed etiam pro voluntatis ac voti desiderio, vnicuique aut præmium reddet aut pœnam, secundum illud quod ipse loquitur per prophetam: Ego autem opera eorũ & cogitationes eorũ, venio, vt congregem cum omnibus gentibus & linguis. Et Apostolus: Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum.

*Matt. 5.* *Ibid.* *1. Ioan. 3.* *Esai. 66.* *Rom. 2.*

*In eo quod in Euangelio scriptum est: Qui irascitur fratri suo, vtrum recipiendum sit, quod adiectum est, sine causa. Cap. XX.*

SCiendum tamen in eo quod in quibusdam exemplaribus inuenitur: Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio; superfluum esse, sine causa, & adiectum ab his qui amputandam iram pro iustis causis minime putauerunt: cũ vtique nullus quamlibet absque ratione commotus, sine causa se dicat irasci. Quamobrem apparet ab eis

*Matt. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



eis adiectum qui propositum non intellexerunt scripturæ volentis fomitem iracundiæ omnimodis amputare, nullamq. occasionem indignationis penitus reseruare; ne dū iubemur irasci cum causa, etiam sine causa irascendi nobis intromittatur occasio. Finis enim patientiæ nō in irascendo iuste, sed in penitus non irascendo consistit. Licet a quibusdam hoc ipsum quod dicitur, Sine causa, ita interpretari sciam, quòd scilicet sine causa irascatur is, cui expetere vltionem irato non liceat. Melius tamen est ita tenere, vt & nouella exemplaria multa, & antiqua omnia inueniuntur esse perscripta.

*Remedia, quibus iram de cordibus nostris eradicare possimus. Cap. XXI.*

QVapropter athletam Christi legitime decertantem, iracundiæ motus radicitus oportet euellere. Cuius morbi hæc erit medicina perfecta, vt credamus primitus nullo modo siue iustis, siue iniustis ex causis licere nobis irasci, scientes nos discretionis lumen: rectiq. consilij firmitatē, ipsam quoque honestatem, & iustitiæ moderamina protinus amissuros, si principale cordis nostri lumen eius fuerit tenebris obscuratum. Tum deinde puritatem mentis nostræ mox perturbandam, templumq. eam sancti Spiritus effici omnino non posse, iracundiæ in nobis spiritu commorante. Postremo, vt cogitemus nequaquam licere nobis orare, nec iratos fundere preces ad Deum. Et præ omnibus incertum statum conditionis humanæ præ oculis habentes, quotidie nos credamus e corpore migraturos; nihilq. nobis continentia castitatis, nihil abrenuntiatione omnium facultatum, nihil diuitiarum contemptu, nihil ieiuniorum vigiliarumque laboribus conferendum, quibus propter iracundiam solam & odium ab vniuersitatis iudice supplicia promittuntur æterna.

LIBRI VIII. FINIS.

IOAN-



# IOANNIS CASSIANI EREMITAE DE SPIRITV TRISTITIÆ. LIBER NONVS.

*Quod quinctum certamen sit aduersus spiritum Tristitiæ, & quæ per ipsam menti inferantur dispendia. Cap. I.*

QVincto nobis certamine edacis Tristitiæ stimuli retūdendi sunt. Quæ si passim per singulos incursus & incertos ac varios casus obtinendi animum nostrum habuerit facultatem, ab omni nos per momenta singula separat diuinæ cōtemplationis intuitu, ipsamq. mentem ab vniuerso puritatis statu deiectam funditus labefactat ac deprimit. Non orationes eam explere cū solita cordis alacritate permittit, non sacrarum lectionum sinit remediis incubare, tranquillum quoque ac mitem fratribus esse non patitur, & ad cuncta operationum vel religionis officia impatientem & asperum reddit; omniq. perdito salubri consilio, & cordis constantia perturbata, velut amentem facit & ebrium sensum, frangitq. & obruit desperatione pœnali.

*Qua cautione morbus Tristitiæ sit curandus. Cap. II.*

QVamobrem non minore prospectu, si spiritalis agonis certamina legitime cupimus desudare, hic quoq. nobis curandus est morbus. Sicut enim tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Satis euidenter ac proprie vim noxij huius ac pernicioſi vitij, spiritus diuinus expressit. *Prou. 25.*

*Quam comparationem habeat anima, quæ Tristitiæ morsibus deuoratur. Cap. III.*

VEstimentum namque tinearum esu attactum, nullius pretij vel honesti vsus poterit vlterius habere commercium: itidemq. lignum vermibus exaratum, non iam ad ornatum vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis

ignis merebitur deputari. Ita igitur & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus deuoratur, inutilis erit vel vestimento illi pontificali, quod vnguentum Spiritus sancti de cælo descendens, prius in barbam Aaron, deinde in oram suam solere suscipere, sancti Dauid vaticinio perhibetur, secun-
*Psal.132.* dum illud: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit oram vestimenti eius. Sed nec ad structuram templi illius spiritalis atq. ornatum po-
*1. Cor. 3.* terit pertinere, cuius Paulus architectus sapiens posuit fun-
*Ibid.* damenta, dicens: Vos estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis. Cuius qualia sint ligna, sponsa describit
*Cant. 1.* in Cantico canticorum: Trabes, inquiens, nostræ cypressus, tigna domorum nostrarum cedri. Et idcirco huiuscemodi ad templum Dei lignorum genera deliguntur, quæ sunt & bonæ fragrantiæ, & imputribilia, quæque nec corruptelæ vetustatis, nec esui vermium valeant subiacere.

### *Vnde vel quibus modis Tristitia gignatur. Cap. IV.*

NOnnumquam tamen iræ præcedentis vitio subsequi, seu concupiscentiæ lucrive cuiusdam minus indepti generari solet, cum se harum rerum quadam spe mente concepta quis viderit excidisse. Interdum vero etiam nullis existentibus causis, quibus, ad hãc labem corruere prouocemur, inimici subtilis instinctu, tanto repente mœrore deprimimur, vt ne carorum quidem ac necessariorum nostrorum aduẽtum solita suscipere affabilitate possimus, & quidquid ab eis competenti fuerit confabulatione prolatum, importunum nobis ac superfluum iudicetur, nullaq. a nobis reddatur grata responsio, vniuersos cordis nostri recessus felle amaritudinis occupante.

### *Quod non aliorum, sed nostro vitio, commotiones excitentur in nobis. Cap. V.*

VNde manifestissime comprobatur, non semper nobis aliorum vitio commotionum stimulos excitari, sed potius nostro, qui reconditas in nobismetipsis habemus offensionum causas ac seminaria vitiorum: quæ, cum mentem nostram tentationum imber alluerit, in germina confestim fructusq. prorumpunt.

Quod



### *Quod nullus repentino lapsu corruat, sed paulatim per longam incuriam recidens pereat. Cap. VI.*

NVmquam enim quis alterius vitio lacessitus peccare compellitur, si repositam materiem delictorum in suo corde non habeat. Nec tunc subito quispiam deceptus esse credendus est, cum conspecta mulieris forma in baratrum concupiscentiæ turpis inciderit, sed potius occultos ac latentes medullitus morbos, occasione visus, in superficiem tunc fuisse productos.

### *Quod non sint fratrum deserenda consortia, ut perfectio conquiratur, sed patientia iugiter excolenda. Cap. VII.*

IDeoque creator omniũ Deus opificij sui curationẽ præ omnibus noscens, & quia non in alijs, sed in nobismetipsis offensionum radices causæq. consisterent, non deserenda præcepit fratrum consortia; nec vitari eos, quos læsos a nobis, uel a quibus nos arbitramur offensos, sed deliniri *Matt. 5.* iubet: sciens perfectionem cordis non tam separatione hominum, quàm patientiæ uirtute conquiri. Quæ firme possessa, sicut potest nos etiam cum his, qui oderunt pacem pa- *Psal.119.* cificos conseruare, ita si parta non fuerit, ab his quoque, qui perfecti ac meliores nobis sunt, facit iugiter dissidere. Occasiones enim commotionum, ob quas eos, quibus iungimur, deserere festinamus, in conuersatione humana deesse non poterunt, & idcirco tristitię causas, ob quas a prioribus separamur, non euadimus, sed mutamus.

### *Quod si mores nostros emendatos habuerimus, possit nobis cum omnibus conuenire. Cap. VIII.*

PRocurandum itaque nobis est, ut nostra potius emẽdare vitia & mores corrigere festinemus. Quæ procul dubio si fuerint emendata, non dicam cum hominibus, sed etiam cum feris & beluis facillime nobis conueniet, secundum illud quod in libro beati Iob dicitur: Bestię enim ter- *Iob. 5.* ræ pacatæ erunt tibi. Extrinsecus quippe uenientia non verebimur offendicula, nec vlla poterunt scandala nobis deforis inferri; si in nobismetipsis intus radices eorum receptæ insertæq. non fuerint. Pax enim multa diligentibus *Psal.118.* nomen tuum, & non est illis scandalum.

De

*De alio genere tristitiæ quod desperationem salutis importat. Cap. IX.*

ESt etiam aliud detestabilius tristitię genus, quod non correctionem vitę nec emendationem vitiorum, sed
Gen.4. perniciosissimam desperationem animæ iniicit delinquenti. Quod nec Cain fecit post fratricidium pœnitere, nec Iudam post traditionem ad satisfactionis remedia festinare,
Matt.27. sed ad suspendium laquei sua desperatione pertraxit.

*In quo tantummodo sit nobis tristitia vtilis. Cap. X.*

IDeoque vtilis nobis una in re tātū tristitia iudicāda est, cum hanc uel pœnitudine delictorū, uel desiderio perfectionis accensi, vel futuræ beatitudinis contemplatione
2. Cor. 7. concipimus. De qua & beatus Apostolus: Quę secundum Deum est, inquit, tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilē operatur: sęculi autem tristitia mortem operatur.

*Quemadmodum discernatur quæ sit vtilis ac secundū Deum tristitia, & quæ diabolica atque mortifera. Cap. XI.*

SEd illa tristitia quæ pœnitentiam ad salutē stabilē operatur, obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suauis, ac patiēs, utpote ex Dei charitate descēdens, & ad omnem dolorem corporis ac spiritus contritionem, infatigabiliter semetipsam desiderio perfectionis extendens, & quodammodo læta ac spe profectus sui uegeta, cunctam affabilitatis & longanimitatis retinet suauitatē, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus sancti, quos enumerat idē Ar-
Galat. 5. postolus: Fructus autē spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia. Hæc uero aspera, impatiens, dura, plena rancore & mœrore infructuoso ac desperatione pœnali, eum quē complexa fuerit, ab industria ac salutari dolore frangēs ac reuocans, utpote irrationabilis & intercipiens non solum efficaciā orationum, uerum etiam uniuersos quos prędiximus fructus spiritales euacuans, quos nouit illa conferre.

*Quod absque illa salutari tristitia, quæ tribus modis generatur, omnis tristitia tamquam noxia repellenda sit. Cap. XII.*

QVapropter absque illa quæ pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, uel pro desiderio suscipitur



pitur futurorum, omnis tristitia tamquam sęculi, & quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritu seu Philargyriæ uel irę de nostris cordibus penitus extrudenda.

*Remedia quibus tristitiam a cordibus nostris exterminare possimus. Cap. XIII.*

HAnc ergo perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, si mentem nostram spirituali meditatione iugiter occupatam, futuri spe & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo uniuersa tristitiarum genera, siue quæ ex præcedenti ira descendunt, siue quæ amissione lucri, uel detrimenti illatione nobis aduenium, siue de irrogata generantur iniuria, siue quæ de irrationabili mentis confusione procedunt, seu quæ letalem desperationem nobis inducūt, ualebimus superare, cum ęternarum rerum ac futurarum intuitu semper lęti atque immobiles perdurantes, nec casibus deiecti præsentibus, nec prosperis fuerimus elati, vtraque velut caduca & mox transeuntia † contemplantes. *al. contēnentes.*

LIBRI IX. FINIS.

# IOANNIS CASSIANI EREMITAE DE SPIRITV ACEDIAE.

## *LIBER DECIMVS.*

*Quod sextum certamen sit aduersus spiritum Acediæ, & de natura eius. Cap. I.*

SExtum nobis certamen est aduersus eam quam Græci ἀκηδίαν vocant, nos rædiū siue anxietatē cordis possumus nuncupare. Affinis hæc tristitię est & vagis ac solitarijs magis experta, & in eremo, commorantibus infestior hostis ac frequens, maxime circa horam sextam monachum inquietans, vt quędam febris ingruens tempore præstituto, ardentissimos

dētissimos ęstus accessionū suarum, solitis ac statutis horis animæ inferens ægrotanti. Denique nonnulli senum hunc esse pronuntiant meridianum dæmonē; qui in psalmo nonagesimo nuncupatur.

### *Quemadmodum Acedia serpat in corde monachi, quæve inferat menti dispendia. Cap. II.*

QVi cum miserabilem obsederit mentem, horrorem loci, fastidium cellæ, fratrum quoque qui cum eo uel eminus commorantur, tamquam negligentium ac minus spiritalium aspernationem gignit atque contemptum. Ad omne quoque opus quod intra septa sui cubilis est, facit desidem & inertem. Non eum in cella residere, nec operam sinit impendere lectioni, nihilq. se proficere tanto tempore in eadem commorantem crebrius ingemiscit, nec habere se fructum aliquem spiritalem, donec fuerit illi consortio copulatus conqueritur atque suspirat, & ab omni se dolet spiritali quæstu inanem in loco vacuumq. consistere, vtpote qui cum posset etiam alios regere ac prodesse plurimis, nullum ędificauerit, nec quemquam institutione sua doctrinaq. lucratus sit. Absentia longeq. posita magnificat monasteria, loca etiam illa magis ad profectum vtilia & saluti congruentiora describit; consortia quoque ibidem fratrum suauia & plena spiritali conuersatione depingit. Econtra vniuersa quæ habentur in manibus aspera; & non solum ædificationem nullam esse in fratribus, qui morantur in loco, sed ne ipsum quidem victum corporis absque ingenti labore conquiri. Postremo non posse saluari in eo loco durātem, nisi relicta cella, cum qua sibi si adhuc in ea fuerit remoratus pereundum erit, exinde semetipsum quantocius asportauerit. Deinde lassitudinem corporis cibiq. esuriem, quinta sextaq. hora tantam suscitat, vt velut longo itiner grauissimoq. labore confectus sibimet lassusq. videatur, aut quasi refectionem cibi biduano ieiunio triduanove distulerit. Tum præterea huc illucq. anxius circumspectat, & nec fratrem sibi quempiam aduentare suspirat, sępiusq. egreditur & ingreditur cellam, ac solem velut ad occasum tardius properantem crebrius intuetur. Et ita quadam irrationabili mentis confusione velut tetra suppletur caligine, omniq. actu spiritali redditur otiosus ac vacuus, vt nulla re alia tantæ oppugnationis remedium, quàm visitatione fratris cuiuspiam, seu somni solius solatio posse æstimet inueniri. Deinde Honestas idē morbus ac necessarias suggerit salutationes fratribus exhibendas, visitationesq. infirmorum vel eminus vel cominus positorum. Quædam etiam pia ac religiosa dictat officia, illos vel illas debere parentes inquiri, & ad salutandos eos crebrius properari, illam religiosam deuotamq. Deo feminam, omni præsertim parentum præsidio destitutam, magnum opus esse pietatis frequentius inuisere, ac si quid ei sit necessarium, quæ a proprijs parentibus negligitur atque despicitur, sanctissimum procurari, magisq. oportere in his operam pietatis impendi, quàm † infructuose ac sine ullo profectu in cellula residere. *al. infructuosum.*



### *Quibus generibus monachum superet Acedia. Cap. III.*

AGitur itaq. infelix anima talibus inimicorum machinis impetita, donec Acediæ spiritu velut ariete validissimo fatigata, aut in somnum discat cōcidere aut excussa clausтris cellulæ suæ consolationem impugnationis huius visitatione fratris consuescat acquirere, hoc quo vtitur ad præsens remedio, paulo post acrius infirmāda. Frequentius enim ac durius aduersarius eū attentabit, quem cōserto prælio prębiturum cominus sibi terga cognoscit, salutemq. sibi non de victoria nec de conflictu, sed de fuga sperare peruidit, donec paulatim protractus e cella actus suæ professionis incipiat obliuiscī, quod non est aliud quàm intuitus & contemplatio diuinæ illius & excellentis super omnia puritatis, quæ non alibi potest nisi in silentio & iugi cellæ perseuerantia ac meditatione conquiri, atque ita militiæ suæ fugitiuus ac desertor Christi miles effectus, implicet se negotijs sæcularibus, ei † cui se probauit minime placiturus. *2. Tim. 2. al. qui*

### *Quod Acedia excæcat mentem ab omni contemplatione virtutum. Cap. IV.*

HVius ęgritudinis vniuersa incommoda vno versiculo beatus Dauid eleganter expressit: Dormitauit, inquiens, anima mea præ tædio, id est, præ Acedia. Proprie satis non corpus dixit, sed animam dormitasse. Vere enim ab omni contemplatione virtutum & intuitu spiritalium sensuum dormitat anima, quæ perturbationis huius telo fuerit sauciata. *Ps. 118.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quod duplex Acedia sit in pugna. Cap. V.*

ITaque Christi uerus athleta, qui agonem perfectionis cupit legitime decertare, hunc quoque morbum de latebris animæ suæ festinet extrudere, & ita contra hunc quoque nequissimum Acediæ spiritum vtrobique contendat, vt neque somni telo elisus concidat, neque de monasterij claustris expulsus, quamuis sub prætextu coloris pij fugitiuus abscedat.

*Hi qui ab Acedia cœperint vinci, quatenus collabantur. Cap. VI.*

*al. desidiosum* QVemcumque enim in qualibet parte cœperit superare, aut tamquam inertem & † deditiuum sibi patietur absque vllo profectu spiritus in cellula commorari, aut excussum exinde instabilem de cetero reddet ac vagum, & ad omne opus desidem; cellas fratrum ac monasteria iugiter faciet circũire, nihilq. aliud procurare, quàm vbi quoue colore occasionem refectionis futuræ valeat præparare. Mens enim otiosi nihil aliud cogitare nouit, quàm de esca ac ventre, donec inuenta quandoque sodalitate cuiusquam viri vel feminæ tẽpore æquali torpentis, rebus eorum ac necessitatibus inuoluatur, & ita paulatim reddatur noxijs occupationibus irretitus, vt tamquam serpentinis spiris obstrictus, numquam deinceps ad perfectionem professionis antique se ualeat enodare.

*Testimonia Apostoli contra spiritum Acediæ. Cap. VII.*

HVnc morbum qui de Acediæ spiritu nascitur, beatus Apostolus ut uerus ac spiritalis medicus, uel tũc iam conspiciẽs serpere, uel emersurum inter monachos sancto spiritu reuelante prospiciens, salutaribus præceptorũ suorum medicamentis præuenire festinat. Thessalonicensibus enim scribẽs, & primo vt peritissimus quidam perfectusq. medicus, infirmitatem susceptorum blanda leniq. verbi curatione fomentans, ac de charitate incipiens, eosq. in ea parte collaudans, quousque letale vulnus leniore remedio delinitum, deposita tumoris indignatione, facilius medi-
*1. Thes. 4.* camina austeriora sustineat, ita ait: De charitate autem fraternitatis nõ necesse habemus scribere uobis. Ipsi enim a Deo docti estis, ut diligatis inuicem: Etenim facitis illud in omnes fratres in uniuersa Macedonia. Præmixit laudis fomenta lenia, fecit eorum aures ad curã salutaris uerbi placi-



placidas & paratas. Rursum infert: Rogamus autem vos *Ibid.* fratres ut abundetis magis. Adhuc eos blanda verborum lenitate demulcet, ne forte nec dum aptos ad perceptionem perfectæ curationis inueniat. Quid est in quo rogas Apostole, vt abundent magis? scilicet in charitate, de qua superius dixeras: de charitate autem fraternitatis non ne- *Ibid.* cesse habemus scribere vobis: Et quid necesse est vt dicas eis: Rogamus autem vos vt abundetis magis, qui super hac re ne scribi quidem sibi aliquid indigent, cum præsertim & inferas causam ob quam hoc ipso non egeant, dicens: Ipsi enim vos a Deo docti estis, vt diligatis inuicẽ; tertium quoque maius adijcias, quòd non solum a Deo docti sint, verumetiam compleant opere quæ docentur? Etenim facitis illud, inquis, non in vno tantum vel duobus, sed in omnes fratres, nec in vestros tantummodo ciues vel notos, sed in vniuersa Macedonia. Dic igitur tandem, quid est quod tantopere hoc præmittis? Iterum infert: Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis. Et vix ali- *Ibid.* quando in id quod olim moliebatur erumpit: Et operam detis, vt quieti sitis. Dixit primam causam, deinde infert secundam: Et vt vestra negotia agatis. Tertiam quoque: Et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Quartã: Et vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. † fo- *Hæc absũt a. v. c.* ris sunt scilicet qui sæculo viuunt. Quinctam: Et nullius aliquid desideretis. Ecce, illa cunctatio, quam tantis proferre procœmijs differebat, quid in eius pectore parturiebat agnoscitur. Et operam detis, vt quieti sitis, id est, in ve- *Ibid.* stris cellulis commorantes, nec diuersis rumoribus qui solent otiosorum votis vel fabulis generari, inquieti effecti, alijs quoque inquietudines inferatis. Et vt uestra negotia agatis, non uestra curiositate actus mundi uelitis inquirere, ac diuersorum conuersationes explorantes, opera vestra non ad correctionem vestram seu uirtutum studia, sed ad detractiones fratrum uelitis impendere. Et operemini manibus uestris, sicut præcipimus vobis. Vt illa fierent quæ monuerat superius, ne agerent, id est, ne inquieti essent, & *Ibid.* aliena curarent negotia, vel inhoneste ambularent ad eos qui foris sunt, uel alterius aliquid desiderarent, nunc intulit, dicens: Et operemini manibus uestris, sicut præcepimus vobis. Vt enim illa fierent quæ superius reprehendit, otium causam esse euidenter expressit. Nullus enim potest vel

inquietus esse, vel aliena curare negotia, nisi qui operi manuum suarum non acquieſcit insistere. Quartum quoque intulit morbum, qui ex hoc ipso † otio nascitur, id est, vt inhoneste non ambulent, dicens: Et vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. Numquam potest nec apud eos quidem qui sęculi homines sunt, honeste incedere, qui nequaquam clausstris cellæ & operi manuum suarum inhærere contentus est; sed necesse est eum inhonestum esse, dum necessaria victus requirit, adulationi quoque operam dare, nouitates etiam rumorum sectari, causarum fabularumq. occasiones conquirere, per quas sibimetipsi aditum paret ac facultatem qua diuersorum domos valeat penetrare. Et nullius aliquid desideretis. Non potest non alienis donis & muneribus inhiare, qui non delectatur pio quietoq. labore operis sui quotidiani victus parare substantiam. Videtis tot causas, tam graues ac turpes, vna huius uitij labe generari? Denique hos ipsos quos in epistola prima molli fouerat palpatione verborum, qualiter in secunda, velut qui non profecissent ad † molliora remedia, austerioribus quibusdam & causticis medicamentis sanare aggreditur, nullaq. iam mitium verborum fomenta præmittit, non vllam tenerам vocem ac blandam, vt ibi: Rogamus autem vos fratres, sed: Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis uos ab omni fratre ambulãte inordinate. Ibi rogat, hic denuntiat. In illa blandientis affectus, in hac obtestantis seueritas & minantis. Denuntiamus vobis fratres. Quia prius rogantes contempsistis audire, saltem nunc denuntiationibus obedite. Ipsamq. denũtiationem non nudo verbo, sed cum obtestatione nominis Domini nostri Iesu Christi terribilem infert, ne forte simplicem velut humana voce prolatam rursum contemnerent, nec magnopere ducerent obseruandam. Statimq. vt peritissimus medicus putribus membris quibus leni medicamento remedium ferre non potuit, mederi spiritalis ferri incisione pertentat: Vt subtrahatis vos, inquiẽs, ab omni fratre ambulante inordinate & non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Itaque ab his qui uacare operi nolunt, iubet subtrahi, & uelut membra otij corrupta putredine desecari, ne inertiæ morbus velut letale cõtagium, etiam sanas membrorum partes tabe serpente corrumpat. Dicturusq. de his qui operari manibus suis nolunt, & panem

*al. vitio*

*al. leniora*

*2. Thess. 3*



nem suum cum silentio manducare, a quibus etiam præcipit subtrahẽdum, qualibus eos a principio opprobrijs inurat attendite. In primis inordinatos dicit, nec secundũ suã traditionem ambulare: alijs verbis contumaces eos, vtpote qui nollent iuxta institutionem eius incedere, & inhonestos esse designans, id est, non processionis, nõ visitationis, non verbi, non temporis oportunitatem congruam honestamq. sectantes. Omnibus enim istis vitijs inordinatum quemque necesse est subiacere. Et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Et in hoc rebelles eos quodammodo & contemptores notat, qui traditionem quam acceperunt ab eo, tenere contemnerent, nec imitari uellẽt id quod magistrum nõ solum verbo docuisse meminerint, sed etiam opere nouerint perfecisse: Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos. Immanem cumulum reprehensionis exaggerat, cum hoc eos asserit non obseruare quod & memoriæ eorum inhæreat, & ad imitandum nõ solum verbo instruente didicerint, sed etiam exemplo operum prouocante susceperint.

*Ibid.*

*Ibid.*

*Quod necesse sit inquietum esse eum qui opere manuum suarum non vult esse contentus. Cap. VIII.*

QVia non inquieti fuimus inter uos. Cum se vult inquietum inter eos nõ fuisse per operis exercitium cõprobare, eos qui operari nolunt, abunde notat otiositatis vitio inquietos semper existere: Neque gratis panem manducauimus ab aliquo. Per singula verba increpationis auxesin facit. Doctor gentium, prędicator Euangelij dicit se non gratis panem ab aliquo manducasse, qui nouit Dominum pręcepisse, ut qui Euangelium denuntiant, de Euangelio uiuant, & rursum: Dignus est operarius cibo suo. Cum igitur non gratis qui Euangelium prædicabat, tam sublime ac spirituale opus exercens, cibum sibi Dominicę iussionis auctoritate præsumeret; quid nos faciemus, quibus non solum nulla prædicatio uerbi commissa est, sed nec ulla quidem nisi animæ nostræ solius cura mandatur? Qua fiducia otiosis manibus gratis panem comedere audebimus, quem uas electionis euangelica solicitudine & prædicatione constrictus, sine opere manuum comedere non præsumit? Sed in labore, inquit, & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus.

*Ibid.*

*1. Cor. 9. Matt. 10*

*2. Thes. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mus. Adhuc additamenta suæ castigationis exaggerat. Nō enim simpliciter dixit: Non comedimus panem gratis ab aliquo vestrum, & stetit. Poterat enim videri proprio otioso. sumptu ac recondita pecunia vel aliorum, licet non istorum collatione seu muneribus sustentatus fuisse. Sed in labore, inquit, & fatigatione, nocte ac die operantes, idest, nostro opere specialiter sustentati. Et hoc, inquit, non pro nostra voluntate perpetrabamus, nec pro delectatione, ut requies & exercitium corporis inuitabat, sed vt necessitas & inopia victus non sine ingenti fatigatione corporis facere compellebat. Non solum namque per totum diei spatiū, sed etiam noctis tempore, quod quieti corporis videtur indultum, hoc opus manuum pro escæ solicitudine indesinenter vrgebam. *Ibid.*

*Quod non solum Apostolus, sed etiam hi qui cum illo erant, manibus suis operati sunt. Cap. IX.*

NEc tamen se solum taliter inter eos conuersatum fuisse testatur, ne forte nō magna nec generalis videretur hæc forma, si ipsius tantummodo traderetur exemplo, sed etiam omnes qui erant secum ad ministerium Euangelij deputati, id est, Siluanum & Timotheum, qui hæc eadem cum eo scribunt, asserit similiter opere laborasse. In eo etiā quod dicit: Ne quem vestrum grauaremus; verecundiam eis incutit magnam. Si enim ille qui Euangelium prædicabat, signis illud virtutibusq. commendans, ne grauaret quempiam, gratis panem manducare non audet; quomodo illi non æstiment se grauare, qui quotidie eum otiosi vacantesq. præsumunt? *Ibid.*

*Quod ob hoc manibus suis Apostolus operatus sit, ut nobis operandi præberet exemplum. Cap. X.*

NOn quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus uobis ad imitandum nos Pandit causam cur tantum sibi laboris indixerit: Vt formam, inquit, daremus vobis ad imitandum nos; ut si forte doctrinam verborum auribus uestris frequēter ingestam obliuioni traderetis, saltem conuersationis exempla sub oculorum fide uobis tradita memoriter retineretis. Haud leuis eorum & in hoc reprehensio, cum dicit, se nulla alia quàm exempli gratia, laborem hunc & fatigationem die noctuq. *Ibid.*



noctuq. corporis exegisse, & eos nihilominus eruditi nolle, propter quos ipse necessitatem non habens, tantum sibi fatigationis indixerit. Et quidem, inquit, cum haberemus potestatem, & paterēt nobis facultates omnium vestrū atque substantiæ, & utendi eis Domini nostri nostem me habere permissum, non sum tamen usus hac potestate, ne quod a me bene ac licito fieret, alijs otij noxij præberet exemplū. Et idcirco Euangelium prædicans, meis manibus atque opere malui sustentari, ut uobis quoque volētibus iter virtutis incedere, uiam perfectionis præirem, & conuersationis formam meo labore præberem.

*Quod non solum exemplo, sed etiam uerbis prædicans, monuerit operari. Cap. XI.*

SEd ne forte tacitus operans, & erudire eos uolens exemplis, minime illos etiam præceptorum monitis instruxisse videretur, infert: Nam & cum essemus, inquit, apud vos, hoc denuntiabamus uobis, quoniam si quis nō vult operari, nec manducet. Adhuc illorum desidiam qui sciētes eum vt magistrum bonum doctrinæ gratia & institutionis obtentu suis manibus operatū imitari contemnunt, & diligentiam cautionemq. suam exaggerat, dicens: Non tantum se hoc illis exemplo tradidisse præsentem, sed etiā verbis iugiter prædicasse; vt si quis scilicet non vult operari, nec manducet. *Ibid.*

*De eodem. Cap. XII.*

NOn iam doctoris vel medici vtitur ad eos consilio, sed districtione in eos iudiciariæ pronuntiationis innehitur; & apostolica potestate resumpta, velut e tribunali in contemptores sententiam dicit. Illa nempe potestate, quam cum interminatione, scribens ad Corinthios, a Domino sibi asserit datam, cum eos in delicto positos præmoneret, vt ante aduentum suum semetipsos corrigere festinarent, ita præcipiens: Rogo uos, ne præsens compellar audere in quosdam potestate illa, quę data est mihi in uobis. Et iterum: Si enim voluero aliquid gloriari de potestate quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem uestram, non erubescam. Illa, inquam, potestate pronuntiat: Si quis non vult operari, nec manducet: non gladio carnali eos addicens, sed auctori- *2. Cor. 10.* *Ibid.* *2. Thes. 3.*

tate Spiritus sancti, huius uitę eis interdicens substantiam: vt si forte pœnam futuræ mortis minime cogitantes, adhuc uellent amore otij existere contumaces, saltem necessitate naturali constricti, & metu præsentis interitus, salutaria præcepta susciperę cogerentur.

*De eo quod dicit: Audimus enim inter uos quosdam ambulare inquiete. Cap. XIII.*

POst tantum itaque rigorem euangelicæ districtionis, nunc iam causam exponit, cur hęc uniuersa præmiserit: Audimus enim quosdam inter uos ambulare inquiete, *Ibid.* nihil operantes, sed curiosę agentes. Nusquam eos qui dediti operi esse nolunt, vno tantum morbo corruptos pronũtiare contentus est. In priori namque epistola inordinatos *Immo hoc ipso cap.* eos appellat: nec secundum traditionem ambulare quam acceperant ab eo. Inquietos etiam esse definit, & gratis panem manducare. Rursum hic: Audimus, inquit, quosdam inter uos ambulare inquiete. Et subiungit statim secundum languorem, qui inquietudinis huius est radix: Nihil, inquit, operãtes. Tertium quoque morbum, qui ex isto uelut quidam ramusculus oritur: Sed curiosę agentes.

*Quod multa vitia amputet operatio. Cap. XIV.*

ITaque fomiti vitiorum tantorum congruam nũc emẽdationem conferre festinat, & illa apostolica qua usus fuerat paulo ante, depositą potestate, iterum ad uiscera pij patris, uel clementis reuertitur medici, & uelut filiis susceptisq. suis consilio salubri infert remedia sanitatis, dicens: *Ibid.* His autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino Iesu, vt cum silentio operantes panem suum manducent. Causas tantorum ulcerum quæ de radice otiositatis emergunt, vno operationis salutari præcepto curauit, vt peritissimus medicorum; ceteras quoq. valitudines malas eodem cespite pullulantes sciens protinus extinguendas, origine morbi principalis exempta.

*De humanitate etiam otiosis & negligentibus impartienda. Cap. XV.*

NIhilominus tamen vt perspicacissimus ac prouidus medicus, non solum infirmantium cupit mederi vulneribus, sed etiam sanis, quibus eorum possit perpetua sospitas



sospitas custodiri, similiter congruentia præcepta cõmendat, dicens: Vos autem nolite deficere benefacientes. Qui *Ibid.* nos, id est, vias nostras sectantes, exẽpla vobis tradita operis imitatione completis, ac nequaquam eorum desidiam inertiamq. sectamini: Nolite deficere benefacientes, id est, humanitatem vestram erga eos si forte neglexerint obseruare quæ diximus, similiter impertite. Vt castigauit ergo eos qui erant infirmi, ne otio dissoluti inquietudini & curiositati operam darent: ita hos qui sani sunt præmonet, vt humanitatem quã bonis ac malis impartire Domini præ- *Matth. 5.* cepto iubemur, si forte quidam praui ad sanam doctrinam conuerti noluerint, nõ abscindant ab eis, sed benefacere & fouere eos tã consolationis & correptionis sermone, quàm beneficijs solitis & humanitate non desinant.

*Quod non odij, sed dilectionis causa, eos qui delinquunt corripere debemus. Cap. XVI.*

RVrsum tamen ne forte hac lenitate prouocati, quidam præceptis eius obedire contemnant, intermiscet apostolicam seueritatem: Quòd si quis non obedit uerbo nostro, per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum *2. Thess. 3* illo, vt confundatur. Monensq. eos pro reuerentia sui & vtilitate communi quid oporteat obseruari, quaq. cautione apostolica mandata custodiant, subiungit confestim patris indulgentissimi lenitatem; & ut filios suos quem erga prædictos pro charitate fraternitatis affectum debeant retinere, similiter docet: Et nolite, inquit, quasi inimicum existi- *Ibid.* mare, sed corripite vt fratrem. Seueritati iudiciariæ paternam intermiscuit pietatem, & sententiam apostolico rigore prolatam, clementi mansuetudine temperauit. Nam & notari iubet eum qui obedire præceptis suis contempserit, & cum illo non commisceri, & tamen hæc fieri non odij vitio præcipit, sed fraternæ dilectionis & eorum emendationis intuitu: Nolite, inquit, commisceri cum illo, vt con- *Ibid.* fundatur: vt qui non est meis præceptis mitibus emẽdatus, saltem publica omnium vestrum segregatione cõfusus, ad tramitem salutis aliquando incipiat reuocari.

*Diuersa testimonia quibus Apostolus præcipit operari debere, vel ipse operatus fuisse monstratur. Cap. XVII.*

IN epistola quoque ad Ephesios de hoc ipso opere ita præcipit, dicens: Qui furabatur, iam non furetur, magis au- *Ephes. 4.*

tem

Universidad de Deusto
Biblioteca



tem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. In actibus etiam Apostolorum hæc eadem non solum docuisse eum, sed etiam opere perfecisse similiter inuenimus. Nam cum uenisset Corinthum, alibi se manere non patitur, nisi apud
Act. 18. Aquilam & Priscillam, eo quòd eiusdem artis essent opifices, quam ipse erat solitus exercere. Ita enim habes: Post hæc Paulus egressus ab Athenis, uenit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, & Priscillam uxorem eius, accessit ad eos, eo quòd eiusdem essent artis, & manebat cum eis, & operabatur. Erant enim scenofactoriæ artis.

*Quod tantum operatus sit Apostolus, quantum non sibi soli, sed etiam his qui cum eo erant, posset sufficere. Cap. XVIII.*

Act. 20. DEinde procedens Miletum, & exinde mittens Ephesum, conuocansq. ad se presbyteros Ephesiorum ecclesiæ, & dans eis præcepta quemadmodum regere ecclesiam Dei se absente deberent, ait: Aurum & argentũ nullius
Ibid. concupiui: ipsi scitis quoniam ad omnia quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi uobis, quia sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse uerbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quàm accipere. Graue nobis suæ conuersationis reliquit exemplum, cum se non solum id operatum esse testatur, quod necessitati tantummodo sui corporis expediret, sed etiam quod usibus eorũ qui secum erant posset sufficere: his uidelicet qui quotidie necessarijs ministerijs occupati, nequaquam sibi parare similiter uictum suis manibns occurrebant. Et sicut ad
2. Thes. 3. Thessalonicenses operatum se dixit, ut illis formam daret ad imitandum eum; ita & hic tale quid intulit, dicens.

*Quemadmodum intelligi debeat: Beatius est magis dare quam accipere. Cap. XIX.*

Act. 20. OMnia ostendi uobis, quia sic laborantes oportet suscipere infirmos, scilicet uel mente uel corpore, id est, ut nostro potius labore sumptuq. operis sudore quæsito, & non de abundantiæ cumulo seu reposita pecunia, sed ne de aliena quidem largitate ac substantia eos reficere festi-
Ibid. nemus. Et hoc ipsum Domini dicit esse mandatum; Quoniam



niam ipse, inquit, dixit, id est, Dominus Iesus: Beatius est magis dare quàm accipere. Hoc est, impertientis beatior largitas quàm accipientis penuria, quę non de pecunia per infidelitatem vel diffidentiam reseruata, nec de reconditis auaritię thesauris impẽditur, sed quæ de fructu operis proprij & pio sudore profertur. Et ideo beatius est magis dare quàm accipere: quia cum illius qui accipit, is qui tribuit habeat paupertatem, nihilominus labore proprio non solũ suę necessitati sufficientia, uerumetiam quod tribuat indigenti pia solicitudine parare festinat; duplici gratia decoratus, quòd & perfectam nuditatem Christi vniuersarum rerum suarum abiectione possideat, & munificentiam diuitis laboris sui exhibeat effectu. Hic quidem, honorans Deũ *Prou. 3.*
de suis iustis laboribus, & delibans ei de fructibus iustitiæ *sec. lxx.*
suæ: ille vero, otij torpore & inertia resolutus, indignum se esse etiam cibo panis, Apostoli probat sententia, contra eius scilicet interdictum, otiosus eum non sine reatu contumaciæ præsumens.

*De fratre desidioso, qui alios egredi de cœnobio solicitabat. Cap. XX.*

NOuimus fratrem, cuius etiã nomen si amplius aliquid ex hoc instructionis accederet, proderemus, qui cum in cœnobio moraretur, eumq. necessitas coartaret, ut statutum operis pensum quotidie œconomo traderet; ne in maiorem operis modum alicuius propensius laborantis tenderetur vel confunderetur exemplo, cum in cœnobio quempiam fratrum vidisset ingressum, qui ardore fidei uellet aliquid amplius operis consignare, si clandestinis eum persuasionibus reuocare ab huiusmodi intẽtione minime posset, consilijs prauis ac susurrationibus ad transmigrandũ exinde persuadebat. Et quo eũ facilius asportaret, se quoque iam olim multis ex causis offensum cõfingebat uelle discedere, si solatium itineris vel comitis reperisset. Cumque eum ad cõsensum occultis obtrectationibus monasterij pellexisset, condicens ei horã qua de monasterio deberet exire, vel locum quo se præueniens expectaret, ipse velut ilico subsecuturus ibidem subsistebat. Illoq. iã pro discessus sui verecũdia non audente ad monasteriũ de quo aufugerat, vlterius aggregari, illex fugæ eius in cœnobio residebat. Hoc vnum exem-

exemplum de istiusmodi genere hominum pro incipientiũ
*Eccli. 33.* cautione dixisse sufficiat, quo pateat euidentius, quanta ma
la otiositas secundum scripturæ sententiã in monachi mẽ
*1.Cor.15.* te parturiat, vel quemadmodum corrumpat bonos mores
colloquia mala.

*Diuersa ex Salomone contra Acediam testimonia. Cap. XXI.*

*Prou. 28.* QVod otiositatis vitium etiam sapientissimus Salomon euidentissime notat in multis, ita dicens: Qui sectatur otium, replebitur paupertate, uel uisibili scilicet, vel inuisibili, qua necesse est otiosum quemque & diuersis vitiis inuolutum teneri, & alienum semper existere a contemplatione Dei uel diuitiis spiritalibus, de quibus beatus Apostolus: Quia in omnibus, inquit, diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia. De hac autem otiosi paupertate alibi quoq. ita scribitur: Et vestietur cõscissa ueste & pannosa omnis somniculosus. Sine dubio enim nõ merebitur illo vestimento incorruptionis ornari, de quo Apostolus præcipit (Induite vos Dominum Iesum Christum. & iterum: Induti lorica iustitię & charitatis: & de quo etiã Dominus ad Hierusalem loquitur per prophetam: Exsurge, exsurge Hierusalem, induere vestimentis gloriæ tuæ) quisquis somno otij uel Acediæ superatus, non industriæ suæ labore, sed inertiæ pannis operiri maluerit, quos abscidens de perfecta plenitudine & corpore scripturarum, non vestimentum gloriæ nec decoris, sed ignominiosum excusationis uelamẽ suæ † coaptabit ignauiæ. Solent enim hi qui sunt hac segnitie dissoluti, nolentes opere manuum suarum sustentari, quod Apostolus indesinenter exercuit, uel nobis exercere præcepit, quibusdam uti testimoniis scripturarum, quibus quoddam inertiæ suæ velamen imponant; dicentes scriptum esse: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Et: Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris mei. Sed hæc testimonia panni quidam sunt de solida euangelicæ lectionis plenitudine abscisi, & ad hoc assuuntur, vt contegant potius ignominiam otiositatis ac uerecundiæ nostræ, quàm ut calefaciant & exornent nos illa pretiosa veste perfectaq. virtutum, quam in Prouerbiis mulier illa sapiens quę fortitudine & decore induta est, uel sibi uel uiro suo fecisse describitur, de qua etiam consequenter infertur: Fortitudine & de-

*Rom. 13.* *1.Thess. 5* *Esai. 52.* *al. coaptauit* *Ioan. 6.* *Ioan. 4.* *Prou. 31.* *sec. lxx.*



& decore induta est, & lætata est in diebus nouissimis. De hoc inertiæ morbo rursus idem Salomon ita commemorat: Viæ nihil operantium stratæ sunt spinis: id est, illis ac similibus vitijs quæ Apostolus in superioribus de otio pulchre lulare præfatus est. Et iterum: In desiderijs est omnis otiosus. De quibus Apostolus commemorauit, dicens: Et nullius aliquid desideretis. Et ad extremum: Multa mala enim docuit otiositas. Quę euidenter Apostolus in his quæ supra exposuimus enumerauit, dicens: Nihil operantes, sed curiose agentes. Huic quoq. vitio subiunxit aliud: Et operam detis vt quieti sitis. Et deinde: Vt vestra negotia agatis, & vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. Quos etiã inordinatos ac rebelles notat, ab his studiosos quosq. segregari præcipiens: Vt subtrahatis vos, inquit, ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.

*Prou. 15. sec. lxx.* *Prou. 13. sec. lxx.* *2.Thes. 3.* *Eccli. 33.* *2. Thes. 3.* *Ibid.* *Ibid.*

*Quod per Aegyptum fratres ita suis manibus operantur, vt non solum proprijs necessitatibus satisfaciant, sed etiam his qui in carceribus sunt, subministrẽt. Cap. XXII.*

HIs itaq. exemplis per Aegyptum patres eruditi, nullo modo otiosos esse monachos ac præcipue iuuenes sinunt, actum cordis ac profectum patientiæ & humilitatis sedulitate operis metientes: & non solum a nullo quidquã ad vsum victus sui accipere patiuntur, sed etiam de laboribus suis non tantum superuenientes ac peregrinos reficiunt, verumetiam per loca Libyæ, quæ sterilitate ac fame laborant, nec non etiam per ciuitates his qui squalore carcerum contabescunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ victusq. substantiam, de fructu manuum suarum rationabile ac verum sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes.

*Quod otium faciat in partibus Occidentis non esse cœnobia monachorum. Cap. XXIII.*

HInc est quod in his regionibus nulla videmus monasteria tanta fratrum celebritate fundata: quia nec operum suorum facultatibus fulciuntur, vt possint in eis iugiter perdurare, & si eis suppeditari quoquo modo valeat sufficientia victus alterius largitate, voluptas tamen otij & peruagatio cordis diutius eos in loco perseuerare non patitur.

patitur. Vnde hæc est apud Ægyptum ab antiquis patrie
al. sanci- bus † sancta sententia, operantem monachum dęmon
za vno pulsari: otiosum uero innumeris spiritibus deuastari.

*De abbate Paulo, qui singulis annis omne opus manuum suarum igne suppositio concremabat. Cap. XXIV.*

DEnique abbas Paulus probatissimus patrũ, cũ in eremo vastiore consistens, quæ Porphyrio nũcupatur, palmarum fructibus & modico horto securus, haberet sufficientem alimoniæ suæ victusq. substantiam, nec posset aliquid aliud vnde sustentaretur, operis exercere, eo quòd ab oppidis & habitabili terra septem mansionibus vel eo amplius deserti illius separaretur habitatio, plusq. expeteretur pro mercede vecturæ, quàm ualere posset pretium operis desudati; collectis palmarum folijs, quotidianum pensum, velut exinde sustentandus, a semetipso iugiter exigebat. Cumque opere totius anni antrum eius fuisset impletum, id quod solicita cura laborauerat singulis annis igne supposito concremabat: in tantum probans sine opere manuũ nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando cõscendere: vt cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis & cogitationum soliditate ac perseuerantia cellæ, uel Acediæ ipsius victoria & expugnatione perficeret.

*Verba abbatis Moysi quæ dixerat mihi de remedio Acediæ. Cap. XXV.*

CVm incipiens in eremo commorari, abbati Moysi omnium sanctorũ summo dixissem me ægritudine Acediæ hesterno die grauissime fuisse confectum, nec ab ea potuisse aliàs liberari, nisi ad abbatem Paulum protinus cucurrissem; ille: Non te, ait ab ea liberasti, sed magis ei te
al. dedititium † addictum ac subditum prębuisti. Grauius enim te vt desertorem ac fugitiuum deinceps aduersarius impugnabit, quem de conflictu superatum protinus aufugisse cõspexit: nisi de cetero commissa congressione, non desertione cellę, uel somni torpore ingruentes æstus eius ad horam euaporare malueris, sed tolerantia potius & conflictu dideceris triumphare. Vnde experimento probatum est, Acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.

LIBRI X. FINIS.

IOAN-

# IOANNIS CASSIANI EREMITAE DE SPIRITV CENODOXIAE.

## LIBER VNDECIMVS.

*Quod septimum certamen aduersus Cenodoxiam sit, & de natura eius. Cap. I.*

SEptimum nobis certamen est contra spiritum Cenodoxię, quam nos vanam siue inanem gloriã possumus appellare, multiformen, varium atque subtilem, ita vt quibuslibet perspicacissimis oculis non dicam caueri, sed peruideri deprehendiq. vix possit.

*Quod Cenodoxia non solum in parte carnali, sed etiam in spiritali monachum pulset. Cap. II.*

NOn solum enim ut cetera uitia in parte carnali, sed etiam in spiritali monachum pulsat, subtiliore se nequitia ingerens menti: ita ut qui non potuerint uitijs carnalibus decipi, successibus spiritalibus acrius saucientur: tantoq. est perniciosior ad conflictum, quanto obscurior ad cauendum. Omnium namque uitiorum manifestior apertiorq. congressus est, & in unoquoque eorum contradictione rigida confutatus incentor, inualidior factus abscedet, uictoremq. suum deiectus aduersarius deinceps infirmior attentabit. Hic uero morbus cum pro elatione carnali pulsauerit mentem, & fuerit responsionis scuto repulsus, rursus ut quædam multiformis nequitia, priore habitu personaq. mutata, sub uirtutum specie uictorem confodere & iugulare pertentat.

*Quod Cenodoxia multiplex sit ac multiformis. Cap. III.*

ETenim cetera uitia seu perturbationes, vniformes ac simplices esse noscuntur; hæc uero multiplex & multiformis ac uaria, vndiq. bellatori & ex omni parte uictori occurrens. Nam & in habitu, & in forma, in incessu, in uoce,

Universidad de Deusto
Biblioteca



ce, in opere, in vigilijs, in ieiunijs, in oratione, in remotione, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obedientia, in humilitate, in longanimitate, militem Christi vulnerare conatur, & velut quidam perniciosissimus scopulus tumentibus vndis obtectus, improuisum ac miserabile naufragium secundo nauigantibus vento, dum non cauetur nec præuidetur, importat.

### *Quomodo monachum Cenodoxia a dextris & a sinistris impugnet. Cap IV.*

*2. Cor. 6.* ITaq. via regia volentem incedere per arma iustitiæ quæ a dextris sunt & a sinistris, oportet apostolica disciplina transire per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: & tanta cautione inter tumentes tentat onũ fluctus gubernante discretione & flante nobis spiritu Domini, virtutis iter dirigere, vt dextra leuaq. si paululum deflectamus, sciamus nos pernicios mox cautibus illidẽdos. Ideoq. per sapiẽtissimum Salomonem monemur: Ne diuertaris ad dextram neque ad sinistram, id est, ne tibi de virtutibus blandiaris, & dextris successibus ac spiritalibus extollaris, nec deflectens ad sinistrum tramitem vitiorum, secundum Apostolum, gloriam tibi ex eis in tua confusione conquiras. Nam cui sub specie succinctæ vestis ac nitidæ Cenodoxiam non potuit diabolus generare, pro squalida & inculta ac viliore conatur inserere. Quem non potuit per honorem deijcere, humilitate supplantat. Quem scientiæ & elocutionis ornatu nequiuit extollere, grauitate taciturnitatis elidit. Si ieiunet palam, vanitatis gloria pulsatur. Si illud contemnendæ gloriæ causa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur. Ne vanæ gloriæ contagio maculetur, orationes prolixas sub fratrum vitat celebrare conspectu; & quòd eas latenter exerceat, nullumq. habeat conscium facti, non effugit aculeos vanitatis.

*Prou. 4.*

*Philip. 3.*

### *Qua comparatione monstretur natura Cenodoxiæ. Cap. V.*

PVlchre seniores nostri naturam morbi huius in Modũ cepæ † bulborumq. describunt, quæ vno decorticata tegimine, alio rursum inueniuntur induta: totiensq. reperiuntur obtecta, quotiens fuerint spoliata.

*al. porrorumq.*

### *Quod Cenodoxia nec beneficio solitudinis extinguatur. Cap. VI.*

IN solitudine quoque cunctorum mortalium consortia gloriæ causa fugientem, persequi non desistit. Quantoq. amplius vniuersum quis vitauerit mundum, tanto eum acrius insectatur. Alium quòd patientissimus sit operis ac laboris, alium quòd ad obediendum promptissimus, alium quòd humilitate præponderet ceteros, conatur exrollere. Alius scientiæ, alius lectionis; alius vigiliarum prolixitate tentatur. Nec aliàs quemquam hic morbus nisi suis nititur virtutibus sauciare, in his offendicula tendens interitus, in quibus vitæ stipendia conquiruntur. Volẽtibus quippe iter pietatis ac perfectionis incedere, non alibi inimici insidiantes, nisi in via, qua ambulant, laqueos deceptionis abscondunt, secundum illam beati Dauid sententiam: In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi; ut in hac ipsa scilicet virtutum uia, qua gradimur tendẽtes ad brauium supernæ vocationis, nostris elati successibus corruamus, obligatisq. animæ nostræ pedibus concidamus Cenodoxiæ laqueis compediti. Et ita fit ut qui aduersarij conflictu non potuimus superari, nostri triumphi sublimitate vincamur, seu certe (quod est etiam aliud deceptionis genus) vt excedentes continentiæ uel nostræ possibilitatis modum, perseuerantiam nostri cursus infirmitate corporis intercedente perdamus.

*Psal. 141.*

*Philip. 3.*



### *Quod Cenodoxia cum deiecta fuerit, acrius resurgat ad luctam. Cap VII.*

OMnia vitia superata marcescunt, & deuicta per singulos dies infirmiora redduntur, & vel loco uel tempore minuuntur atque deferuent, seu certe a contrarijs virtutibus dissidentia vel cauentur facilius, uel uitantur: hoc vero deiectum acrius resurgit ad luctam, & cum putatur extinctum, sua morte viuacius conualescit. Cetera genera vitiorum eos tantum impugnare solent, quos in certamine superarint, hoc uero suos victores acrius insectatur. Quantoq. fuerit validius elisum, tanto vehementius victoriæ ipsius elatione congreditur. Et hæc est subtilis inimici versutia, ut militem Christi proprijs faciat telis occumbere, quẽ hostilibus armis superare non potuit.

### *Quod Cenodoxia nec eremo, nec ætate deferueat. Cap. VIII.*

ALia interdum vitia, sicut diximus, etiam locorum beneficio conquiescunt, & materia peccati uel oportunitate eius & occasione subtracta lentescere solent & minui;

hoc vero cum fugiente deserta penetrat, nec loco nouit excludi, nec extrinsecus materia subtracta marcescere. Non enim aliunde quàm virtutum eius, quem impetit, successibus animatur. Quædam etiam processu temporis vt præfati sumus, interdum molliuntur atque euanescunt: huic longæuitas, nisi fuerit industria solerti ac prudenti discretione fundata, non solum non officit, verumetiam maiora nouit fomenta congerere.

*Quod Cenodoxia periculosior sit virtutibus mixta. Cap. IX.*

POstremo ceteræ perturbationes a contrarijs sibi virtutibus dissidentes, & ex aperto tamquam die claro bellãtes, & superantur facilius, & cauentur: hæc autem virtutibus inserta, & aciei permixta uelut in nocte cæca dimicãs, atrocius inopinatos decipit & incautos.

*Exemplum regis Ezechiæ quemadmodum telo Cenodoxiæ dei electus fuerit. Cap. X.*

4.Reg.18 ITa namque Ezechiam regem Iudæ virum in omnibus consummatæ iustitię, & sanctarum scripturarum testimonio comprobatum; post innumera virtutum præconia vno elationis telo legimus fuisse deiectũ, & qui internecio-
4.Reg.19 nem centum octoginta quinque milium de exercitu Assyriorum, angelo sub nocte vastante, una prece valuit impetrare, vanitatis gloriatione superatur. Cuius vt præteream virtutum tam prolixum catalogum quem replicare perlõgum est, hoc vnũ dicã. Qui post interdictum terminũ vitę, mortisq. diem Domini sententia prefinitum, quindecim
4.Reg.20 annis vitæ metas excedere una oratione promeruit, sole per decem gradus quos ad occasum tendens iam illustrauerat reuertente, qui lineas quas abscessu eius umbra occupauerat, suo rursum reditu fugans duplicatum diem uniuerso orbi contra fixas naturæ leges inaudito miraculo præbuit; post tanta tamq. incredibilia signa, post tam immania documenta uirtutum, qualiter fuerit successibus
Ibid. suis elisus, audi scripturam narrantem: In diebus, inquit, illis ægrotauit Ezechias usque ad mortem, & orauit Dominum, & exaudiuit eũ, & dedit ei signum, illud scilicet quod legimus de solis datum esse reditu per Isaiam prophetam in quarto regnorum libro: Sed non, inquit, secundũ benefi-
2.Par.32. cia quæ acceperat, retribuit ei, quia eleuatũ est cor eius, & facta



facta est contra eum ira, & contra Iudam & Hierusalẽ: humiliatusq. est postea eo quòd exaltatum fuisset cor eius, tam ipse quàm habitatores Hierusalem, & ideo non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. Quàm pernicioſus, quàm grauis est elationis morbus. Tantæ iustitiæ, tantæ virtutes, tanta fides atq. deuotio, quæ naturam ipsam ac totius mundi leges immutare meruerunt, vna elatione depereunt, ita vt vniuersis virtutibus suis ac si non fuissent obliuioni traditis, iram Domini cõfestim suscepisset, nisi eam resumpta humilitate placasset: vt qui de tam excelso meritorum fastigio, elatione impellẽte, deciderat, non nisi per eosdem rursum humilitatis gradus ad amissum culmen ascenderet. Vis aliud quoq. exemplum similis ruinæ percipere?

*Exemplum regis Ozia eiusdem morbi labe superati. Cap. XI.*

OZias huius, quem commemorauimus, regis atauus, in omnibus quoq. ipse scripturæ testimonio collaudatus, post ingentia virtutum suarum preconia, post innumeros triũphos, quos deuotionis ac fidei suæ merito perpetrauit, discе qualiter sit vanæ gloriæ elatione deiectus. Et egressum est, inquit, nomen Oziæ procul eo quòd auxi
2. Paral. 26. liaretur ei Dominus & corroborasset illum. Et cũ roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominũ Deum suum. Cernis aliud exemplũ ruinæ grauissimæ, & conspicis duos viros tam iustos, tamq. perfectos triuphis suis atque victorijs fuisse confectos. Vnde videtis quàm pernicioſi rerum secundarum soleant esse successus, ita vt qui non potuerunt aduersis frangi, prosperis, si incauti fuerint, acrius elidantur; & qui in conflictu atq. acie mortis euaserunt discrimina, trophæis proprijs triumphisq. succumbant.

*Diuersa testimonia contra Cenodoxiam. Cap. XII.*

IDeo Apostolus monet: Nolite fieri inanis gloriæ cupidi. Galat. 5.
Et Dominus Pharisæos castigans: Quomodo, inquit, vos Ioan. 5.
potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis; & gloriam quæ a solo Deo est non queritis? De his & beatus
Dauid cum interminatione dicit: Quoniam Deus dissipa- Psal. 52.
uit ossa eorum qui hominibus placent.

*Quibus modis Cenodoxia monachum pulset. Cap. XIII.*

SOlet etiam incipientium mentes, & eorum qui minus adhuc vel virtute animi, vel scientia profecerint, aut propter sonum vocis extollere, quòd scilicet modulatius psallant, aut quòd sint, vel exesis carnibus, vel corpore lautiores, aut quòd parentes diuites aut nobiles habeat, vel quòd militiam honoresq. contempserint. Interdum etiam dignitates & opes, quæ forte nec apprehendi quidem aliquando potuissent, persuader quempiam perfacile fuisse adepturũ si perseuerasset in sæculo, vana spe etiam de incertis inflãs eum, & de his quæ numquam possedit, velut qui ea contẽpserit gloria vanitatis extollens.

*Quemadmodum clericatus gradum suggerat ambiendum. Cap. XIV.*

NOnnumquam vero clericatus gradum, & desiderium presbyterij, vel diaconatus immittit. Quem si uel inuitus fuisset adeptus tanta expleturum sanctitate ac rigore depingit, ut ceteris quoque sacerdotibus præbere potuerit sanctitatis exempla: dein multos non solum cõuersationis forma, uerumetiam doctrina sua sermoneq. lucraturum. Facit etiam in solitudine vel in cellula commorantem, diuersorum domos ac monasteria mente atque animo circumire, & plurimorum conuersiones sub incitamẽto imaginarię exhortationis acquirere. Agitur itaque infelix anima tali uanitate uelut profundissimo sopore deluſa, ut plerunque huiusmodi cogitationum illecta dulcedine, & his oppleta simulacris, ne præsentes quidem actus uel fratres ualeat contemplari, dum his, quæ cogitationum peruagatione uigilans somniauit, delectatur inhærere quasi ueris.

*Quomodo Cenodoxia mentem inebriet. Cap. XV.*

MEmini cuiusdam senis cum in eremo Scithi commorarer: qui cum ad cellam cuiusdam fratris gratia uisitationis adueniens ostio proximasset, audissetq. eum obmurmurantem intrinsecus, paululum substitit, cognoscere uolens quidnam de scripturis legeret, uel, sicut est moris, operans memoriter recenseret. Cumque pijssimus explorator aure diligenter applicita curiosius auscultaret, ita eum repperit huius spiritus impugnatione pellectum, ut in ecclesia facere se crederet exhortatorium plebi sermonem. Cumq. subsistens senex audisset eum finisse tractatum, & mutato rursum officio celebrare uelut diaconum catechumenis missam, tunc demum pulsauit ostium. Qui egressus occurrensq. seni veneratione solita, introducensq. eum quàm olim venerit cogitationum suarum conscientia remordente perquirit, ne scilicet diutius stans ad ostium iniuriam pertulisset: ioculariter senex grateq. respondit: Modo, inquiens, ueni, quando tu missam catechumenis celebrabas.



*Quod aliter vitia curari non possint, nisi eorum radices & causæ fuerint publicatæ. Cap. XVI.*

HÆc idcirco inserere huic opusculo necessarium duxi, vt de impugnationum vi atque ordine vitiorum quibus miserabilis anima laceratur, non solum ratione, sed etiam exemplis instructi, ad deuitandos laqueos & multiplices decipulas inimici cautiores esse possimus. Ita nãque indifferenter hæc ab Ægyptijs patribus proferũtur in medium, ut omnium vitiorum certamina, uel illa, quæ patiuntur, uel illa, quæ passuri sunt iuniores, relatione sua tamquam qui adhuc ea sustineant apud eos detegant atquo denudẽt, quo exponentibus eis illusiones omnium passionum quicumque incipientium sunt ac feruentium spiritu, colluctationum suarum arcana cognoscant, & ea tamquam in speculo contemplantes, & causas uitiorum quibus pulsantur, & remedia doceantur: futurorum quoque certaminum congressibus antequam superueniant eruditi, qualiter præcauere & occurrere eis, vel confligere debeant instruantur. Vt solent peritissimi medicorum non solum mederi præsentibus morbis, verumetiam futuris sagaci peritia occurrere, eosque præceptis uel poculis salutaribus præuenire: ita hi quoque ueritissimi animarum medici emersuras ualitudines cordium spiritali collatione uelut quodã cælesti antidoto prænecantes in iuniorum mentibus non patiuntur adolescere, aperiẽtes eis & causas imminentium passionum, & remedia sanitatum.

*Quod monachus debet vitare mulieres & Episcopos. Cap. XVII.*

QVapropter hæc est antiquitus patrum permanens nũc vsque sententia, quam proferre sine mea confusione non potero, qui nec germanam uitare, nec episcopi manus euadere potui: omnimodis monachum fugere debere mulieres, & episcopos. Neuter enim sinit eum quem

semel suæ familiaritati deuinxerit, vel quieti cellulæ vlterius operam dare, vel diuinæ theoriæ per sanctarum rerum intuitum purissimis oculis inhærere.

### *Remedia quibus Cenodoxiam vitare possimus. Cap. XVIII.*

IDeoq. athleta Christi, qui verum ac spiritalem agonem legitime certare desiderat, hanc multiformem variamq. bestiã omnimodis superare festinet. Quam nobis ex omni parte velut multiplicem nequitiam occurrẽtem tali remedio poterimus euadere, vt cogitantes illud Dauidicum eloquium: Dominus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent; primitus nihil proposito vanitatis & inanis gloriæ capessendæ gratia nosmet ipsos facere permittamus: deinde ea, quæ bono initio fecerimus, obseruatione simili custodire nitamur, ne omnes laborum nostrorum fructus post irrepens Cenodoxiæ morbus euacuet. Quidquid etiã in conuersatione fratrum minime communis vsus recipit vel exercet, omni studio, vt iactantiæ deditum declinemus, & ea quæ nos possunt inter ceteros notabiles reddere, ac veluti solis facientibus laus apud homines sit conquirenda, vitemus. His enim vel maxime indicijs Cenodoxiæ letale contagium nobis inhærere monstrabitur. Quod facillime poterimus effugere, si consideremus non solum fructum laborum nostrorum nos penitus amissuros quoscumq. Cenodoxiæ proposito fecerimus, sed etiam reos magni criminis factos, æterna supplicia velut sacrilegos soluturos; vtpote qui ad iniuriam Dei opus quod eius obtentu nos oportuit agere, hominum gratia maluimus exercere; ab eo qui occultorum est conscius, homines Deo, & gloriam mundi gloriæ Domini prętulisse conuicti.

*Psal. 52.*

LIBRI XI. FINIS.

IOAN-

# IOANNIS CASSIANI EREMITAE DE SPIRITV SVPERBIAE, LIBER DVODECIMVS.

### *Quod octauum certamen aduersum spiritum Superbiæ sit, & de natura eius. Cap. I.*

OCTAVVM, quod & extremũ, aduersus spiritũ Superbiæ nobis certamen est. Qui morbus licet vltimus sit in conflictu vitiorum, atque in ordine ponatur extremus, origine tamen & tempore primus est: sæuissima & superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maxime tentãs, & propemodum iam positos in cõsummatione uirtutum, morsu diriore depascens.

### *Quod Superbia duo sint genera. Cap. II.*

CVius † duo sunt genera. Vnum hoc, quo diximus spiritales uiros summosq. pulsari; aliud quod etiam incipiẽtes carnalesq. complectitur. Et licet vtrumque Superbiæ genus tam in Deum, quàm in homines noxia inflet elatio, tamen illud primum specialiter refertur ad Deum, secundum ad homines proprie pertinet. Cuius originem ac remedia in posterioribus libelli huius, donante Deo, in quantum possimus exequemur. Nunc de illo priore, quo præfati sumus, perfectos præcipue tentari, propositum nobis est pauca disserere. *al. Huius*

### *Quod superbia omnes pariter virtutes auferat. Cap. III.*

NVllum est igitur uitium aliud, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaq. iustitia & sanctitate hominem spoliet ac denudet, vt Superbiæ malum, tamquam generalis quidam ac pestifer morbus non vnum membrum partemve eius debilitare contentus, sed solidum corpus letali corrumpit exitio; & in uirtutum iam fastigio collocatos,

grauissima ruina deijcere ac trucidare conatur. Omne nãq. vitium suis est terminis & sine contentum, & licet contrister alias quoque uirtutes, contra unam tamen principaliter tendit, eamq. specialiter opprimit & impugnat. Et vt hoc ipsum, quod dicimus clarius possit intelligi, gastrimargia, id est, appetitus ventris seu concupiscentia gulæ, temperantię rigorem corrumpit; castitatem libido contaminat; ira patientiam vastat: vt nonnunquam vni quis deditus vitio alijs virtutibus penitus non destituatur, sed illa tantum virtute truncata, quæ ediuerso æmulo repugnante succumbit, reliquas possit uel ex parte retinere: hæc uero cum infelicem possederit mentem, ut quidam scuissimus tyrannus, sublimissima capta arce virtutũ, uniuersam funditus ciuitatem diruit atque subuertit. Excelsa quondam sanctitatis mœnia uitiorum solo coæquans atque permiscẽs, nullam deinceps imaginem libertatis animæ sibi subditæ superesse concedit. Quantoque ceperit ditiorem, tanto grauiori seruitutis iugo subditum, uniuersis virtutum facultatibus crudelissima deprædatione nudabit.

## *Quod ob superbiam lucifer ille de archangelo factus est diabolus. Cap. IV.*

ET vt grauissimæ tyrannidis eius potentiam cognoscamus, angelũ illum, qui præ nimietate splendoris atque decoris sui lucifer nuncupatus est, nullo alio quàm hoc uitio deiectum cælitus inuenimus, & ex illa beata sublimiq. angelorum statione telo superbiæ vulneratum ad inferna fuisse collapsum. Si igitur illum tanta virtute, & tantæ potentiæ prærogatiua decoratum, una elatio cordis potuit de cælestibus ad terrena deuoluere: qua nos obseruantia carnis fragilitate circumdatos cauere oporteat, ipsius ruinæ magnitudo demonstrat. Quemadmodum uero huius morbi uirus pernicioſissimum deuitemus instrui poterimus, si ruinæ ipsius causas atque originem persequamur. Numquam enim curari languor, nec remedia poterunt malis ualetudinibus exhiberi, nisi prius inquisitione sagaci origines earum inuestigentur & causæ. Hic namque indutus diuina claritate, & inter ceteras supernas uirtutes conditoris largitate præfulgens, splendorem sapientiæ & uirtutum pulchritudinem, qua ornabatur gratia creatoris, naturæ suæ potentia, non munificẽtiæ illius beneficio se credidit



dit obtinere. Et ob hoc elatus, tamquam qui ad perseuerantiam puritatis huius diuino non egeret auxilio, Deo se similem iudicauit; vtpote qui nullius indigeret quẽadmodum Deus, liberi scilicet arbitrij facultate confisus, per illam credens affluenter sibimet omnia suppeditari, quæ ad consummationem virtutum vel perennitatem summæ beatitudinis pertinerent. Hæc ei sola cogitatio facta prima ruina est. Ob quam desertus a Deo, quo se credidit nõ egere, instabilis repente & nutabundus effectus, & infirmitatem propriæ naturę persensit, & beatitudinem, qua Dei munere fruebatur, amisit. Et quia dilexit verba præcipitationis, quibus dixerat: In cęlum conscendam: & linguã dolosam, qua vel de se dixerat: Ero similis altissimo; vel de Adam & Eua: Eritis sicut dij; propterea Deus destruet illum in finem, euellet eum, & emigrabit de tabernaculo suo, & radicem eius de terra viuentium. Tunc ruinã eius videntes iusti timebunt, & super eum ridebunt, dicentes (quod etiam ad hos qui se sine protectione auxilioq. Dei summum bonum perficere posse confidunt, iustissime dirigetur:) Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suũ, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum & præualuit in uanitate sua.

*Psal. 51. Esai. 14. Ibid. Gen. 3. Ps. 51. Ibid.*

## *Quod fomites vitiorum omnium de Superbia pullulent. Cap. V.*

HÆc est primę ruinę causa, & principalis origo morbi. Qui rursum per illum qui fuerat a se deiectus in protoplastum serpens, infirmitates omnium vitiorum & materias germinauit. Dum enim gloriam deitatis, arbitrij libertate & industria sua credit se posse conquirere, etiam illam perdidit, quam adeptus fuerat gratia conditoris.

## *Quod Superbiæ vitium sit in ordine colluctationis extremũ, tempore tamen & origine primum sit. Cap. VI.*

ITaque exemplis ac testimonijs scripturarum manifestissime comprobatur, Superbiæ labem cum posterior sit in conflictuum ordine, origine tamen anteriorem esse, omniumq. peccarorum & criminum esse principium: nec sicut cetera uitia solummodo contrarium sibi uirtutem, id est humilitatem tantum extinguere, uerumetiam cunctarum simul interemptricem esse uirtutum: nec mediocres tantum paruosq. tentare, sed maxime in fortitudinis

dinis culmine consistentes. Ita enim de hoc spiritu prophe
*Abac.1.* ta commemorat: Et escæ eius electæ. Ideoq. beatus Dauid
*sec.lxx.* licet tanta circumspectione cordis sui custodiret arcana, vt
ad eum quem secreta conscientiæ suæ non latebant, aude-
*Psal.130.* ter proclamaret: Domine nõ est exaltatum cor meũ, neque
elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in
mirabilibus super me, nisi humiliter sentiebam. & iterum:
*Psal.100.* Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam:
sciens tamen quàm difficilis sit etiam perfectis ista custo-
dia, non de sua tantum præsumit industria, sed orans Do-
*Psal. 35.* mini implorat auxilium, vt huius inimici telum possit in-
sauciatus euadere, dicens: Non veniat mihi pes superbiæ;
pauens ac metuens ne in illud incidat quod dicitur de su-
*Iacob.4.* perbis: Deus superbis aduersatur. Et iterum: Immundus est
*Prou. 16.* apud Deum omnis qui exaltat cor suum.
*sec.lxx.*

### *Quod tantum sit malum Superbiæ, vt ipsum Deum aduersarium habere mereatur. Cap. VII.*

QVantum est malum Superbiæ, vt non angelum, non alias uirtutes sibi contrarias, sed ipsum Deum aduersarium habere mereatur. Notandum siquidem est, quòd nequaquam dixerit super his qui ceteris sunt vitijs inuoluti, quòd habeant sibi Deum resistentem, id est, Deus gastri-
*Iacob.4.* margis, fornicarijs, iracundis, seu philargyris aduersatur; sed solis superbis. Illa namque vitia uel in vnumquemque delinquentium tantummodo retorquentur, vel in suos participes, id est, in alios homines uidentur admitti: hæc vero proprie pertingit ad Deum, & idcirco eum specialiter digna est habere contrarium.

### *Quemadmodum Deus superbiam diaboli uirtute humilitatis extinxerit. Cap. VIII.*

IDeoque vniuersitatis creator & medicus Deus, causam principiumq. morborum Superbiam esse cognoscens, contrarijs sanare contraria procurauit, ut ea scilicet quæ per superbiam corruerãt, per humilitatem resurgerent. Ille
*Esa. 14.* namque dicit: In cælum conscendam. Hic dicit: Humilia-
*Psal.43.* ta est in terra anima mea. Ille dicit: Et ero similis altissi-
*Esa. 14.* mo. Hic cum esset in forma Dei, exinaniuit semetipsum,
*Philip. 2.* formam serui accipens, humiliauitq. se factus obediens
*Esa. 14.* vsq. ad mortem. Ille dicit: Super astra Dei exaltabo solium meum,



meum, Iste dicit: Discite a me, quia mitis sum, & humilis *Matt. 11.*
corde. Ille dicit: Nescio Dominum, & Israel nõ dimittam. *Exod.5.*
Iste dicit: Si dixero quia non noui eum, ero similis uobis *Ioan. 8.*
mendax: sed noui eũ, & mandata eius seruo. Ille dicit: Mea *Ezec. 29.*
sunt lumina, & ego feci ea. Iste dicit: Nõ possum ego a me *sec.lxx.*
ipso facere quidquam, sed pater meus in me manens ipse *Ioan. 5.*
facit opera. Ille dicit: Mea sunt omnia regna mundi, & glo- *Luc. 4.*
ria eorum, & cui uoluero do ea. Iste cum diues esset, pau- *2. Cor. 8.*
per effectus est, vt eius inopia nos diuites redderemur. Ille *Esa. 10.*
dicit: Sicut colliguntur oua quæ derelicta sunt, sic vniuer-
sam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pen-
nam, & aperiret os, & ganniret. Iste dicit: Similis factus sũ *Psal.101.*
pelicano solitario; vigilaui, & factus sum sicut passer soli-
tarius in tecto. Ille dicit: Exsiccaui vestigio pedum meorũ *Esa. 37.*
omnes riuos aggerum. Hic dicit: Numquid non possum *Matt. 26.*
rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam
duodecim legiones angelorũ? Si principalis ruinæ causam,
& salutis nostræ fundamenta perspeximus, a quo, & quali-
ter uel ista iacta sint, vel illa emerserint, quemadmodum
deuitare tam atrocem mortem Superbiæ debeamus, uel
illius ruina, uel huius doceamur exemplo.

### *Quemadmodum nos quoque Superbiam superare possimus. Cap. IX.*

ITaque hunc nequissimi spiritus laqueum taliter poteri-
mus euadere, si in singulis quibus sensérimus nos virtu-
tibus profeciſſe, illud apostolicum dixerimus: Non ego, sed *1.Cor. 15.*
gratia Dei mecum. &: Gratia Dei sum id quod sum. & Deũ *Ibid.*
esse qui operatur in nobis & uelle & perficere, pro bona uo *Philip. 2.*
luntate: dicente etiam ipso auctore salutis nostræ: Qui ma- *Psal.126.*
net in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine *Ioan. 15.*
me nihil potestis facere. Et: Nisi Dominus ædificauerit do-
mum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Do-
minus custodierit ciuitatem, frustra uigilauit qui custodit *Ibid.*
eam. Et: Vanum est vobis ante lucem surgere. Quia nõ est *Rom. 9.*
volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

### *Quod nemo possit perfectionem virtutum uel promissam beatitudinem suis tantum viribus obtinere. Cap. X.*

NVllius namque, quamuis uolentis & currentis, tam
idonea potest uoluntas esse uel cursus, vt carne spi-
ritui

ritui repugnante circumdatus, valeat tantum perfectionis præmium, & palmam integritatis ac puritatis attingere, nisi fuerit diuina miseratione protectus; vt ad illud quod magnopere vult, & quo currit, peruenire mereatur. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens a patre luminum. Quid enim habes quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

Iacob. 1.

1. Cor. 4.

*Exemplum latronis, siue Dauid, vel vocationis nostræ, ad Dei gratiam demonstrandam. Cap. XI.*

SI enim vel illum latronem ob vnam confessionem introductum in paradisum recordemur, intelligemus eũ non cursus sui merito tantam beatitudinem consecutum, sed dono Dei miserentis adeptum. Vel si reminiscamur Dauid regis duo tam grauia tamq. immania crimina vno pœnitudinis sermone deleta, nec hic videbimus ad indulgentiam tanti criminis obtinendam laboris merita æquiparasse, sed superabundasse Dei gratiam, qui vere pœnitudinis occasione percepta, tantam peccatorum materiam sub unius uerbi plena confessione consumpsit. Principium quoque discutientes vocationis ac salutis humanæ, qua non ex nobis, nec ex operibus nostris, secundum Apostolum, sed Dei sumus dono gratiaq. saluati, liquido poterimus aduertere, quemadmodum perfectionis summa, non volentis neque currẽtis, sed miserentis est Dei: qui nequaquam laborum uel cursus nostri merito compensante, vitiorum nos facit esse victores, nec aquiparante nostræ voluntatis industria, tam arduum integritatis culmen subiugata qua vtimur carne conscendere. Nulla siquidem corporis huius afflictio, nullaq. cordis contritio ad capessendam veram illam interioris hominis castitatem potest esse condigna, ut tantam puritatis virtutem angelis solis ingenitam, cæliq. vernaculam, nudo humano labore, id est, sine adiutorio Dei valeat obtinere: quia totius bonitatis effectus ab illius profluit gratia, qui tantam perennitatem beatitudinis, & immensitatem gloriæ, exiguæ voluntati, breuiq. ac paruo cursu nostro, multiplicata largitate donauit.

Luc. 23.

2. Reg. 12

Ephes. 2.

Rom. 9.

Quod



*Quod nullus sit labor, qui possit repromissæ beatitudini comparari Cap. XII.*

OMnis enim longęuitas uitæ præsentis, cum ad illam futuræ gloriæ perennitatem respexeris, euanescit: & dolores cuncti contemplatione illius immensæ beatitudinis effugantur, ut fumus ad nihilum extenuati liquescunt, & nusquam ut fauilla comparent.

*Traditio seniorum de consequenda puritate. Cap. XIII.*

QVapropter iam tempus est, ut ipsis quibus traditur uerbis patrum sentẽtiam proferamus, eorum scilicet, qui uiam perfectionis; & qualitatem eius, non uerborum iactãtia depinxerunt, sed potius † re & opere ac uirtute spiritus possidentes, experimentis eam proprijs & exemplis certissimis tradiderunt. Aiunt itaque non posse ad purum quẽpiam carnalibus uitijs emundari, nisi uniuersum laborem suum atque conatum, ad tantæ perfectionis finem intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi Dei miseratione & adiutorio cõprehendi, non tã tradentis institutione quàm effectu atque uirtute & experimentis proprijs eruditus, agnoscat. Ad capessenda namque tã magnifica tamq. præcelsa puritatis & integritatis præmia, quantuslibet ieiuniorum, uigiliarum, lectionis, & solitudinis, ac remotionis labor fuerit impensus, condignus esse non poterit, qui hæc industriæ suæ merito uel laboris obtineat. Nũquam enim diuinum munus labor proprius humanaue compẽsabit industria, nisi desideranti diuina fuerit miseratione cõcessũ.

al. recte

*Quod adiutorium Dei laborantibus tribuatur. Cap. XIV.*

NEc hoc dico, ut humanos conatus euacuans ab industria & laboris intentione quemquam reuocare contendam: sed plane constantissime, non mea sed seniorum sententia definio, perfectionem quidem sine his omnino capi non posse, his autem solis sine gratia Dei posse eam a nemine consummari. Vt enim dicimus conatus humanos apprehendere eam per seipsos sine Dei adiutorio non posse, ita pronuntiamus laborantibus tantum ac desudantibus misericordiam Dei gratiamq. conferri: &, ut uerbis Apostoli loquar, uolentibus & currẽtibus impartiri, secundum illud, quod etiã in psalmo octogesimo octauo ex persona

Rom. 9.

sona Dei cantatur: posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Dicimus enim, secundũ Salua-
Matth.7. toris sententiam, dari quidẽ petentibus, & aperiri pulsantibus, & a quærentibus inueniri, sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id, quod petimus, dederit, vel aperuerit quod pulsamus, vel illud quod quærimus fecerit inueniri. Presto est namq. occasione sibi tantũmodo a nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia cõferenda. Amplius enim ille quàm nos, perfectionem salutemq. nostram
Psal. 89. desiderat & expectat. Et in tantum beatus Dauid prouentum sui operis ac laboris propria tantum industria non posse nouerat obtineri, vt a Domino promereri directionẽ suorum operum iterata prece deposceret, dicens: Et opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum
Psal. 67. nostrarum dirige. Et rursum: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

### A *quibus perfectionis viam discere debeamus. Cap. XV.*

IDeoq. si ad veram consummationem virtutum volumus effectu & opere peruenire, illis debemus acquiescere magistris ac ducibus, qui hanc non vaniloqua disputatione somniantes, sed re atq. experimentis apprehendentes, nos quoq. docere atq. ad eam dirigere similiter pos-
al. rectiss. simo. sunt, & viam quemadmodum perueniamus ad eam † certissimo tramite demonstrare: quiq. ad hanc fide se potius peruenisse quàm laborum merito testabantur. Quibus etiam hoc præcipuum sui cordis acquisita puritas conferebat, vt magis magisq. se deprimi peccatis agnoscerẽt. Tanta namq. in eis delictorum compunctio per dies singulos augebatur, quanta puritas animi profecisset: trahebantq. iugiter intimo corde suspiria, eo quòd semetipsos sentirẽt nequaquam posse delictorum næuos ac maculas deuitare, quæ eis per multiplices cogitationum minutias inurebantur. Et idcirco futuræ vitæ stipendia non operum sperare se merito, sed misericordia Domini proclamabãt, nihil sibi de tanta circumspectione cordis aliorum comparatione donantes: quippe qui hanc ipsa non suæ industriæ, sed gratiæ diuinæ adscribebãt: nec blandientes sibi de inferiorum ac tepidorum negligentia, sed contemplatione potius illorum quos vere peccato carere, atq. in regno cælorum



lorum iam æterna beatitudine perfrui nouerant, humilitatem perpetuam conquirebant: atque ita consideratione hac & elationis ruinam pariter declinabant, & quo tenderent, vel quod dolerent, semper inueniebant, intelligentes semetipsos ad illam puritatem cordis, quam cupiunt, obsistente carnis sarcina, peruenire non posse.

### *Non posse nos sine misericordia & inspiratione Dei, ad ipsum laborem obtinendæ perfectionis accedere. Cap. XVI.*

IGitur secundum traditiones & institutiones eorum, sic ad eam festinare debemus ieiunijs, uigilijs, orationibus, contritioni cordis & corporis operam dantes, ne hæc omnia morbo hoc inflante uacuemus. Non solum namque ipsam perfectionem oportet credere nostra industria nos uel labore nostro possidere non posse, sed ne hæc ipsa quidem quæ illius exercemus obtentu, id est, labores conatusq. nostros ac studia, sine diuinæ protectionis auxilio inspirationisq. eius & castigationis atque exhortationis gratia posse perficere, quam scilicet cordibus nostris, uel per alium solet, uel per semetipsum nos uisitans, clementer infundere.

### *Testimonia diuersa, quibus euidenter ostenditur, nihil posse nos quod ad salutem nostram pertinet, sine adiutorio Dei perficere. Cap. XVII.*

POstremo instruit auctor salutis nostræ, quid nos oporteat in singulis quibusque quæ gerimus, nõ modo sentire, sed etiam confiteri: Non possum ego, inquit, a meipso facere quidquam, pater autem in me manens ipse facit
Ioan.5. Ioan.14. opera. Ille ex persona hominis assumpti, dicit, nihil a semetipso posse se facere, & nos cinis & terra, in his quæ ad nostram salutem pertinent, arbitramur adiutorio Domini non egere? Discamus itaque & nos per singula nostram simul infirmitatem, & illius adiutoria sentientes, quotidie proclamare cum sanctis: Impulsus uersatus sum
Psal.117. ut caderem, & Dominus suscepit me. Fortitudo mea, & laudatio mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Et:
Psal.93. Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitauerat in inferno anima mea. Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ

læti-

lætificauerunt animam meam. Videntes etiam cor noſtrũ
Pſ. 17. in timore Domini, & patientia roborari, dicamus: Et factus eſt Dominus firmamentum meum, & eduxit me in
Ibid. latitudine. Scientiam quoque profectu operum intelligentes nobis augeri, dicamus: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.
Quoniam in te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Dein ſentientes etiam noſmetipſos fortitudinem tolerantiæ conquiſiſſe, & in ſemita virtutum facilius ac ſine labore dirigere, dicamus: Deus qui præcingis me virtute, & poſuiſti immaculatam viam meam. Qui
Ibid. perficis pedes meos tamquam cerui, & ſuper excelſa ſtatuis me. Qui doces manus meas ad prælium. Conſecuti etiam diſcretionem, qua roborati poſſimus aduerſarios
Ibid. noſtros elidere, proclamemus ad Deum: Diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit. Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea. Et quia taliter ſum roboratus ſciẽtia tua atque virtute, inferam confidenter ea, quę ſequuntur, & dicã:
Ibid. Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Conteram illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos. Rurſum infirmitatis noſtræ memores, nec poſſe nos tam acerbos vitiorum hoſtes fragili carne circumdatos, ſine illius adiutorio ſuperare, di
Pſ. 43. camus: In te inimicos noſtros uentilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me.
Pſ. 17. Saluaſti enim nos de affligẽtibus nos, & odientes nos confudiſti. Sed: Et præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti omnes inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.
Pſ. 34. Sed nec armis noſtris poſſe nos uincere cogitantes, dicamus: Apprehende arma & ſcutum, & exſurge in adiutorium mei. Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me, dic animæ meæ; ſalus tua ego ſum. Et:
Pſ. 17. Poſuiſti ut arcum æreum brachia mea, & dediſti mihi pro-
Pſ. 43. tectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me. Quia nec patres noſtri in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachiũ eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Poſtremo vniuerſa beneficia eius cũ gratiarum actione



ne mẽte ſolicita perluſtrantes, ſuper his ommibus quòd vel pugnauimus, vel illuminationem ſcientiæ, uel diſciplinam diſcretionis ab eo cõſecuti ſumus, vel quòd ſuis nos armis inſtruxit, & virtutis cingulo communiuit, vel quòd inimicorum noſtrorum nobis præbuit dorſum, & tribuit virtu- *Pſal. 17.*
tem comminuendi eos vt puluerem ante faciem venti, in-
timo cordis affectu clamemus ad eum: Diligam te Domi- *Ibid.*
ne virtus mea, Dominus firmamentum meum, & refugiũ meũ, & liberator meus, Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum, protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus, laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.

## *Quod non ſolum in naturali conditione, ſed etiam in quotidiana diſpenſatione, Dei gratia muniamur. Cap. XVIII.*

NOn ſolum pro his ei gratias referentes, quòd vel rationabiles nos condidit, uel liberi arbitrij poteſtate donauit, uel baptiſmi largitus eſt gratiam, vel ſcientiam legis adiutoriumq. conceſſit; ſed etiam pro his quæ erga nos quotidiana eius prouidentia conferuntur, quòd ſcilicet ab aduerſatiorum nos inſidijs liberat, quòd cooperatur nobis vt carnis vitia ſuperare poſſimus, quòd a periculis nos etiã ignorantes protegit, quòd a lapſu peccati communit, quòd adiuuat nos & illuminat vt ipſum adiutorium noſtrum (quod non aliud quidam interpretari volunt quam legem) intelligere & agnoſcere valeamus: quòd pro negligentijs delictiſq. noſtris eius inſpiratione latenter compungimur, quòd dignatione eius viſitati ſaluberrime caſtigamur, ꝙ ab eo nõnumquam etiam inuiti trahimur ad ſalutem; poſtremo quia ipſum liberum arbitrium noſtrum, quod procliuius fertur ad uitia, ad meliorem dirigit frugem, & ad virtutum viam inſtigationis ſuæ uiſitatione contorquet.

## *Quod hæc fides ab antiquis patribus ſit tradita de gratia Dei. Cap. XIX.*

HÆc eſt proprie erga Deum humilitas; hæc eſt antiquiſſimorum patrum ſincera fides, quæ penes ſucceſſores eorum intemerata nunc uſque perdurat. Cui fidei virtutes apoſtolicæ, quæ ſæpenumero per eos manifeſtatæ ſunt, non ſolum apud nos, ſed etiam apud infideles & in-

Universidad de Deusto
Biblioteca



credulos indubitatum testimonium reddunt. Qui simplicem piscatorum fidem in corde simplici retinentes, non eam syllogismis dialecticis, & Tullianâ facundia, spiritu concepere mundano, sed experimento vitę sincerę, actuq. purissimo, correctione quoque vitiorum, & (vt verius dixerim) in ipsa perfectionis inesse naturam oculatis indicijs deprehenderunt; sine qua nec pietas in Deũ, nec purgatio vitiorum, nec emendatio morum, nec virtutum consummatio poterit apprehendi.

*De eo, qui propter blasphemiam immundissimo spiritui traditus est. Cap. XX.*

NOui quendam de fratrum numero (quem vtinam minime scissem, siquidem post hæc ordinis mei gradu se passus est prægrauari,) qui probatissimo cuidam senum vitio carnis semetipsum grauissimo confessus est impugnari; nam contra vsum naturæ, desiderio patiendi magis quàm inferendi ignominiam, intolerabili æstu libidinis vrebatur: tum illum, vt spiritalem verumq. medicum, interiorem causam morbi huius & originem protinus peruidisse. Qui grauiter suspirans, Nequaquam, ait, tam nequam spiritui tradi te Dominus permisisset, nisi aliquid blasphemasses in eum. Quo ille comperto, confestim procidit ad pedes eius in terram, summaq. admiratione perculsus, tamquam a Deo cernens arcana sui pectoris patefacta, confessus est in Dei se filium cogitatione impia blasphemasse. Vnde perspicuum est eum, qui Superbiæ spiritu possidetur, vel qui in Deum blasphemus existit, tamquam qui irroget illi iniuriam, a quo puritatis speranda sunt dona, perfectionis integritate priuari, & sanctificationem castimoniæ non meren;

*Exemplum Ioas regis Iudæ, quo ostenditur quid propter superbiam meruerit. Cap. XXI.*

2. Paral. 24. LEgimus tale aliquid in Paralipomenon libro. Ioas enim rex Iuda, septẽ annorũ ab Ioiada pontifice adscitus in regnum, atque in omnibus, quoad vixit memoratus pontifex, testimonio scripturæ laudatus est. De quo post obitum Ioiadæ audi quid scriptura commemoret, & quemadmodum elatus Superbia ignominioscę fuerit traditus passioni: Postquam autem obijt Ioiada, ingressi sunt principes Ibid. Iuda,



Iuda, & adorauerunt regẽ. Qui delinitus obsequijs eorũ, acquieuit eis, & dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntq. lucis & sculptilibus; & facta est ira contra Iudam & Hierusalem propter hoc peccatũ. Et post pauca: Cumq. euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ, venitq. in Iudam & Hierusalem, & interfecit cunctos principes populi, atq. vniuersam prædã miserunt regi Darmascum. Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quòd dereliquissent Dominum Deum patrum suorum. In Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Vides quàm flagitiosis ac sordidis passionibus tradi mereatur Superbia. Qui enim elatus arrogantia, vt Deũ se passus est adorari, traditur secundum Apostolũ in passiones ignominię, & in reprobum sensum, vt patiatur ea, quæ non conuenit. Et quia dicit scriptura: Immundus est apud Deum omnis, qui exaltat cor suum; iste, qui tumida elatione cordis inflatus est, turpissimę confusioni traditur deludendus; vt humiliatus taliter sentiret semetipsum esse vel immunditia carnis & conscientia impurę passionis immundum, quòd animi sui noluerat elatione sentire: & vt carnis ignominiosa contagio patefaceret immunditiã cordis eius occultam, quã Superbiæ malo contraxerat: ac manifesta pollutione corporis sui probaretur impurus, qui per elationem spiritus factum se non sentiebat immundũ.

Ibid. Rom. 1. Prou. 16. sec. lxx.

*Omnem animam superbam subdi spiritalibus nequitijs illudendam. Cap. XXII.*

QVibus manifeste probatur omnem animam, quę Superbię fuerit tumore possessa, intellectualibus Syris, id est, nequitijs spiritalibus tradi, eamq. passionibus carnis inuolui, vt saltem vitijs humiliata terrenis, immundam se carnaliter † pollutamq. cognoscat, quæ tepore mentis erecta, immundam se in conspectu Dei per elationem cordis effectam intelligere ante non potuit; quo vel sic humiliatus quis a pristino tepore discedat, & ignominia carnalium passionum deiectus atque confusus, ad spiritalem feruorem deinceps semetipsum ardentius conferre festinet.

† al. pollutam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quod perfectio attingi nisi humilitatis virtute non possit. Cap. XXIII.*

EVidenter itaque monstratur, non posse quemquã perfectionis finem ac puritatis attingere, nisi per humilitatem veram, quam primitus fratribus reddẽs, Deo quoque in penetralibus cordis exhibeat: credens sine protectione eius atque auxilio per singula sibi momenta delato, perfectionem quam cupit, & ad quam magnopere currit, se penitus obtinere non posse.

*Quos spiritalis Superbia pulset quosque carnalis. Cap. XXIV.*

HVcusque de spiritali Superbia, qua diximus perfectos quosque pulsari, quantum tenuitas ingenij nostri prꝙualuit, donante Deo dixisse sufficiat. Quod Superbiꝙ genus non multis cognitum nec expertum est; quia nec plures studeant perfectam cordis apprehendere puritatem, vt ad hos præliorum gradus ualeant peruenire, nec prꝙcedẽtium vitiorum, quorum in singulis libellis naturam pariter remediaq. præmisimus, procuratur ulla purgatio. Sed illos solummodo pulsare solet, qui deuictis superioribus vitijs, iam propemodum sunt in virtutum culmine collocati. Quos quia lapsu carnali subtilissimus hostis superare non quiuit, spiritali ruina deijcere ac supplantare conatur, per hanc illis vniuersis veterum stipendiorum meritis multo labore quæsitis spoliare contendens. Ceterum nos, qui adhuc terrenis sumus passionibus inuoluti, nequaquam hoc modo tentare dignatur, sed crassiore, &, ut ita dixerim, carnali elatione supplantat. Et idcirco de hac, qua maxime nos seu nostræ mensuræ homines, ac præcipue iuniorum vel incipientium mẽtes periclitari solent, necessarium reor secundum promissionem nostram pauca depromere.

*Descriptio carnalis superbiæ, vel quæ mala in monachi mente parturiat. Cap. XXV.*

HÆc igitur, quam diximus carnalis Superbia, cum tepido ac male arrepto renuntiationis principio in monachi resederit mente, de pristino ac sæculari eum tumore ad veram Christi humilitatem descendere non permittens, primum inobedientem eum reddit & asperum, deinde mitem atque affabilem esse non patitur, æqualẽ quoque fratribus fieri communemq. non sinit, nec secundum Dei ac



ac Saluatoris nostri mandatum, spoliari terrenis opibus nu- *Matt. 19.*
dariq. concedit. & cum renuntiatio nihil aliud sit, nisi mortificatiõnis & crucis indicium, nec ualeat alijs inchoari uel consurgere fundamẽtis, quàm ut se non solum actibus huius mundi spiritaliter nouerit interemptum, uerumetiam corporaliter quotidie credat esse moriturum; econtrario facit eum uitam sperare longæuam, infirmitates proponit ei prolixas & multas, confusionem quoque incutit, ac pudorem, si nudus effectus, alienis & non proprijs facultatibus cœperit sustentari. persuadet etiam multo esse melius uictum indumentumq. sibi sua potius quàm aliena substantia ministrari: secundum illud scilicet (quod quemadmodum dictum sit, tali hebetudine ac tepore cordis obtusi, ne intelligere quidem aliquando potuerunt:) Beatius est ma- *Act. 20.*
gis dare quàm accipere.

*Quod male fundatus quis ad deteriorem statum quotidie prolabatur. Cap. XXVI.*

TAli igitur diffidentia mentis obsessi, & a scintilla fidei qua uisi fuerant in primordijs suæ conuersionis accẽsi, diabolica infidelitate reuocati; incipiunt pecunias quas ante dispergere cœperant, diligentius custodire, & eas uelut qui semel profligatas ulterius reparare non possint, auaritia uehemẽtiore cõseruant, seu, quod est deterius, ea quæ prius abiecerant resumentes, uel certe, quod est tertium ac teterrimum nequitiꝙ genus, quæ nec ante quidem possederant congregantes, nihil amplius egressi e sæculo quàm nomen acquisisse tantummodo ac uocabulum monachi comprobantur. Super hæc igitur initia male uitioseq. fundata, necesse est ut uniuersa deinceps † uitiosius structura consur- *al. vitiorum*
gat, nec quidquam superponi pessimis ualeat fundamẽtis, nisi quod miserabilem animã ruina lugubriore prosternat.

*Expositio uitiorum quæ per morbum Superbiæ generantur. Cap. XXVII.*

TAlibus siquidem passionibus obdurata, atque a tepore detestabili incipiens, necesse est ut in deterius quotidie proficiat, & reliquam quoque uitam suam deformiore fine concludat: dumq. cupiditatibus pristinis oblectatur, ac, secundum Apostolum, sacrilega philargyria uincitur, (ita

Universidad de Deusto
Biblioteca



Coloſ. 3. 1. Tim. 6. codem pronuntiante de illa: Et philargyria, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus. & iterũ: Radix enim, inquit, omnium malorum eſt philargyria.) numquam poſſit in corde ſuo humilitatem Chriſti ſimplicem veramq. ſuſcipere; cũ vel de nobilitate natalium gloriatur, vel inflatur de ſæculi, quã corpore non mẽte deſeruit, dignitate, vel pecunijs, quas ad ruinam ſuam retentat, extollitur: per quæ iam non monaſterij iugum ſuſtinere contentus eſt, nõ ſenioris vllius inſtitui diſciplina. Quiſquis enim Superbiæ morbo fuerit occupatus, non ſolum nullam ſubiectionis aut obedientię regulam cuſtodire dignatur, uerum ne ipſam quidem auribus ſuis doctrinam perfectionis admittit. tantumq. concreſcit in corde eius ſpiritalis verbi faſtidiũ, vt cum forte talis fuerit oborta collatio, vno in loco ſtare neſciat eius obtutus, ſed huc atque illuc ſtupidus circumferatur intuitus, aliorſum & in obliquũ quã moris eſt oculi defigantur. Pro ſuſpirijs enim ſalutaribus, ſputa de ſicco gutture corraduntur, excreationes etiã ſine vlla interpellatione phlegmatis prouocantur, digiti ludũt, & in modũ quiddam ſcribentis volitãt atq. depingũt: & ita huc atque illuc vniuerſa membra corporis commouentur, vt dum ſpiritalis agitatur collatio, totum ſe vel ſcatentibus vermibus, vel acutiſſimis ſudibus credat inſidere, & quidquid ſimplex collatio ad ædificationem protulerit audientium, ob ſuam ſugillationem æſtimet eſſe prolatum. Totoq. tempore, quo ſpiritalis vitæ examinatio ventilatur, ſuis ſuſpicionibus occupatus, non quid exinde ad profectum ſuum capere debeat aucupatur, ſed cauſas cur vnumquodque ſit dictum ſolicita mente perquirit, vel quid eis poſſit obijcere tacita intra ſe cordis volutatione coniectat; vt nihil ex his, quæ ſaluberrime ſunt digeſta penitus apprehendere, aut in aliquo valeat emendari. Et ita fit vt non ſolum in nullo ei proficiat collatio ſpiritalis, verum etiã damnoſa magis exiſtat, efficiaturq. ei cauſa maioris peccati. Dũ enim pro cõſcientia ſua totũ contra ſe ſuſpicatur eſſe prolatum, vehemẽtiori cordis obſtinatione duratur, iræ quoque ſtimulis acrius inſtigatur: deinde poſt hæc excelſa vox, ſermo rigidus, amara & turbulẽta reſpõſio, inceſſus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, nec vmquam taciturnitatis amica, niſi cum cõtra fratrem rancorem quendam in ſuo corde conceperit, fitq. ſilentium eius non compunctionis nec



nec humilitatis vllius, ſed ſuperbiæ & indignationis indicti ũ, ita vt quid in eo deteſtabilius ſit, haud facile diſcernatur, vtiũ diffuſa illa petulansq. lętitia, an dira hæc virulentaq. ſerietas. In illa namque ſermo non oportunus, riſus leuis ac fatuus, effrænata ac indiſciplinata cordis elatio: in iſta vero ira plenũ virulentumq. ſilentiũ, & quod ob hoc tantum concipitur, vt aduerſus fratrem rancor taciturnitate ſeruatus protelari diutius poſſit, non vt ex eo virtus humilitatis ac patientiæ præbeatur. Et cum ipſe tumore poſſeſſus facile cunctis triſtitias inferat, atque ad ſatisfactionẽ læſi fratris ſemetipſum ſubmittere dedignetur, etiam ab illo ſibimet oblatam reſpuit atque contemnit. Et non ſolum nulla fratris ſatisfactione compungitur atque mollitur, verum etiam cur ab eo ſit in humilitate præuentus grauius indignatur. Fitq. ei ſalutaris humilitas ac ſatisfactio, quæ finem diabolicis † intentionibus ſolet inferre, cauſa vehementioris incendij. † al. tentationibus

*De fratris cuiuſdam ſuperbia. Cap. XXVIII.*

AVdiui in hac dumtaxat regione (quod horret pudetq; reuoluere) quendam iuniorum cum a ſuo increparetur abbate, cur humilitatem, quam renuntians pro modico tempore retentarat, cœpiſſet excedere, ac diabolica inflari ſuperbia, ſumma contumacia reſpondiſſe: Numquid ob hoc memetipſum humiliaui pro tempore, vt ſemper ſubditus ſim? Ad quod eius tam effrænatum ſceleſtũq. reſponſum ita eſt ſenior obſtupefactus, omnisq. eius interceptus eſt ſermo (velut qui ab illo ipſo antiquo lucifero verba hęc prolata, non ab homine percepiſſet) vt nullã vocem aduerſus tantam proteruiam de ore ſuo prorſus emittere, niſi gemitus de corde tantummodo ac ſuſpiria potuerit; illud ſolum tacitus intra ſemetipſum voluens, quod de Saluatore noſtro dicitur: Qui cum in forma Dei eſſet, humiliauit ſe, factus obediens (non vt ille ait diabolico ſpiritu ac tumore poſſeſſus, pro tempore,) ſed vſque ad mortem. Philip. 2.

*Indicia quibus Superbia carnalis animæ ineſſe cognoſcitur. Cap. XXIX.*

ET vt breuius ea, quæ dicta ſunt, de hoc Superbiæ genere perſtringamus, qnædam ſigna eius in quantum

possumus colligentes, vt his qui de perfectione sitiunt eruditi, quodammodo characteres eius de exterioris hominis motibus exprimamus, necessarium puto paucis eadem replicari, vt compendiosius agnoscamus, quibus eam discernere ac deprehendere valeamus indicijs; quo nudatæ atq. in superficiem productæ passionis huius radices, & oculatim deprehensæ atq perspectæ, vel connelli facilius valeant, vel vitari. Tunc enim poterit pestifer morbus ad integrum declinari, cum contra ipsius pernicioſos æstus & impetus noxios, non sera obseruantia, cum iam dominantur assumitur, sed cum præcedentes eius (vt ita dixerim) lineas agnoscentes, prouida eum sagaciq. discretione præcurrimus. De exterioris namque, sicut prædiximus, hominis motu, interioris status agnoscitur. His igitur indicijs carnalis ista, quam præfati sumus, Superbia declaratur. Inest primitus in loquela eius clamor, amaritudo in taciturnitate, excelsus & effusus in lætitia risus, irrationabilis in serietate tristitia, in responsione tancor, facilitas in sermone, verba passim sine vlla cordis grauitate erumpentia. Expers patientiæ est, charitatis aliena, audax ad contumelias irrogandas, pusillanimis ad tolerandas, ad obediendum difficilis, nisi in quo eam desiderium suum voluntasq. præuenerit, ad recipiendam exhortationem implacabilis, ad resecandas voluntates suas infirma, ad succumbendum alienis durissima, semperq. suas definitiones statuere contendens, ipsa vero nequaquam cedere alterius acquiescens: & ita fit vt etiam incapax consilij salubris effecta, in omnibus suo potius quàm seniorum credat iudicio.

### *Tepefactus quis per Superbiam alijs quoq. præesse desiderat. Cap. XXX.*

QVibus descensuum gradibus, is quem semel possidet deuolutus, iam ipsam disciplinam cœnobij perhorrescit, ac veluti qui fratrum consortio de perfectione retrahatur, ac de bono patientiæ atq. humilitatis aliorum vitio & impedimento reuocetur, habitationem solitariæ cellæ desiderat seu certe velut plures alios lucraturus construere monasterium, & quos docere atq. instituere debeat congregare festinat: ex discipulo nequam, detestabilior magister effectus. Nam eum huiuscemodi elatione cordis in pernicioſissimum teporem noxiumq. corruerit, & nec



nec verus monachus, nec sæcularis effectus sit, quod est deterius, etiam perfectionem sibi ex hoc ipso miserabili statu & conuersatione promittit.

### *Quomodo Superbiam vincere, vel ad perfectionem peruenire possimus. Cap. XXXI.*

QVamobrem si ędificij nostri fastigia perfecta volumus ac placentia Deo consurgere, fundamenta eius non secundum nostræ libidinis voluntatem, sed secundum districtionis euangelicæ disciplinam iacere festinemus; quæ alia esse non possunt quàm timor Dei, atq. humilitas, quæ de mansuetudine & cordis simplicitate descendit. Humilitas vero nullatenus poterit absq. nuditate conquiri. Qua peregrinante, nec obedientiæ bonum, nec patientiæ robur, nec mansuetudinis tranquillitas, nec consummatio charitatis vllatenus poterit apprehendi: sine quibus cor nostrum habitaculum Spiritu sancti penitus esse non poterit, ita pronuntiante Domino per prophetam: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem uerba mea? Siue secundum exemplaria quæ Hebraicam exprimunt ueritatem: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem uerba mea? *Esai. 66. sec. LXX.*

### *Quomodo depopulatrix omnium virtutum Superbia per veram humilitatem possit extingui. Cap. XXXII.*

QVapropter athleta Christi, qui spiritalem agonem legitime certans, à Domino desiderat coronari, hanc quoque ferociſſimam bestiam, ut deuoratricem cunctarum uirtutum, omnimodis festinet extinguere: certus quòd hac in suo pectore commorante, non solum omnigenis uitijs carere non possit: uerum etiam si quid uirtutis habere uideatur huius ueneno depereat. Nullo enim modo poterit in anima nostra uirtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerint uere humilitatis in nostro corde fundamina; quæ firmissime collocata; perfectionis & charitatis culmē ualeāt sustinere: ita scilicet, ut, quemadmodū diximus, primum fratribus nostris humilitatem veram intimo cordis exhibeamus affectu, in nullo scilicet acquiescetes eos contristare uel lędere. Quod nullatenus poterimus implere, nisi abrenuntiatio uera, quę in expoliatione omnium facultatum ac nuditate consistit, in nobis fuerit

fuerit Christi amore fundata: deinde obedientiæ iugum & subiectio simplici corde ac sine vlla fuerit simulatione susceptа, ita vt præter abbatis mandatum nulla penitus voluntas viuat in nobis. Quod non aliter obseruari poterit, nisi quis non solum se mortuum huic mundo, verum etiam insipientem iudicarit ac stultum, vniuersa, quæ sibi fuerint a senioribus imperata, sine vlla discussione perficiens: sacrosancta ea credens ac diuinitus promulgata.

*Remedia aduersus morbum Superbiæ. Cap. XXXIII.*

IN qua consistentibus qualitate, proculdubio status ille humilitatis vere tranquillus atque immobilis subsequetur; vt nosmetipsos inferiores omnibus iudicantes, uniuersa, quæ nobis fuerint irrogata, tamenetsi iniurioſa sint, uel damnosa, tamquã a senioribus nostris illata, patientissime toleremus. Quæ quidem a nobis non solum facillime tolerabuntur, uerum etiam parua iudicabuntur ac nulla, si mente iugiter recolamus uel Domini nostri uel sanctorum omnium passiones: considerantes tanto leuioribus nos iniurijs attentari, quanto longius a meritis eorum & conuersatione distamus. pariter etiam cogitantes in breui nos de hoc sæculo migraturos, eorumq. nos celeri uitæ huius fine, mox futuros esse consortes. Perẽptoria namque est hęc contemplatio, non solum superbiæ, uerumetiam generaliter omnium uitiorum. Deinde post hæc hanc eandem humilitatem erga Deum firmissime retentemus. Quod a nobis ita complebitur, ut nihil nosmetipsos absq. opitulatione uel gratia, quod ad uirtutum consummationem pertinet, posse perficere cognoscamus: sed & hoc ipsum, quod intelligere meruimus, eius esse muneris in ueritate credamus.

LIBRI XII. AC POSTREMI FINIS.

IOAN-

# IOANNIS CASSIANI EREMITAE IN DECEM COLLATIONES PATRVM IN SCITHICA EREMO COMMORANTIVM,

*Ad Leontium episcopum & Helladium*

## PRÆFATIO.

DEBITVM, quod beatissimo Papę Castori in eorum uoluminum præfatione promissum est, quæ de institutis cœnobiorum, & octo principalium uitiorum remedijs, duodecim libellis Domino adiuuante digesta sunt, inquantum tenuitas nostri sufficit ingenij, utcumq. sarcitum est. Viderim sane quid super hoc uel illius uel nostri fuerit examinis æquitate perpensum, utrum in rebus tam profundis tamq. sublimibus, & quæ in usum stili, ut arbitror, antea non uenerint, dignum aliquid cognitione uestra omniumq. sanctorum fratrum desiderio prompserimus. Nunc autem quia derelinquens nos Pontifex supradictus, migrauit ad Christum; has interim decem collationes summorum patrum, id est anachoretarum, qui in eremo Scithi morabantur (quas ille incomparabili flagrans studio sanctitatis, simili sibi iusserat sermone conscribi, non expendens præ multitudine charitatis, quanto infirmas ceruices pondere prægrauaret) uobis potissimũ, o beatissime Papa Leonti, & sancte frater Helladi credidi consecrandas. Alter siquidem uestrum memorato uiro & germanitatis affectu, & sacerdotij dignitate, & (quod his maius est) sancti studij feruore coniunctus, hereditario fraternum debitum iure deposcit. alter anachoretarum instituta sublimia, non ut quidam propria aggressus est præsumptione sectari, sed legi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



legitimum doctrinæ tramitem, sancto Spiritu suggerente, pene antequam disceret apprehendens, non tam suis adinuentionibus, quàm illorum traditionibus maluit erudiri. In quibus mihi nunc in portu silentij constituto, immensum pelagus aperitur, vt scilicet de instituto atque doctrina tantorum virorum quædam tradere audeam memoriæ litterarum. Tanto enim profundioris nauigationis periculis fragilis ingenij cymba iactanda est, quanto à cœnobijs anachoresis, & ab actuali uita, quæ in congregationibus exercetur, contemplatio Dei, cui illi inæstimabiles viri semper intenti sunt, maior atque sublimior est. Vestrum igitur est conatus nostros pijs orationibus adiuuare, ne aut tam sancta materia imperito quidem sed fideli sermone promenda periclitetur in nobis; aut rursus eiusdem materiæ abyssis obruatur nostra rusticitas. Proinde ab exteriore ac visibili monachorum cultu, quem prioribus digessimus libris, ad inuisibilem interioris hominis habitum transeamus, & de canonicarum orationum modo, ad illius quam
*1. Thes 5.* Apostolus præcipit orationis perpetuæ iugitatem ascendat eloquium; ut quisquis iam superioris operis lectione, Ia-
*Gen. 27.* cob illius intelligibilis nomen carnalium uitiorum supplãtatione promeruit; nunc etiam non tam mea, quàm patrum instituta suscipiens, diuinæ iam puritatis intuitu ad
*Gen. 32.* meritum & (vt ita dixerim) dignitatem transiens Israelis, quid in hoc quoque perfectionis culmine debeat obseruare, similiter instruatur. Obtineant itaque orationes uestræ ab eo qui dignos nos, uel usu eorum, uel discipulatu, uel consortio iudicauit, ut nobis earumdem traditionũ memoriam plenam, & sermonem ad dicendum facilem conferre dignetur, quo tam sancte eas, tamq. integre, quàm ab ipsis accepimus explicantes, ipsos quodammodo suis institutis incorporatos, &, quod est maius, Latino disputantes eloquio uobis exhibere possimus. Hoc sane uolumus ante omnia, tam harum collationum, quàm superiorum uoluminum præmonitum esse lectorem, ut si qua forte in his pro statu sui & propositi qualitate, siue pro usu & conuersatione communi, uel impossibilia putauerit esse, uel dura, non ea secundum suę modulum facultatis, sed secundum dignitatẽ & perfectionem loquentiũ mẽtiatur: quorũ prius studium atque propositum mente concipiat, quo uere mortui huic conuersationi mũdanæ, nullis affectionibus parentum carnalium, nullis actuum sæcularium nexibus obligantur. Deinde locorum, quoque, in quibus commorantur, consideret qualitatem, quia in solitudine vastissima constituti, atque ab vniuersorum mortalium consortio separati, & per hoc illuminationem sensuum possidentes, contemplantur vel proloquuntur ea, quæ inexpertis atque ineruditis pro conditione & mediocritate consuetudinis suæ impossibilia forsitan videbuntur. De quibus tamen si quis voluerit veram proferre sententiã, & utrum impleri queant, desiderat experiri, festinet prius eorum propositum simili studio & conuersatione suscipere, & tunc demum ea, quæ supra facultatem hominis videbantur, non solum possibilia, verumetiam suauissima deprehendet.

Sed nunc iam ad collationes eorum & instituta properemus.

PRÆFATIONIS FINIS.



COLLA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

# COLLATIO PRIMA
## ABBATIS MOSI
## DE MONACHI DESTINATIONE VEL FINE.

*De habitatione Scithi, & proposito abbatis Mosi. Cap. I.*

CVM in eremo Scithi, ubi monachorum probatissimi patres, & omnis commorabatur perfectio, abbatem Mosen, qui suauius inter illos egregios flores, non solum actuali, verumetiam theoretica uita fragrabat, institutione eius fundari cupiens experissem una cum sancto abbate Germano (cum quo mihi ab ipso tyrocinio ac rudimentis militiæ spiritalis, ita indiuiduum deinceps contubernium tam in cœnobio, quàm in eremo fuit ut cuncti ad significandam sodalitatis ac propositi nostri paritatem pronuntiarent, unam mentem atque animam duobus inesse corporibus,) pariterque ab eodem abbate ædificationis sermonem fusis lacrymis ambiremus; (quippe cuius hunc animi rigorem manifestissime noueramus, ut nisi fideliter desiderantibus, & cum omni cordis contritione quærentibus, nequaquam penitus acquiesceret perfectionis † aperire doctrinam, ne scilicet si passim uel nolentibus eam, uel tepide sitientibus exhiberet, res necessarias, & quæ solis perfectionem cupientibus debent esse compertæ, indignis & fastidiose suscipientibus pandens, aut iactantiæ vitium, aut proditionis crimen uideretur incurrere: (tandem fatigatus precibus nostris, ita exorsus est.

*al. ianuã aperire*

*De interrogatione abbatis Mosi, quærentis qui monacho scopos, vel quis sit finis. Cap. II.*

OMnes, inquit, artes ac disciplinę σκοπὸν quẽdã, ideſt, destinationem; & τέλος, hoc est, finem proprium habere noscuntur ad quem respiciens uniuscuiusq. artis industrius appetitor, cunctos labores & pericula atque dispendia æquanimiter gratanterque sustentat. Nam & agricola flagrantes solis radios, pruinas quoque & glaciem non declinans, terram infatigatus exercet, & indomitas agri glebas frequenti vomere subigit, dum scopon seruat, vt eam cunctis sentibus expurgatam, vniuersisq. graminibus absolutam, in modum solubilis arenę fauillæq. comminuat: finem, id est, perceptionem copiosarum frugum & exuberantium segetum non alias adepturum se esse confidens; quo vel ipse deinceps vitam securus exigere, vel suam possit amplificare substantiam. Referta etiam frugibus horrea libenter exhaurit, easq. putribus sulcis instanti labore commendat, præsentem diminutionem futurarum messium contemplatione non sentiens. Illi etiam, qui negotiationum solent exercere commercia, non incertos pelagi timent casus, non vlla discrimina perhorrescunt, dum ad finem quæstus spe proposita prouocantur. Nec non etiam hi, qui militię mundialis ambitione flammantur, dum prospiciunt honorum ac potestatum finem, peregrinationum exilia ac pericla non sentiunt; nec præsentibus ærumnis bellisq. franguntur, dum propositum sibi dignitatis finem cupiunt obtinere. Habet ergo & nostra professio scopon proprium ac finem suum, pro quo labores cunctos non solum infatigabiliter, verum etiam gratanter impendimus, ob quem nos ieiuniorum inedia non fatigat, vigiliarum lassitudo delectat, lectio ac meditatio scripturarum continuata non satiat, labor etiam incessabilis, nuditasq. & omnium rerum priuatio iucundissime sustinetur, horror quoq. huius vastissimæ solitudinis non deterret. Ob quem vos ipsi proculdubio parentum spreuistis affectum, & patrium solum ac delicias mundi tot pertransitis regionibus despexistis, vt ad nos homines rusticos & idiotas, atq. in hoc eremi squalore degentes peruenire possetis. Propter quod respondete, inquit mihi, quæ sit destinatio vestra vel finis, qui ad hæc omnia sustinenda vos prouocat.



*De responsione nostra. Cap. III.*

ET cum persisteret nostram elicere super inchoata disputatione sententiam respondimus; Regni cælorum causa nos hæc cuncta tolerare.

*De interrogatione Mosi super propositione prædicta. Cap. IV.*

AD quod ille: Bene, inquit, & argute de fine dixistis; qui vero debeat esse scopos noster, id est, destinatio, cui

cui iugiter inhærētes finem valeamus attingere, præ omnibus nosse debetis. Et cū ignorationem confessi simpliciter fuissemus, adiecit: In omni, vt dixi, arte ac disciplina præcedit quidā scopos, id est, animi destinatio, siue incessabilis mentis intentio, quam nisi quis omni studio perseuerātiaq. seruauerit, nec ad finem desiderati fructus poterit peruenire. Nā, vt dixi, agricola sinē habens secure copioseq. viuendi in prouentu segetum fecūdarum, scopon, id est, destinationem gerit, agrum suum sentibus cunctis absoluere, eūq. vniuersis infructuosis vacuare graminibus, nec aliter se † quietis finem opulentiamq. adepturum esse confidit, nisi id quod usu obtinere desiderat, quadam prius operis ac spei suæ ratione possideat. Negotiator quoque illud vel istud mercandi desiderium non deponit, per quod possit quæstuosius diuitias congregare; quia frustra concupisceret lucrum, nisi viam qua ad id tenderet, elegisset. Et qui certis quibusq. dignitatibus mundi huius cupiunt honorari, cui se officio uel ordini mancipare debeant, ante proponunt, vt per legitimum spei tramitem, finem quoque valeant desideratæ dignitatis attingere. Itaque & viæ nostrę finis quidē est regnum Dei, qui vero sit scopos debet diligēter inquiri. Qui si nobis similiter compertus non fuerit, frustra nitēdo fatigabimur, quia fine via tendentibus labor est itineris, non profectus. Ad quod obstupescentibus nobis, intulit senex: Finis quidem nostræ professionis, ut diximus, regnum Dei seu regnum cælorum est: destinatio vero, id est scopos, puritas cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quēpiam peruenire. In hac igitur destinatione defigentes nostræ directionis obtutus, uelut ad certam lineam, cursum rectissimum dirigemus: ac si paululum quid ab hac cogitatio nostra deflexerit, ad contemplationem eius illico recurrentes, rursus eam uelut quadam norma rectissima corrigemus, quę semper omnes conatus nostros ad vnum hoc reuocans signum, arguit statim si a proposita directione mens nostra vel paululum deuiarit.

*al. quæsiti finis opulentiam.*

### *De comparatione eius, qui destinata ferire contendat. Cap. V.*

QVemadmodum hi, quibus vsus est bellica tela tractandi, cum ante regem mundi huius artis suæ cupiunt peritiam demonstrare, in paruissima quadam scutula, quæ depicta in se continet præmia; iacula vel sagittas



tas intorquere contendunt, certi quòd non aliàs, nisi destinationis suæ linea ad finem possint desiderati præmij peruenire, securi, de illo, si modo propositum scopon valuerint obtinere. Qui si forte ab eorum fuerit subtractus intuitu, nec indeclinabiliter ei sagacissimorum obtutuum peruicacia inhæserint, quantumlibet a recto tramite cassa imperitorum deerret intentio, excidisse se tamen ab illius disciplinatæ lineæ directione non sentient, quia nullum habent certum signum, quod vel peritiam directionis probet, vel arguat prauitatem; & ideo cum inutiles in aera vacuum effuderint iactus, in quo peccauerint, quove decepti sint dijudicare non possunt, quippe quos † nulla mensura proposita arguit quantum a directione discesserint, nec quo deinceps corrigere vel reuocare debeant lineam disciplinæ docere potest passiuus obtutus. Ita igitur & nostri propositi finis quidem, secundum Apostolum, vita æterna est, ita eodem pronuntiante: Habentes quidem fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Scopos vero est puritas cordis, quam sanctificationem non immerito nuncupauit, sine qua prædictus finis non poterit apprehendi. Ac si dixisset alijs verbis: Habentes quidem scopon vestrum in cordis puritate, sinē vero vitam æternā. De qua destinatione alibi docens nos idem beatus Apostolus, ipsum nomen, id est, scopon, significanter exprimens, ita intulit: Quæ posteriora sunt obliuiscens, ad ea vero quæ ante sunt extendens me, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis Domini. Quod euidentius in Greco ponitur, κατὰ σκοπὸν διώκω, id est, secūdum destinationem persequor; tamquam si dixisset: Hac destinatione, qua illa quæ posteriora sunt obliuioni transmitto, id est, anterioris hominis vitia, ad finem brauij cælestis peruenire contendo. Quidquid ergo nos ad hunc scopon, id est, puritatem cordis potest dirigere, tota virtute sectandum est; quidquid autem ab hac retrahit, vt perniciosum ac noxium deuitandum. Pro hac enim vniuersa toleramus & agimus, pro hac parentes & patria, dignitates, diuitiæ, deliciæ mundi huius & voluptas vniuersa contemnitur, vt scilicet puritas cordis perpetua retentetur. Hac itaque nobis destinatione proposita, semper actus nostri & cogitationes ad eam obtinendam rectissime dirigentur. Quæ si præ oculis nostris iugiter statuta non fuerit, non

*al. nullum accusat in dicium, Rom. 6. Philip. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



solum cunctos labores nostros varios pariter atque instabiles reddens, incassum eos ac sine vllo emolumento compellet effundi, sed etiam cogitationes omnes diuersas sibiq. contrarias suscitabit. Necesse est enim mentem quo recurrat, cui ve principaliter inhęreat non habentem, per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari; atque ex his, quæ extrinsecus accidunt, in illum statum continuo transformari, qui sibi primus occurrerit.

### *De his, qui abrenuntiantes mundo ad perfectionem sine charitate contendunt. Cap. VI.*

HInc namque est, quòd nonnulos mundi huius maximas facultates, & non solum multa auri atque argenti talenta, verum etiam prędiorum magnificentiam contemnentes, post hæc videmus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoueri. Qui si contemplationem mundi cordis fixam tenerent, numquam vtique pro paruis rebus admitterent, quòd ne pro magnis ac pretiosis, incurrerent opibus, easdem penitus abijcere maluerunt. Nam plerumque nonnulli tanto zelo codicem seruant, vt eum ne leuiter quidem legi vel contingi ab aliquo patiantur; & inde occasiones impatientiæ ac mortis incurrant, vnde monentur stipendia patientiæ & charitatis acquirere. Cumque omnes diuitias suas pro Christi amore dispersserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retentantes, & pro ipsis nonnumquam mobiliter irascentes, veluti qui non habeant apostolicam charitatem, ex omnibus infructuosi sterilesq. redduntur. Quod in spititu beatus apostolus prævidens: Et si distribuero; inquit, in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Vnde liquido comprobatur perfectionem non statim nuditate nec priuatione omnium facultatum: seu dignitatum abiectione contingi, nisi † fuerit charitas illa, cuius Apostolus membra describit, quæ in sola cordis puritate consistit. Nã quid est aliud, non æmulari, non inflari, non irritari non agere perperam, non quærere quæ sua sunt, non gaudere super iniquitate, non cogitare malum, & reliqua; nisi cor perfectum ac mundissimum Deo semper offerre, & intactum a cunctis perturbationibus custodire.

*1. Cor. 13.*

*al. affue rit.*

De



### *De appetenda tranquillitate cordis. Cap. VII.*

OMnia igitur huius gratia gerenda appetendaq. sunt nobis, pro hac solitudo sectanda est, pro hac ieiunia, uigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, ceter. sq. uirtutes debere nos suscipere nouerimus, ut scilicet per illas ab uniuersis passionibus noxijs illæsum parare cor nostrum & conseruare possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere, & non propter has obseruantias: si forte honesta ac necessaria occupatione præuenti, solemnitatem nostrę districtionis non potuerimus implere, incidamus in tristitiam, uel iram, siue indignationem, ob quæ expugnanda illud, quod prętermissum est, fueramus acturi. Non enim tantum est lucrum ieiunij, quantum ire dispendium; nec tantus lectione capitur fructus, quantum contemptu fratris incurritur detrimentum. Ea igitur, quę sequentia sunt, id est, ieiunia, uigiliq, anachoresis, meditatio scripturarum, propter principalem scopon, id est, puritatem cordis, quod est charitas, nos conuenit exercere; & non propter illa principalem hãc perturbare uirtutem: qua in nobis integra illæsaq. durante, nihil oberit si aliquid eorum, quę sequentia sunt, pro necessitate fuerit prętermissum. Siquidem nec proderit uniuersa feciſſe, adempta hac, quam diximus principali causa, cuius obtentu sunt omnia perpetranda. Ob hoc enim quis † utensilia cuiuslibet artis instituere sibimet ac prę- parare festinat, non ut ea possideat otiosa, nec ut emolumenti illius fructum, qui speratur ex ipsis, in nuda instrumentorum possessione constituat, sed ut eorum ministerio peritiam finemq. illius disciplinæ, cuius hæc adiumenta sunt, efficaciter apprehendat. Igitur ieiunia, uigiliq, meditatio scripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinę illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. Incassum igitur hæc exercitia molietur, quisquis his uelut summo bono contentus, intentionem sui cordis hucusque defixerit, & non ad capiendum finem, propter quem hæc appetenda sunt, omni conatu semet extenderit, habens quidem disciplinæ illius instrumenta, finem uero in quo omnis fructus consistit ignorans. Quidquid igitur potest istam mentis nostræ puritatem trãquillitatemq. turbare, quamuis utile ac necessarium uide-

*al. ferramenta.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



deatur, vt noxium deuitandũ est. Hac enim norma & errorum peruagationumq. omniũ dispersione poterimus euadere, & desideratum finẽ linea certæ directionis attingere.

*De principali conatu erga diuinarum rerum contemplationẽ, & similitudine Marie & Marthæ. Cap. VIII.*

HIc ergo nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis iugiter affectanda, vt diuinis rebus ac Deo mens semper inhæreat, quidquid ab hac diuersum est, quamuis magnum, secundum tamen aut etiam infimum, seu certe noxium iudicandum est. Huius mentis vel actus figura, etiam in Euangelio per Martham
*Luc. 10.* & Mariã pulcherrime designatur. Cum enim Martha sancto vtique ministerio deseruiret, vtpote quæ ipsi Domino eiusq. discipulis ministrabat; & Maria spiritali tãtum modo
*Luc. 7.* intenta doctrinæ, Iesu pedibus inhæreret, quos osculans, bonæ confessionis liniebat vnguento: præfertur tamen a Domino, quod & meliorem elegerit partem, & eam quę ab ea non possit auferri. Nã cum laboraret Martha pia solicitudine ac dispensatione distenta, solam se vi-
*Luc. 10.* dens ad tantum ministerium non posse sufficere, adiutorium sororis a Domino postulabat, dicens: † Num ti-
*al. Non tibi sedet. f. nunc tibi sedet.* bi placet quia soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Vtique non ad vile opus, sed ad laudabile eam ministerium prouocabat: & tamen audit a Domino: Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima: paucis vero opus est, aut etiam vno. Maria
*Deut. 21.* *Ibid.* bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Videtis ergo principale bonum in theoria sola id est, in contemplatione diuina Dominum posuisse. vnde ceteras virtutes licet necessarias & vtiles pronuntiemus, secundo tamen gradu censendas esse decernimus, quia vniuersæ
*al. parantur.* huius vnius † patrantur obtentu. Dicens enim Dominus:
*Ibid.* Solicita es, & turbaris erga plurima: paucis vero opus est, aut etiam vno; summum bonum nõ in actuali, quamuis laudabili opere, & multis fructibus abundanti, sed in diuina contemplatione, quæ vere simplex & vna est, collocauit; paucis opus esse pronuntias ad perfectam beatitudinem, id est, illam theoriam, quæ prius in paucorum seruatur consideratione sanctorum, ad quorum contemplationem conscendens is, qui adhuc in profectu positus



ntus est, ad illud quoque quod dicitur vnum, id est, Dei solius intuitum, ipso adiuuante peruenitet: vt scilicet etiam sanctorum actus ac ministeria mirifica supergressus, solius Dei iam pulchritudine scientiaq. pascatur Maria ergo bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Et hoc diligentius intuendum est. Nam cum dicit: Maria bonam partem elegit; licet taceat de Martha, & nequaquam eam vituperare videatur, illam tamen laudans, hanc inferiorem esse pronuntiat. Rursum cum dicit: Quæ non auferetur ab ea, ostendit quòd ab hac sua portio possit auferri; (nec enim ministerium corporale cum homine poterit iugiter permanere:) illius vero studium nullo prorsus æuo docet posse finiri.

*Interrogatio, quomodo functiones virtutum cum homine non perseuerent. Cap. IX.*

GERMANVS.

AD quod nos valde permoti; Quid ergo? diximus, labor ieiuniorũ, lectionis instantia, opera misericordiæ iustitiæ, pietatis, & humanitatis auferentur a nobis, & nõ permanebunt cũ auctoribus suis? præsertim cum ipse Dominus retributionem regni cælorum his operibus repromittat, dicens: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis a cõstitutione mundi. Esuriui enim, *Matt. 25.* & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Quomodo ergo auferentur hæc, quæ introducunt factores suos in regnum cælorum?

*Responsio, quod non sit earum merces, sed actio cessatura. Cap. X.*

MOSES.

NEc ego dixi mercedem boni operis auferendam, dicẽte eodem Domino: Qui potum dederit vni ex mini- *Matt. 10.* mis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedẽ suam. sed actionem dico, quam vel necessitas corporalis, vel impugnatio carnis, seu mundi huius inæqualitas administrari exigit, auferendam. Nam lectionis instantia, vel ieiuniorum afflictio ad emundationem cordis & castigationem carnis (quæ si elata fuerit escarum nimietate, seu mentis incuria, confestim luxuriæ atque libidinis aculeis puritatem cordis infestat) in præsenti tantummodo vtiliter exerceantur, donec caro concupiscit aduersus spiritum; quæ non- *Galat. 5.* numquam ab his qui labore nimio, seu ægritudine corporis, seniove † defessi sunt, etiam in præsenti videmus auferri, nec

 *al. defecti*

1.Cor.15. ri, nec ab homine posse iugiter exerceri: quanto magis ergo hæc in futuro cessabunt, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, corpusq. istud, quod nunc animale est, surrexerit spiritale, & cœperit caro non esse iam talis, vt aduersus spiritum concupiscat? de quibus etiam beatus Apostolus manifeste pronuntiat: Corporalis, inquiēs, exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem (quæ sine dubio charitas intelligitur) ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Quæ ergo dicitur ad modicum esse vtilis, manifeste pronuntiatur nec per omne tempus exerceri posse, nec summam perfectionis per se solam laboranti conferre. Modicum quippe ad vtrūque referri potest, id est, vel ad breuitatem temporis, quòd scilicet homini tam in præsenti quàm in futuro exercitatio corporalis coæterna essæ non possit, vel certe ad paruitatem vtilitatis, quæ de carnali exercitatione conquiritur, eo quod afflictio corporalis initia quædam profectus, non ipsam perfectionem pariat charitatis, quæ promissionem habet vitę præsentis & futuræ. Et idcirco exercitia operum prædictorum necessaria esse censemus, quia sine ipsis ad charitatis fastigia nō possit ascendi. Hæc etiam, quæ dicitis opera pietatis ac misericordiæ necessaria sunt in hoc tēpore, dum adhuc inæqualis diuersitas dominatur, quorum ne hic quidem † expeteretur operatio, nisi inopū, indigentium, infirmorumq. pars maxima redundaret, quæ inæqualitate hominum facta est, eorum scilicet, qui ea, quæ omnibus in commune a creatore concessa sunt, in suos tantum occupant vsus nec tamen vtenda tenuerint. Donec ergo in hoc mundo inæqualitas ista grassatur, erit hæc actio necessaria & vtilis exercenti, restituens quidem bono affectui & piæ voluntati retributionem hereditatis æternæ, ipsa vero in futuro sæculo parilitate regnante cessabit; cum iam non fuerit inæqualitas propter quam hæc debeant exerceri, sed cūcti ab hac multiplici, id est, actuali operatione ad charitatem Dei, & diuinarum rerum contemplationem perpetua cordis puritate transibunt; cui sehi, quibus curæ est vel scientiæ vel emundationi mentis insistere, iam in hoc sæculo constituti elegerunt omni conatu ac viribus mancipare: illi scilicet semetipsos officio adhuc in carne corruptionis positi deputantes, in quo erunt corruptione deposita permansuri; peruenientes ad illam

Galat.5.

1.Tim.4.

al. expectaretur.



illam promissionem Domini Saluatoris, qua dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth.5.

*De charitatis perpetuitate. Cap. XI.*

ET quid miramini, si illa officia superius comprehensa transibunt, cum sanctus Apostolus etiam sublimiora Spiritus sancti charismata trāsitura describat, solam vero charitatem designet sine fine mansuram? Siue, inquiens, 1.Cor.13. prophetię euacuabuntur, siue linguę cessabunt, siue scientia destruetur. De hac autem: Charitas nunquam excidit. Ibid. Omnia namque dona pro vsu ac necessitate tribuuntur ad tempus, consummata dispensatione mox proculdubio transitura: charitas vero nullo intercipietur tempore, non solum enim in præsenti vtiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeę necessitatis abiecta, efficacior multo atque excellentior permanebit, nullo vmquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantius Deo atque intentius adhęsura.

*Interrogatio de perseuerantia spiritalis theoriæ.*

GERMANVS. *Cap. XII.*

QVis ergo potest fragili carne circundatus ita esse huic theorię semper affixus, vt nunquam cogitet de fratris aduentu, de visitatione infirmi, de opere manuum; vel certe de humanitate peregrinis vel aduenientibus exhibenda? Postremo quis non interpelletur corporis ipsius prouisione vel cura? At quemadmodum mens vel in quo illi inuisibili & incomprehensibili Deo valeat inseparabiliter cohęrere, cupimus edoceri.

*Responsio de directione cordis in Deum, & de regno Dei, & diaboli. Cap. XIII.*

MOSES.

INhęrere quidem Deo iugiter, & contemplationi eius, quemadmodum dicitis, inseparabiliter copulari, impossibile est homini istius carnis fragilitate circundato. Verum oportet nos scire ubi nostrę mentis intentionem debeamus habere defixam, & ad quam destinationem semper animę nostrę reuocemus intuitum; quam cum potuerit obtinere mēs gaudeat, & a qua distractam se doleat atque suspiret; totiensq. se a summo bono sentiat † recessisse, quotiens se ab illo intuitu deprehenderit separatam; formicationem iudicans uel momentaneum a Christi contemplatione discessum; a quo cum paululum deuiauerit noster obtutus, rursus ad eum cordis oculos retorquentes, uelut al. recessisse.

rectissima lineamentis aciem reuocemus. Totum namque in animæ consistit recessu. Vnde expulso diabolo, ac nequaquam in ea iam regnantibus vitijs: consequenter regnum Dei fundatur in nobis, dicente Euangelista: Regnum Dei non veniet cum obseruatione; neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic est. Amen amen dico vobis, quia regnum Dei intra vos est. Intra nos vero nihil aliud esse potest, quàm scientia & ignoratio veritatis, & uel uirtutum amicitia uel uitiorum; per quę aut diabolo aut Christo regnum paramus in corde. Cuius etiam regni qualitate describit Apostolus, dicens: Non enim regnum Dei est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Itaque si regnum Dei intra nos est, & ipsum regnum Dei iustitia & pax & gaudium est, ergo qui in istis commoratur, sine dubio in regno Dei est. Et econtrario illi, qui in iniustitia, & discordia, & tristitia mortem operante uersantur, in regno diaboli, & in inferno ac morte sunt constituti. His enim indicijs uel Dei, uel diaboli discernitur regnum. Et reuera si mente atque animo consideremus statum illum, in quo degunt cęlestes supernæq. uirtutes, quę uere in regno Dei sunt, quid aliud esse credendum est, quàm perpetua iugisq. lętitia? Quid enim tam proprium uerę beatitudini tamque potest esse conueniens, quàm tranquillitas iugis, & gaudium sempiternum? Et ut hoc ipsum quod dicimus, ita esse non mea coniectura, sed ipsius Domini auctoritate certius instruaris, audi eum qualitatem & statum mundi illius apertissime describentem: Ecce, inquit, ego creo cęlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, neque ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternũ in his quę ego creo. Et rursum: Gaudium & lętitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. &: Erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato. Et iterum: Gaudium & lętitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. Et si adhuc clarius de illa conuersatione & ciuitate sanctorum uultis agnoscere, attendite quę ad ipsam Hierusalem voce Domini dirigantur: Et ponam, inquit, uisitationem tuam pacem, & prępositos tuos iustitiam. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, uastitas & contritio in terminis tuis: & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunę illuminabit te; sed erit

*Luc.17.* *Rom.14.* *2.Cor.7.* *Esa.65.* *Esa.51.* *Esa.66.* *Esa.35.* *Esa.60.*



erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur, † sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Et idcirco beatus Apostolus non generaliter neque simpliciter omne gaudiũ regnum Dei esse pronuntiat, sed signanter ac specialiter illud solũ, quod in Spiritu sancto est. Nouit enim esse aliud quoque uituperabile gaudium, de quo dicitur: Mundus iste gaudebit. &: Vę uobis, qui ridetis, quia plorabitis. Regnum sane cælorum tripliciter accipiendũ est. aut quòd regnaturi sunt cęli, id est, sancti, † malis subditis, secundum illud: Esto tu super quinque ciuitates, & tu super decem. Illud quoque quod dicitur ad discipulos: Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. aut quòd sancti in cęlis sint cum Domino regnaturi. uel certe quòd ipsi cęli incipiant a Christo regnari, cum scilicet omnibus ei subiectis cœperit esse omnia in omnibus Deus.

*al. quia* *Ioan.16.* *Luc.6.* *al. in alijs* *Luc.19.* *Matth.19* *1.Cor.15.*

### *De animæ perpetuitate.* Cap. XIV.

QVamobrem hoc in corpore constitutus iam nouerit unusquisque illius se † regioni uel ministerio deputandum, cuius in hac uita semetipsum participem cultoremq. præbuerit; illiusq. se etiam in illo perenni sęculo consortem futurum esse non ambigat, cui nunc ministrum se sociumq. maluerit exhibere, secundum sententiam Domini ita dicentis: Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Nam quemadmodum diaboli regnum per connuentiam suscipitur uitiorum, ita regnum Dei per, exercitationem virtutum, puritate cordis ac spiritali scientia possidetur. Vbi autem regnum Dei est, ibi proculdubio & uita habetur æterna; & vbi regnum diaboli est, ibi mortem atque infernum esse nõ dubium: in quo qui fuerit, nec laudare Dominum poterit, secundum Prophetę sententiam dicentis: Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum; (sine dubio peccati.) Sed nos, inquit, qui viuimus, non vitijs scilicet, nec mũdo huic, sed Deo, si benedicimus Dominum, ex hoc nunc & vsque in sæculum. Non enim est in morte qui memor sit Dei, in inferno autem peccati quis confitebitur Domino? id est, nemo. Nullus enim tamen etsi milies semetipsum vel Christianum profiteatur esse

*al. regnationi.* *Ioan. 12.* *Psal.113.* *Psal. 6.*

vel

vel monachum, cum peccat confitetur Domino. Nullus admittens ea, quę Dominus execratur, reminiscitur Dei, nec seruum se veraciter profitetur illius, cuius prȩcepta contumaci temeritate contemnit. in qua morte illam viduam, quę est in delicijs, beatus Apostolus esse pronuntiat:

*1.Tim. 5.* Vidua, inquiens, quę in delicijs est, viuens mortua est. Sunt ergo multi, qui viuentes in hoc corpore mortui sunt, & in inferno iacentes Deum laudare non possunt. Et e contrario sunt, qui cum mortui sint corpore, Deum spiritu be-

*Dan. 3.* nedicunt atque collaudant, secundum illud: Benedicite spi-

*Psal. 150.* ritus & animę iustorum Dominum. &: Omnis spiritus lau-

*Apoc. 6.* det Dominum. Et in Apocalypsi, animæ occisorum non solum laudare Deum, sed etiam interpellare dicuntur. In Euangelio quoque euidentius Dominus ad Sadducęos:

*Matth. 22* Non legistis, inquit, quod dictum est a Deo dicẽte vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viuentium. Omnes enim

*Hebr. 11.* ei viuunt. De quibus & Apostolus: Propter quod, inquit, non confunditur Deus vocari Deus eorum. parauit enim illis ciuitatem. Nam quia nec otiosę sint post separationem huius corporis animę, neque nihil sentiant, etiã Euan-

*Luc. 16.* gelij parabola, quę de illo paupere Lazaro, & diuite purpurato profertur, ostendit; quorum vnus beatissimam sedem, id est, sinus Abrahę requiem promeretur, alius intolerabili ardore ęterni ignis exuritur. Si autem & illud,

*Luc. 23.* quod dicitur ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso; voluerimus attendere, quid aliud manifeste designat, quam perdurare in animabus non solum pristinos intellectus, sed etiam vicissitudine eas congrua pro meritorum actuumq. suorum perfrui qualitate? Hoc enim illi nequaquam Deus promisisset, si eius animam nosset post separationem carnis vel priuandam sensu, vel in nihilum resoluendam. Non enim caro eius in paradisum, sed anima erat ingressura cũ Christo. Cauenda sane, immo toto horrore est detestanda prauissima hæreticorum illa distinctio, qui dum non credunt Christum potuisse eodem die, quo in inferna descendit, etiam in paradiso reperiri, ita distin-

*Ibid.* guunt: Amen dico tibi hodie, & interposita distinctione inferunt, Mecum eris in paradiso: vt scilicet hæc promissio non statim post transitum vitę huius impleta, sed post resurrectionis eius aduentum intelligatur implenda; non intel-



intelligentes illud, quod ante resurrectionis suæ diem protulit ad Iudæos, qui eum vt semetipsos credebant humanis angustijs & carnali infirmitate concludi: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. *Ioan. 3.* Quibus manifeste probatur animas defunctorum non solum suis sensibus non priuari, sed ne ipsis quidem affectibus, id est, spe atq. tristitia, gaudio ac metu carere, & ex eis, quæ sibi in illo generali examine reseruantur, quiddam eas iam incipere prægustare: nec secundum opinionem quorundam infidelium in nihilum eas resolui post huius commorationis excessum, sed viuacius subsistere, Deique laudibus intentius inhærere. Et reuera vt sequestratis paulisper testimonijs scripturarum, de ipsius animæ natura secundum mediocritatem sensus nostri paucis aliqua disputemus; nonne vltra omnis ineptiæ non dicam fatuitatem, sed insaniam est, vel leuiter suspicari illam pretiosiorem hominis portionem, in qua etiam imago Dei, secundum beatum Apostolum, ac similitudo consistit, *1.Cor. 11.* deposita hac, qua retunditur in præsenti *Coloss. 3.* sarcina corporali insensibilem fieri, quæ omnem rationis vim in se continens, etiam mutam atque insensibilem materiam carnis, participatione sui facit esse sensibilem? cum vtique consequẽs sit, & hoc rationis ipsius ordo contineat, vt exuta mens ista carnali, qua nunc hebetatur pinguedine, intellectuales virtutes suas in melius reparet, & puriores eas ac subtiliores recipiat potius quàm amittat. In tantum autem hoc quod dicimus beatus Apostolus verum esse cognoscit, vt etiam optet ab hac carne discedere, vt separatione eius enixius valeat Domino copulari, dicens: Desiderium habeo dissolui, & cum Christo esse, multo *Philip. 1.* magis melius. Quia dum sumus in corpore, peregrina- *1. Cor. 5.* mur a Domino: & idcirco audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum. propter quod etiam contendimus, siue absentes siue præsentes placere illi: commorationem scilicet animę, quę in hac carne est, peregrinationem a Domino atque absentiam à Christo esse pronuntians, eiusq. ab hac carne separationem atque discessum prȩsentiam esse ad Christum tota credulitate confidens. Et euidentius iterum super hoc ipso viuacissimo animarum statu idem Apostolus: Sed accessistis, inquit, ad Sion mon- *Hebr. 12.*

tem

Universidad de Deusto
Biblioteca



tem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem, & ad multorum milium angelorum frequentiam, & ecclesiã primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum perfectorum. De quibus spiritibus in alio loco: Deinde patres, inquit, carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur, non multo magis subijciemur patri spirituum, & viuemus? *Ibid.*

*De contemplatione Dei. Cap. XV.*

COntemplatio vero Dei multifarie concipitur. Nam Deus non sola incomprehensibilis illius substãtiæ suę admiratione cognoscitur, quod tamen adhuc in spe promissionis absconditum est, sed etiam creaturarum suarum magnitudine, vel æquitatis suæ consideratione, vel quotidianæ dispensationis auxilio peruidetur; quum scilicet quæ cum sanctis suis per singulas generationes egerit mẽte purissima perlustramus, cum potentiam ipsius, qua vniuersa gubernat, moderatur, ac regit, cum immensitatem scientiæ eius, & oculum, quem secreta cordium latere non possunt: trementi corde miramur, cum harenæ maris vndarumq. numerũ dimẽsum ei: cognitumq. pauidi cogitamus, cum pluuiarum guttas, cum sæculorum dies & horas, cum præterita futuraue vniuersa obstupescentes scientiæ eius assistere contemplamur, cum ineffabilem clementiã eius consideramus, qua innumera flagitia, quæ singulis quibusque momentis sub ipsius committuntur aspectu, indefessa longanimitate sustentat, cum intuemur vocationem, qua nos nullis præcedẽtibus meritis gratia suę miserationis adsciuit; cum denique quot occasiones salutis tribuit adoptandis, cum quodam admirationis intuemur excessu; quòd ita nos nasci præcepit, vt ab ipsis cunabulis gratiæ nobis legisq. suæ notitia traderetur; quòd ipse aduersariũ vincens in nobis, pro solo bonæ voluntatis assensu æterna beatitudine ac perpetuis nos præmijs muneratur: cum postremo dispensationem incarnationis suæ pro nostra salute suscepit, ac mirabilia mysteriorum suorum in cunctis gentibus dilatauit. Sunt autem alię quoque huiusmodi contemplationes innumeræ, quæ pro qualitate vitæ ac puritate cordis in nostris sensibus oriuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel tenetur. Quas profecto nullus perpetuo retentabit, in quo adhuc aliquid carnalium viuit affectuum: Quia non poteris, ait Dominus *Exod. 33.*



minus, videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet, scilicet mundo huic affectibusq. terrenis.

*Interrogatio de cogitationum mobilitate.*

GERMANVS. *Cap. XVI.*

QVid ergo est, quòd etiam nolentibus, immo vero nescientibus nobis ita superfluæ cogitationes subtiliter ac latenter irrepunt, vt non solum eas expellere, verum etiam intelligere ac deprehendere difficultatis immodicæ sit? Potest ne ergo mens aliquando ab istis vacua reperiri, & numquam huiuscemodi illusionibus incursari?

*Responsio, quid possit mens super cogitationum statu, quidve non possit.*

MOSES. *Cap. XVII.*

MEntem quidem non interpellari cogitationibus impossibile est; suscipere vero eas siue respuere, omni studenti possibile est. Quemadmodum igitur ortus earum non omnimodis pendet a nobis, ita probatio vel electio consistit in nobis. Nec tamen ex eo quod diximus impossibile esse mentem cogitationibus non adiri, totum vel incursui, vel illis spiritibus tribuendum est, qui eas nobis nituntur ingerere; alioquin nec liberum in homine maneret arbitrium, nec in nobis staret nostræ correctionis industria. Sed est, inquam, nostrum magna ex parte, vt cogitationum qualitas emendetur, & vel sanctæ ac spirituales in cordibus nostris, vel terrenæ carnalesq. concrescant. Ideo namque frequens lectio, & iugis adhibetur meditatio scripturarum, vt exinde nobis spiritalis memoriæ præbeatur occasio. Idcirco decantatio crebra psalmorum, vt assidua nobis exinde compunctio ministretur. Idcirco vigiliarum, ac ieiuniorum, orationumq. sedulitas adhibetur, vt extenuata mens non terrena sapiat, sed cælestia contempletur. Quibus rursum negligentia irrepente cessantibus, necesse est vt mens vitiorum squalore concreta in carnalem partem mox inclinetur & corruat.

*Comparatio aquariæ molæ & animæ. Cap. XVIII.*

QVod exercitium cordis non incongrue molarum similitudini comparatur, quas meatus aquarum præceps impetu rotante prouoluit. Quæ nullatenus quidem cessare possunt ab opere suo aquarum impulsibus circumactę; in cuius vero qui præest situm est potestate, vtrum nam triticum malit, an hordeum loliumve cõminui. Illud quippe est procul dubio commolendum, quod ingestum ab illo suo

lo fuerit, cui operis illius cura commissa est. Ita igitur etiã mens per uitæ præsentis incursus undique ingruẽtibus tentationum torrentibus circumacta, uacua quidem cogitationum æstibus esse non poterit; quales uero uel admittere, uel parare sibi debeat, studij ac diligentię suę prouidebit industria. Si enim, ut diximus, ad sanctarum scripturarum meditationum iugiter recurramus, ac memoriam nostram ad recordationem spiritalium rerum & desiderium perfectionis, spemq. futuræ beatitudinis erigamus, necesse est ut ortæ cogitationes exinde spiritales, in his, quæ meditati sumus mentem faciant immorari. Sin uero desidia seu negligentia superati, uitijs & otiosis confabulationibus occupemur, seu curis mundanis & superfluis solicitudinibus implicemur, consequenter exinde uelut quędam zizaniorum species generata, operationem quoque nostro cordi noxiam ministrabit: & secundum sententiam Domini Saluatoris, ubi fuerit thesaurus operum seu intentionis nostrę, ibi & cor nostrum necessario permanebit.

*Matt.13.*

*Matth.6.*

*De tribus cogitationum nostrarum principijs. Cap. XIX.*

ILlud sane præ omnibus nosse debemus, tria cogitationũ nostrarum esse principia, id est, ex Deo, ex diabolo, & ex nobis. Ex Deo quidem sunt, cum Spiritus sancti illustratione nos uisitare dignatur, erigens nos ad sublimiorem profectum, & in quibus uel minus acquisiuimus, uel desidiose agentes superati sumus, saluberrima compunctione castigat: uel cum referat nobis cælestia sacramenta, & propositum nostrum ad meliores actus uoluntatemq. conuertit; ut ibi cum rex Assuerus castigatus a Domino, libros annales instigatur inquirere, quibus Mardochæi beneficia recordatus, summi eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudelissimam super nece Iudęę gentis sententiam reuocat. Vel cum Propheta commemorat: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Alius quoque: Et dixit, inquit, angelus, qui loquebatur in me. Vel cum filius Dei uenturum se una cum patre, & mansionem apud nos facturum esse promittit. Et: Non estis uos, inquit, qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Et uas electionis: An experimentum, inquit, eius quæritis, qui in me loquitur Christus? Ex diabolo uero cogitationum nascitur series, cum subuertere nos tam uitiorum oblectatione, quàm etiam occultis conatur insidijs, subtilissima calliditate mala

*Esther. 6.*

*Psal. 84.*

*Zach. 1.*

*Ioan. 14.*

*Matth.10*

*2.Cor.13.*



mala pro bonis fraudulenter ostentans, & transfigurans se nobis in angelum lucis. Vel cum Euangelista refert: Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor Iudę Simonis Iscariotis vt traderet Dominum. Et iterum: Post bucellam, inquit, introiuit in illum satanas. Petrus quoque ad Ananiam: Quare, ait, tentauit satanas cor tuum mẽtiri te Spiritui sancto? Et illud, quod multo ante per Ecclesiasten prædictũ legimus: Si spiritus potestatẽ habentis ascenderit super te, locum tuũ ne dimittas. Illud quoque quod dicitur ad Deũ contra Achab in tertio Regnorũ libro ex persona spiritus immundi: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Ex nobis autem oriuntur, cum eorum, quæ gessimus vel audiuimus, naturaliter recordarmur. De quibus beatus Dauid: Cogitaui, inquit, dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Et iterum: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. &: Cogitationes iustorum iudicia. In Euangelio quoque Dominus ad Pharisæos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris?

*2.Cor.11.*

*Ioan.13.*

*Ibid.*

*Act.5.*

*Eccl.10.*

*3.Reg.22.*

*Psal.76.*

*Psal.93.*

*Prou.12.*

*Matth.9*

*De discernendis cogitationibus ad similitudinem probabilis trapezitæ. Cap. XX.*

HAnc igitur tripartitam rationem oportet nos iugiter obseruare, & vniuersas cogitationes, quæ emergunt in corde nostro, sagaci discretione discutere, origines earum & causas auctoresq. primitus indagantes, ut quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito, qui eas suggerunt, considerate possimus, vt efficiamur, secundũ præceptum Domini, probabiles trapezitæ: quorum summa peritia est ac disciplina, probare quodnam sit aurum purissimum, & ut uulgo dicitur, obrizum, quod ue sit ignis purgatione minus excoctum: æreo quoque uiliq. denario, si pretiosum numisma sub colore fulgentis auri † imitetur, prudentissima discretione non falli; & non solũ numismata tyrannorum uultum exprimentia sapienter agnoscere, sed etiam illa, quæ sunt ueri quidem regis imagine, sed non legitime figurata, peritia sagaciore discernere; deinde ne quid illis a legitimo pondere diminutum sit, censura trutinæ diligenter inquirere. Quæ omnia nos quoque debere spiritaliter obseruare, euangelicus sermo sub huius nominis demonstrat exemplo. Primum, ut quiquid cordibus nostris

*al. remittitur*

*f. ementitur.*

nostris irrepserit, vel si quod nobis dogma fuerit intro missum, vtrum nam sit diuino illo & cælesti Spiritus sancti igne purgatum, an ad Iudaicam superstitionem pertinens, seu de sæcularis philosophiæ tumore descendens, in superficie tantum præferat pietatem, diligentissime perscrutemur. Quod ita poterimus implere, si illud apostolicum fecerimus: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. Quo genere illi quoque decepti sunt, qui post professionem monachi, nitore sermonis, & quibusdam sunt philosophorum dogmatibus † incitati, quæ prima fronte pijs quibusdam sensibus ac religioni consonis audientes velut auri fulgore fallentia, quos semel superficie illexerant, velut numismatibus æreis falsisq. deceptos. perpetuo nudos ac miseros reddiderunt, vel ad sæculi eos strepitum reuocantes, vel ad hæreticos errores ac præsumptiones tumidas pertrahentes. Quod etiam Achar in libro Iesu Naue legimus fuisse perpessum, qui de castris Allophylorum regulam auream concupiscens atque furatus, anathemate percuti, atque æterna meruit morte damnari. Secundo solicite nos explorare conuenier, ne auro purissimo scripturarum praua interpretatio coaptata, metalli pretiositate nos fallat. In quo etiam Domino Saluatori callidissimus diabolus, velut homini simplici tentauit imponere, dum ea quę generaliter sunt super omnium iustorum intelligenda personis, maliuola interpretatione corrumpens, specialiter huic qui angelorum custodia non egebat, conatur aptare, dicens: Quia angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidē pedem tuum. Pretiosa scilicet eloquia scripturarum callida assumptione conuertēs, & ad contrarium noxiumq. sensum detorquēs, vt imaginem tyrannici vultus sub colore nobis auri fallentis obijciat, siue cum † paracharaximis nos conatur illudere, quoddā scilicet pietatis opus admonēs affectandū, quod non de legitima seniorum procedens moneta, sub prętextu virtutū ducit ad vitia, vel immoderatis incompetentibusq. ieiunijs, seu vigilijs nimijs, vel orationibus † importunis, vel incongrua lectione decipiēs, ad noxium pertrahit finē. vel cum intercessiones ac visitationes pias persuadet impendere, quibus nos ab spiritalibus monasterij claustris, & secreto amicæ quietis excutiat, solicitudines etiam curasq.

*Ioan. 4.*

*al. illecti*

*Ios. 7.*

*Matth. 4. Psal. 90.*

*f. paracharagmis*

*al. inordinatis.*



curasq. suscipere religiosarum ac destitutarum suggerit feminarum, vt huiusmodi laqueis monachum inextricabiliter irretitum pernicioſarum solicitudinum occupatione distendat. vel certe cum desiderare sanctum clericatus officium sub prætextu ædificationis multorū, & amore lucri spiritalis instigat, per quod nos humilitate propositi huius ac districtione diuellat. Quæ omnia cum sint nostræ saluti professioniq. contraria, tamen velamine quodam misericordiæ ac religionis obtecta, facile imperitos incautosq. decipiunt. Imitantur enim numismata veri regis, quia videntur ad præsens plena pietatis, sed non sunt à legitimis monetarijs, id est, probatis & catholicis patribus figurata; nec de † cardinali ac publica collationis eorum prodeunt officina sed furtim fraude dæmonum fabricata, non sine detrimento imperitis quibusque & ignorantibus ingeruntur. Quæ quamuis vtilia ac necessaria videantur ad præsens, tamen si soliditati professionis nostræ incipiant post hoc esse contraria, & totum quodammodo corpus nostri labefactare propositi, tamquā necessarium quidem, sed scandalizās membrū, & quod dextrę manus vel pedis agere videatur officiū, proijci a nobis atque abscidi salubre est. Satius enim est absque vnius præcepti mēbro, id est, operatione vel fructu, in ceteris sanū firmūq. durare, & tamquā debilem introire in regnū cælorū, quàm cū soliditate mandati incidere in aliquod scandalum, quod pernicioſa consuetudine separans nos a districtionis regula, atque arrepti propositi disciplina, inducat in tale dispendium quod nequaquā futura detrimenta compensans, omnes præteritos fructus totumq. operationis nostræ corpus gehennæ faciat ignibus concremari. De his generibus illusionum etiam in Prouerbijs eleganter exprimitur: Sunt viæ, quæ videntur rectę esse viro, nouissima autem earum veniunt in profundum inferni. Et iterum: Malignus nocet cum se commiscuerit iusto; id est, diabolus decipit cum fuerit colore sanctitatis obtectus: Odit autem sonū tutelæ, id est, discretionis vim, quę de seniorum verbis ac monitione procedit.

*al. canonicali*

*Matth. 5. & 18.*

*Prou. 16*

*Prou. 11. sec. lxx. Ibid.*

### *De illusione abbatis Ioannis. Cap. XXI.*

IN quo etiam abbatem Ioannem qui Lici commoratur, nouimus nuper illusum. Nam cum exhausto corpore atque defecto, perceptionem cibi biduano ieiunio distulisset, accedenti ei ad refectionem die postero, veniens dia

bolus in figura Aethiopis tetri, atque ad eius genua prouolutus: Indulge, inquit, mihi abba, quia ego tibi hunc laborem indixi. Itaque ille vir tantus & in discretionis ratione perfectus, sub colore continentiæ incongruenter exercitæ intellexit se ob hoc calliditate diaboli circumuentum, taliq. distentum ieiunio, vt lassitudinem non necessariam, immo etiam spiritui nocituram, fatigato corpori superponeret; †paracharaximo scilicet illusus numismate, dū in illo veri regis imaginem veneratur, parum discutit an esset legitime figuratum. Vltima uero obseruatio huius probabilis trapezitæ, quam de inquisitione ponderis esse prædiximus, taliter a nobis implebitur, si quidquid agendum cogitatio nostra suggesserit, omni † scrupulo retractantes, atque in nostris pectoris trutina collocātes, æquilibratione iustissima perpendamus, an plenum sit honestate communi, an Dei timore sit graue, an integrum sensu, an humana ostentatione aut aliqua nouitatis præsumptione sit leue, si meriti eius pondus inanis immmuerit uel arroserit gloria. Et sic ea protinus ad examen publicum trutinantes, ideſt, ad prophetarum & Apostolorum testimonia conferentes, uel tamquam integra atque perfecta illisq. † collibrantia suscipiamus, uel tamquam imperfecta atque damnosa, nec illorum ponderi consonantia, omni diligentia refutemus.

*f.paracharagmo.*

*f.scripulo*

*al. cōpensantia teneamus.*

*De quadripartita discretionis ratione. Cap. XXII.*

ERit ergo hoc quadripartito, quo diximus, modo necessaria nobis ista discretio, ideſt, primum ut materia nos auri ueri fucatiue non lateat: secundo, ut has easdem cogitationes quæ mentiuntur opera pietatis, tamquā adulterina numismata & † paracharaxima reprobemus, utpote quæ falsam imaginem regis non legitime signata contineant: uel illa, quæ in auro pretiosissimo scripturarum, uitioso & hæretico sensu, non ueri regis, sed tyranni præferunt uultum, similiter discernentes refutare possimus; siue illa quorum pondus ac pretium ærugo uanitatis arrodens exagio seniorum adæquari non sinit, ut numismata leuia atque damnosa, minusq. pensantia recusemus, ne in illud incidentes quod obseruare tota uirtute præcepto Domini commonemur, cunctis laborum nostrorum meritis stipendijsq. fraudemur: Nolite, inquit, thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur & ubi fures effo

*f.paracharagma.*

*Matth.6.*



effodiunt & furantur. Quidquid enim contemplatione humanæ gloriæ fecerimus, in terra nos thesaurizare, secundum Domini sententiam, nouerimus & consequenter illud humi reconditum atque defossum vel diuersis dęmonijs populandum, vel edaci cenodoxiæ ærugine consumendum, vel ita superbiæ tineis deuorandum, vt ad nullam recondentis vtilitatem emolumētumq. proficiat. Omnes igitur cordis nostri recessus iugiter perscrutandi sunt, & afcēdentium in eos vestigia indagatione sagacissima retractanda, ne qua forte intellectualis ibidem bestia, vel leo vel draco pertransiens, pernicioſa vestigia latenter impresserit, quibus accessus etiam ceteris in abdita pectoris nostri per cogitationum negligentia præbeatur. Et ita per singulas horas atque momēta terram cordis nostri euangelico aratro, hoc est, iugi Dominicæ crucis recordatione sulcantes, vel noxiarum ex nobis ferarum cubilia, vel virulentorum serpentium exterminare latibula poterimus.

*De sermone doctoris secundum audientium meritum. Cap. XXIII.*

ADhæc obstupefactos nos intuens senex, & ad verba narrationis suæ inexplebili ardore succensos, pro admiratione desiderij nostri paulisper sermone suspenso, rursus adiecit: Quoniam nos, o filij, ad disputationem tam longam vestra sedulitas prouocauit, & ignis quidam †collationis nostræ feruentiores sensus pro vestro desiderio subministrat, vt ex hoc etiam ipso manifeste contempler in veritate vos perfectionis sitire doctrinam, volo vobis adhuc super discretionis eximietate vel gratia, quæ inter cunctas virtutes arcem ac primatum tenet, pauca disserere excellentiamq. eius & vtilitatem non solum quotidianis exemplis, sed etiam antiquis patrum †consultationibus ac sententijs approbare. Frequenter namque memini nonnullis huiusmodi sermonem cum gemitu lacrymisq. poscentibus, me quoque aliquid eis doctrinæ conferre cupientem nullatenus potuisse, & ita in me non solum sensus, verum etiam ipsum eloquium defecisse, vt non inuenirem quemadmodum eos vel cum leui consolatione dimitterem. Quibus indicijs euidenter agnoscitur, Domini gratiam pro merito ac desiderio audientium disputantibus aspirare sermonem. Quem quia breuissimum istud quod superest noctis spatium non occurrit explere, indulgentes

*al. collationi.*

*al. collationibus.*

illud potius quieti corporeæ, cui necesse est totum persolui, si id quod modicum est fuerit denegatum, plenum narrationis ordinem integro futuri diei seu noctis examini reseruemus. Decet namque discretionis optimos consultores, in hoc primum patefacere suæ mẽtis industriam, & vtrum sint, vel queant eius capaces esse hoc indicio ac patientia comprobare, vt de illa, quæ moderationis generatrix est virtute tractantes, nequaquam vitium, quod ipsi contrarium est, nimietatis incurrant; vim rationis ac naturæ eius, quam verbis excolunt, effectu atque opere violantes. In hoc ergo nobis discretionis bonum, de qua quantum Dominus dederit adhuc indagare disponimus, primitus prosit, vt nos de ipsius excellentia & moderatione, quæ prima virtus esse cognoscitur, disserentes, disputationis quoque vel temporis modum non permittat excedere. His itaque beatus Moses collationi nostræ dans finem, adhuc nos auidos, ac de suo ore pendentes degustare somnum pauliſper hortatus est, ijsdem ipsis, quibus insidebamus, psiathijs admonens incubere, embrimijs pariter capiti nostro ceruicalium vice suppositis, quæ crassioribus papyris in longos gracilesq. fasciculos coaptatis, sesquipedali interuallo molliter nexa, nunc quidem humillimum sedile ad scabelli vicem fratribus in synaxi considentibus præstat, nunc vero subiecta ceruicibus dormientium præbent capiti non nimie durum, sed tractabile aptumq. fulmentum, Ad quos monachorum vsus hæc idcirco vel maxime oportuna habentur & congrua, quòd non solum sint aliquatenus mollia, paruoq. & opere præparentur & prætio, vt pote passim papyro per ripas Nili fluminis emergente, quam cuique volenti in vsum adsumere, nemo prohibeat desecare, sed etiam quòd ad remouendum, seu cum necesse fuerit admouendum habilis materiæ leuisq. naturæ sint. Atque ita præcepto senis tandem sumus ad degustationem somni onerosa composti quiete, tam digestæ collationis inflammati gaudio, quàm repromissæ disputationis expectatione suspensi.

*Primæ Collationis Abbatis Mosi de Monachi destinatione finis.*

COLLA-

# COLLATIO SECVNDA
## ABBATIS MOSI
## DE DISCRETIONE.

*Proœmium abbatis Mosi super discretionis gratia. Cap. I.*

DEGVSTATO itaque matutino sopore, cum orutum lucis tandem nobis claruisse gaudentes, repromissam narrationem reposcere cœpissemus, beatus Moses ita exorsus est: Cum videam vos tanto desiderij ardore flammatos, vt ne ipsum quidem paruissimum quietis momentum (quod spiritali collationi subtrahens, refectioni carnis malueram deputare) ad requiem credam vestri corporis profecisse, mihi quoque hunc vestrum consideranti feruoré solicitudo maior incumbit. Necesse est enim etiam me in persoluendo debito, tanto maiorem deuotionis curam gerere, quanto vos id attentius video postulare, secundum illam sententiam: Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi, & immitte manum tuam sciens quia talia te oportet præparare. *Prou. 23. sec. lxx.* Quamobrem de bono discretionis eiusq. virtute dicturi, in quam sermo nocturnæ collationis ingressus, finem nostræ disputationi dedit, congruum credimus eius excellentiam patrum primo consignare sententijs, vt cum patuerit quid de illa senserint vel pronuntiauerint nostri maiores, tum prolatis tam antiquis quàm recentibus ruinis & casibus diuersorum, qui pro eo quòd minus eam fuerant assecuti pernicioso deiecti sunt lapsu, inquantum possumus vtilitates eius & commoda retractemus. quibus discussis, quemadmodum expetere eam atque excolere debeamus considerantes, meriti eius & gratiæ pondus efficacius instruamur. Est enim non mediocris quædam virtus, nec quæ humana passim valeat industria comprehendi, nisi diuina fuerit

Universidad de Deusto
Biblioteca



largitate collata. Siquidem inter nobiliſſima Spiritus ſanctí dona, hanc quoque ita legimus ab Apoſtolo numerari: *1.Cor.12* Alij datur per ſpiritum, ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alij fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu. Et poſt pauca: Alij diſcretio ſpirituum. Deinde completo omni catalogo ſpiritalium chariſmatum ſubdit: Omnia autem hæc operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Videtis ergo non terrenum nec paruum eſſe diſcretionis munus, ſed diuinæ gratiæ maximum præmium; quam niſi monachus omni intentione fuerit aſſecutus, & aſcendentium in ſeſe ſpirituum diſcretionem certa ratione poſſederit, neceſſe eſt eum velut in nocte cæca tetrisq. tenebris oberrantem, non ſolum in perniciosis foueis præruptisq. concidere, ſed etiam in planis ac directis frequenter offendere. *Ibid.*

*Quid diſcretio conferat monacho, & diſputatio ſuper hoc beati Antonij. Cap. II.*

MEmini igitur quondam in annis adhuc pueritiæ conſtitutus in partibus Thebaidis, vbi beatus Antonius morabatur, ſeniores ad eum perfectionis inquirendæ gratia conueniſſe. cumq. a veſpertinis horis vſque ad lucem fuiſſet protracta collatio, circa quæſtionem hanc maximum noctis ſpatium conſumpſiſſe. Nam diutiſſime quærebatur, quænam virtus vel obſeruantia monachum poſſit a diaboli laqueis ac deceptionibus cuſtodire ſemper illæſum, vel certe recto tramite firmoq. greſſu ad perfectionis culmen euehere. Cumque pro captu mentis ſuæ proferret vnuſquiſque ſententiam, & alij quidem hoc in ieiuniorum vigiliarumq. ſtudio collocarent, quòd his videlicet extenuata mens, ac puritatem cordis & corporis aſſecuta, Deo facilius vniretur. Alij in contemptu uniuerſarum rerum, quibus mens ſi penitus nudaretur, tamquam nullis deinceps retinentibus laqueis ad Deum expeditior perueniret. Alij anachoreſin neceſſariam, id eſt, remotionem & eremi ſecreta cenſerent: in qua commanens, quis familiarius interpellare Deum, eiq. poſſit peculiarius inhærere. Nonnulli ſectanda charitatis, id eſt, humanitatis officia definirent, eo quòd his regna cælorum daturum ſe Dominus in Euangelio, velut ſpecialius repromittat di- *Mat. 25.* cens: Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis



bis regnum a conſtitutione mundi. Eſurui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c. Cumq. in hunc modum diuerſis virtutibus aditum certiorem ad Deum parari poſſe decernerent, eſſetq. noctis maximum tempus hac inquiſitione conſumptum intulit demum beatus Antonius: Omnia quidem hæc quæ dixiſtis, neceſſaria ſunt & vtilia ſitientibus Deum, atque ad eũ cupientibus peruenire, ſed his principalem tribuere gratiam nequaquam nos innumeri multorum caſus & experimenta permittunt. Nam ſæpe innumeros acerrime ieiunijs ſeu vigilijs incubantes, ac mirifice in ſolitudine ſecedentes, priuationem quoque omnium facultatum ita ſectantes, vt ex ipſis ne vnius quidem diei victum ſibimet, vnumve denarium ſupereſſe paterentur, humanitatis etiam ſtudia tota deuotione complentes, ita vidimus repente deceptos, vt arreptũ opus non potuerint congruo exitu terminare, ſummumq. feruorem & conuerſationem laudabilem deteſtabili fine concluſerint. Quamobrem quid principaliter ducat ad Deum manifeſte poterimus agnoſcere, ſi ruinæ ac deceptionis illorum cauſa diligentius a nobis fuerint indagata. In illis namque cum exuberarent prædictarum virtutum opera, diſcretio ſola deficiens vſque ad finem ea durare nõ ſiuit. Nec enim alia lapſus eorum cauſa deprehenditur, niſi quòd minus a ſenioribus inſtituti, nequaquam poterant rationem diſcretionis adipiſci, quæ prętermittens vtramque nimietatem, via regia monachum docet ſemper incedere, & nec dextera virtutum permittit extolli, id eſt, feruori, exceſſu iuſte continentiæ modum inepta præſumptione trãſcendere, nec obiectatuum remiſſione deflectere ad vitia ſiniſtra concedit, hoc eſt, ſub prætextu gubernandi corporis contrario ſpiritus tepore lenteſcere. Hæc namque eſt diſcretio quæ oculus & lucerna corporis in Euangelio nuncupatur, ſecundum illam ſententiam Saluatoris: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. quòd ſi ocu- *Matth.6.* lus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit, eo quòd† ipſas cogitationes hominis vni- *al.ipſa* uerſas actusq. diſcernens, cuncta quæ ſunt gerenda peruideat atque perluſtret: quæ ſi in homine nequam fuerit, id eſt, non vero iudicio & ſcientia communita, ſeu quolibet errore ac præſumptione decepta, totum corpus noſtrum

Universidad de Deusto
Biblioteca



faciet tenebrosum, hoc est, omnem aciem mentis actusq. nostros reddet obscuros, cæcitate scilicet vitiorum & per-
*Matth.6.* turbationum tenebris inuolutos. Si enim, inquit lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nulli namque dubium est, errante iudicio cordis nostri, & ignorationis nocte possesso, cogitationes quoque & opera nostra, quæ ex discretionis deliberatione descendunt, maioribus peccatorum tenebris implicari.

*De errore Saulis & Achab, quo per discretionis imperitiam sunt decepti. Cap. III.*

DEnique ille, qui primus Dei iudicio regnum Israelis emeruit, quia hunc discretionis oculum nequam ha-
*1.Reg.15.* buit, velut toto corpore tenebrosus effectus, etiam ipso deiectus est regno, dum lucernæ huius tenebris atque errore deceptus, acceptabiliora Deo sacrificia sua, quàm præceptum Samuelis, obedientiamq. iudicauit. Atque ex illa magis parte causam offensionis incurrit, ex qua repropitiandam sibi diuinam sperauerat maiestatem. Huius, in-
*3.Reg.20.* quam, discretionis ignoratio Achab regem Israel post illum sublimissimæ victoriæ triumphum, qui ei fuerat Dei fauore concessus, credere compulit meliorem esse misericordiam suam quàm executionem seueriſſimi, & quemadmodum ipsi videbatur, crudelis imperij. Qua consideratione mollitus dum mauult cruentam victoriam clementia temperare, ob indiscretam misericordiam velut toto corpore redditus tenebrosus irreuocabili, morte damnatur.

*Quæ de bono discretionis in scripturis sanctis referantur. Cap. IV.*

HÆc est discretio, quæ non solum lucerna corporis, sed etiam sol ab Apostolo nuncupatur, secundum il-
*Epheſ. 4.* lud: Sol non occidat super iracundiam vestram. Hæc etiam
*Prou. 11.* vitæ nostræ gubernatio dicitur, secundum illud: Quibus
*sec. lxx.* non est gubernatio, cadunt vt folia. Hæc consilium rectissime nominatur, sine quo nihil agere omnino scripturæ auctoritate permittimur, ita vt ne ipsum quidem spiritale vinum, quod lætificat cor hominis, sine ipsius sinamur mo-
*Psal.103.* deratione percipere, secundum illud: Cum consilio om-
*Prou. 31.* nia fac, cum consilio vinum bibe. Et iterum. Sicut ciuitas
*sec. lxx.* muris diruta & non circũdata, sic est vir qui nõ cum consilio
*Prou. 25.* aliquid agit. Cuius priuatio quàm pernicioſa sit monacho,
*sec. lxx.* testimonij huius exemplum figurate declarat, dirutæ eum ac



ac sine muris comparans ciuitati. In hac sapientia, in hac intellectus sensusq. consistit, sine quibus nec interior nostra ædificari domus, nec spiritales poterunt diuitiæ congregari, secundum illud: Cum sapientia ædificatur domus, & cum *Prou. 24.*
intellectu iterum erigitur: cum sensu implentur cellaria *sec. lxx.*
omnibus diuitijs prætiosis & bonis. Hæc, inquam, est solidus, cibus, qui nisi a perfectis tantum ac robustis sumi non
poteſt, secundum illud: Perfectorum autem est solidus ci- *Hebr. 5.*
bus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Quæ in tantum vtilis nobis ac necessaria comprobatur, vt etiam verbo Dei eiusq. virtutibus coaptetur secundum illud: Viuus est enim Dei sermo & *Hebr. 4.*
efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animę ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Quibus manifestissime declaratur, nullã sine discretionis gratia perfecte posse vel perfici, vel stare virtutem. Et ita tam beati Antonij quàm vniuersorum sententia definitum est, discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictasq. virtutes iugiter conseruet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi, & sine qua multi etiam propensius laborantes, perfectionis nequiuerint culmen attingere. Omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixq. discretio est.

*De morte Heronis senis. Cap. V.*

ET vt hanc eandem definitionem antiquitus a sancto Antonio & ceteris patribus promulgatam, recens quoque, sicut promisimus, confirmet exemplum; recolite id, quod nuper gestum oculorum vestrorum vidistis obtutibus, senem videlicet Heronem ante paucos admodum dies illusione diaboli a summis ad ima deiectum, quem quinquaginta annis in hac eremo commoratum, singulari districtione rigorem continentiæ tenuisse meminimus, & solitudinis secreta vltra omnes hic commorantes miro feruore sectatum. Hic igitur quo pacto, quave ratione post tantos labores ab insidiatore delusus, grauissimo corruens lapsu, cunctos in hac eremo constitutos luctuoso dolore percussit? Nonne quia minus discretionis virtute possessa, suis definitionibus regi, quàm consilijs vel collationibus fratrum,

trum, atque institutis maiorum, maluit obedire? Siquidem tanto rigore inimitabilem ieiunij continentiam semper exercuit, & solitudinis cellæq. ita iugiter secreta sectatus est, vt ab eo participationem ineundi cum fraternitate conuiuij, nec veneratio quidem diei paschalis aliquando potuerit obtinere. In qua fratribus cunctis pro anniuersaria solemnitate in ecclesia retentatis, solus non potuerit aggregari, ne quantulumcumque perceptione leguminis
2.Cor.11. parui a suo videretur proposito relaxasse. Qua præsumptione deceptus, angelum satanę velut angelum lucis cum summa veneratione suscipiens, eiusq. præceptis prono obediens famulatu, semetipsum in puteum, cuius profunditatem oculorum non attingit intuitus, præcipitem dedit, de angeli videlicet sui sponsione non dubitans, qui eum pro merito virtutum ac laborum suorum nequaquam posse firmauerat, vlli iam discrimini subiacere. Cuius rei fidem vt experimento suæ sospitatis euidentissime comprobaret, supradicto se puteo nocte intempesta illusus iniecit, magnum scilicet virtutis suæ meritum probaturus, cum inde exisset illæsus. De quo cum pene iam exanimis ingenti fratrum labore fuisset extractus vitam die tertia finiturus, quod deterius est, ita in deceptionis suæ obstinatione permansit, ut ei ne experimento quidem mortis suæ persuaderi potuerit, quòd fuisset dæmonum calliditate delusus. Quamobrem pro meritis laborum tantorum & annorum numerositate, qua in eremo perdurauit, ac miseratione & humanitate summa, ab his qui eius compatiebantur exitio, uix a presbytero & abbate Paphnutio potuit obtineri, ut non (inter biothanatos reputatus) etiam memoria & oblatione pausantium iudicaretur indignus.

*De ruina duorum fratrum ob imperitiã discretionis. Cap. VI.*

QVid dicam de illis duobus fratribus, qui ultra illam eremum Thebaidis, ubi quondam fuerat beatus Antonius, habitantes, minus cauta discretione permoti, euntes per extentam solitudinis uastitatem, nullam escam penitus sumere decreuerunt, nisi quam per semetipsum illis Dominus præstitisset? Cumq. errantes eos per deserta & deficientes iam fame a longe Mazices conspexissent, (quæ gens cunctis pene nationibus feris immanior atque crudelior est; non enim eos ad effusionẽ sanguinis, ut nonnullas gentes, desiderium prædæ, sed sola feritas mentis insti-



instigat,) eisq. contra naturam feritatis suę cum panibus occurrissent, unus ex eis subueniẽte discretione uelut a Domino sibi porrectos, cum gaudio & gratiarum actione suscepit, reputans escam sibi diuinitus ministrari, nec sine Deo factum, ut hi qui semper hominum cruore gauderent, deficientibus ac iam tabescentibus, uitæ subsidia largirentur: alius uero recusans cibum, uelut ab homine sibi oblatum, inediæ defectione consumptus est. Quorum licet initia ex reprehensibili persuasione descenderint, unus tamen subueniente discretione, id quod temere incauteq. conceperat, emendauit: alius autem in stulta præsumptione perdurans, ac penitus discretionis ignarus, mortem quam Dominus auerti uoluit, sibi ipsi consciuit; nequaquam credẽs instinctu diuino factũ, quòd immites barbari propriæ feritatis obliti, panes eis pro gladijs obtulissent.

*De alterius illusione, quam per imperitiam discretionis, incurrit. Cap. VII.*

QVid etiam de illo commemorem (cuius nominis quia adhuc supereſt, mentionem facere nolumus) qui dum longo tempore dæmonem in angeli suscipit claritate, reuelationibus eius innumeris sępe deceptus, credidit nuntium esse iustitię? Nam exceptis his, etiam per omnes noctes in cella eius lumen absque ullius lucernę prębebat officio. Ad extremum iubetur a dæmone, ut Deo filium suum, qui cum eodem pariter in monasterio commanebat, offerret, ut scilicet hoc sacrificio Abrahę patriarchę meritis ęquaretur. Cuius in tantum est credulitate seductus, ut parricidium opere perfecisset, nisi eum uidens puer cultrũ extra consuetudinem acuendo prępparare, & uincula quibus eum velut oblaturus ad immolandum constringere disponebat, inquirere, præsagio sceleris futuri perterritus aufugisset.

*De lapsu & deceptione monachi Mesopotameni. Cap. VIII.*

LOngum est deceptionem illius quoque monachi Mesopotameni narrando percurrere, qui in illa prouincia perpaucis imitabilem exibens continentiam, quam per annos multos singulariter in cella retrusus exegerat, ita est ad extremum diabolicis reuelationibus somnijsq. delusus, vt post tantos labores atque virtutes, quibus omnes monachos ibidem residentes excesserat, ad Iudaismum & con-

& conciſionem carnis lapſu miſerabili fuerit deuolutus. Nã cum volens eum conſuetudine viſionum ad credulitatem futuræ deceptionis illicere, veriſſima quæque multo tempore diabolus velut veritatis nuntius reuelaſſet, ad extremum oſtendit Chriſtianum populum vna cum principibus religionis ac fidei noſtræ, Apoſtolis ſcilicet atque martyribus, tenebroſum ac tetrum, omniq. macie tabidum atque deformem: econtra Iudæorum plebem vna cum Moſe, patriarchis atque prophetis, ſumma tripudiantem lætitia, & ſplendidiſſimo lumine coruſcantem; ſuadens vt ſi mallet meriti ac beatitudinis illorum particeps fieri, circumciſionem quoque ſuſcipere feſtinaret. Horum itaque profecto nullus tam lugubriter fuiſſet illuſus, ſi rationem diſcretionis huius aſſequi laboraſſet. Quamobrem inquantum pernicioſum ſit diſcretionis gratiam non habere, multorum caſus & experimenta declarant.

*Interrogatio de acquirenda vera diſcretione.*

*Cap. IX.*

AD hæc Germanus: Et nouellis exemplis & definitionibus antiquorum ſatis abũde perpatuit diſcretionem fontem quodammodo atque radicem cunctarum eſſe virtutũ. Quomodo ergo acquiri debeat, cupimus edoceri; aut quemadmodum vtrum vera & ex Deo, an falſa & diabolica ſit, poſſit agnoſci, vt ſecundum illam euangelicam, quam ſuperiore tractatu diſſeruiſti, parabolam, qua iubemur fieri probabiles trapezitæ, numiſmati impreſſam veri regis imaginem peruidentes, deprehendere valeamus, quod non ſit in moneta legitima figuratum, atque illud, ſicut vulgari vſus verbo heſterna collatione dixiſti, tamquam † paracharaximũ reprobemus, illa inſtructi peritia quam ſatis copioſe & integre proſecutus, ſpiritali atque euangelico trapezitę eſſe debere ſignaſti. Quid enim proderit virtutis eius & gratiæ merita cognouiſſe, ſi quemadmodum expetenda, vel acquirenda ſit, neſciamus?

*Collat. 1. cap. 20.*

*f. paracha ragmum.*

*Reſponſio quemadmodum poſſideatur vera diſcretio.*

*Cap. X.*

TVnc Moſes: Vera, inquit, diſcretio non niſi vera humilitate conquiritur. Cuius humilitatis hęc erit prima probatio, ſi vniuerſa non ſolum, quæ agenda ſunt, ſed etiam quę cogitantur, ſeniorum reſeruentur examini, vt nihil quis ſuo iudicio credens illorum per omnia definitionibus acquieſcat, & quid bonum vel malum debeat iudicare eorum traditione cognoſcat. Quæ inſtitutio non ſolum per veram diſcretionis viam iuuenem recto tramite docebit incedere, verumetiam a cunctis fraudibus & inſidijs inimici ſeruabit illæſum. Nullatenus enim decipi poterit quiſque, ſi non ſuo iudicio, ſed maiorum viuat exemplo: nec valebit ignorationi eius callidus hoſtis illudere, qui vniuerſas cogitationes in corde naſcentes pernicioſa verecundia neſcit obtegere, ſed eas maturo examine ſeniorum vel reprobat vel admittit. Illico namque vt patefacta fuerit cogitatio maligna marceſcit; & antequam diſcretionis iudicium proferatur, ſerpens teterrimus velut e tenebroſo ac ſubterraneo ſpecu confeſſionis virtute protractus ad lucem & traductus quodammodo ac dehoneſtatus abſcedit. Tandiu enim ſuggeſtiones eius noxiæ dominantur in nobis, quamdiu cælantur in corde. Et vt virtutem ſententiæ huius efficacius colligatis, referam vobis abbatis Serapionis factum, quod ille iunioribus ſolebat inſtructionis gratia frequenter inferre.



*Verba abbatis Serapionis, & de marcore patefactarũ cogitationum, & de periculo propriæ confidentiæ, Cap. XI.*

CVm adhuc eſſem puerulus, inquit, & cum abbate Theona commanerem, hæc mihi fuerat inimici impugnatione conſuetudo feralis ingeſta, vt poſtquam refeciſſem hora nona cum ſene, vnum paxamacium quotidie in ſinu meo latenter abſconderem, quod ſero illo ignorante occulte comederem. quod furtum licet conniuentia † cogitationis & inoliti ſemel deſiderij incontinentia ſine ceſſatione committerem, expleta tamen concupiſcentia fraudulenta, ad memetipſum reuertens ſuper admiſſo furti crimine grauius cruciabar, quàm ſuper eſu eius fueram iucundatus. Cumque illud moleſtiſſimum opus velut ab exactoribus Pharaonis indictum mihi vice laterum ſingulis diebus explere non ſine cordis mei dolore compellerer, nec tamen eruere me poſſem ab hac eorum ſæuiſſima tyrannide, & clandeſtinum furtum ſeni manifeſtare confunderer, contigit Dei nutu de hoc me captiuitatis iugo volentis eripere, vt quidam fratres cellam ſenis obtentu ædificationis expeterent. Cumque refectione tranſacta, collatio ſpiritalis agitari cœpiſſet, reſpondenſq. ſenex propoſitis interrogationibus eorum, de gaſtrimargię vitio & occultarum

*al. voluptatis.*

*Exod. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tarum cogitationum dominatione dissereret, earumq. naturam & atrocissimam vim, quam haberent donec celarentur, exponeret; ego collationis huius virtute compunctus, & conscientia redarguente perterritus, velut qui crederem ob hoc ea fuisse prolata, quod seni Dominus secreta mei pectoris reuelasset, in occultos primum gemitus excitatus, deinde cordis mei compunctione crescente, in apertos singultus lacrymasq. prorumpens, paxamacium quod consuetudine vitiosa subtraxeram clanculum comedendum, de sinu furti mei conscio ac susceptore produxi, eumque in medium proferens, quemadmodum quotidie latenter ederem, prostratus in terram cum veniæ postulatione confessus sum, & vbertim profusis lacrymis, vt absolutionem durissimæ captiuitatis a Domino poscerent, imploraui. Tunc senex: Confide, ait, o puer, absoluit te ab hac captiuitate, etiam, me tacente, confessio tua. Victorem namque aduersarium tuum hodie triumphasti, validius eũ tua confessione prosternens, quàm ipse fueras ab eo tua taciturnitate deiectus, quem vtique nequaquam vel tua vel alterius responsione confutans, in te nunc vsque permiseras dominari, secundum illam Salomonis sententiam: Quia non fit contradictio ab his, qui faciunt malum cito, ideo repletum est cor filiorum hominum in ipsis, vt faciãt mala. Et idcirco iam te post hanc publicationem † suam nequissimus spiritus iste nullatenus inquietabit vlterius, nec in te latibulum sibi teterrimus serpens vsurpabit deinceps, de tenebris cordis tui salutari confessione protractus ad lucem. Necdum senex hæc verba compleuerat, & ecce lampas accensa de meo sinu procedens, ita cellam repleuit odore sulphureo, vt vehementia fœtoris ipsius vix in ea nos residere permitteret. Resumensq. senex admonitionem: Ecce, inquit, Dominus tibi sermonum meorum veritatem visibiliter approbauit, ut passionis incentorem de corde tuo salubri confessione depulsum oculis peruideres, patefactumq. hostem nequaquam locum in te ulterius habiturum, aperta eius expulsione cognosceres. Itaque secundum sententiam senis, ita est, inquit, in me confessionis huius virtute dominatio diabolicæ illius tyrannidis extincta atque in perpetuum consopita, vt numquam mihi ne memoriam quidem concupiscentiæ huius vlterius tentauerit inimicus ingerere, nec me post hæc aliquando pulsatum

*Eccle. 8. sec. lxx.*

*al. tuam*



satum furtiui illius desiderij instigatione persenserim. Quẽ sensum in Ecclesiaste quoque pulcherrime legimus figuratum: Si momorderit, inquit, serpens non in sibilio, non est abundantia incantatori; taciti serpentis morsum pernicio- *Eccl: 10. sec. lxx.*
sum esse designans: id est, si per confessionem suggestio seu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, spiritali scilicet uiro, qui carminibus scripturarum mederi protinus uulneri, & extrahere de corde consueuit noxia uenena serpentis, patefacta non fuerint, succurrere periclitanti perituroue non poterit. Hoc igitur modo ad scientiam discretionis ueræ peruenire poterimus, ut seniorum uestigia subsequentes, neque agere quidquã noui, neque discernere nostro iudicio præsumamus, sed quemadmodum nos uel traditio illorum, uel uitæ probitas informarit, in omnibus gradiamur. Qua institutione formatus, non modo ad perfectam discretionis rationem quisque perueniet, uerumetiam munitus a cunctis insidijs inimici tutissimus permanebit. Nullo namque alio uitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cum eum neglectis consilijs seniorum suo iudicio persuaserit definitioniq. confidere. Etenim cum omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil amplius quàm uitæ huius commodis prosunt, licet manu palpari queant, & oculis peruideri, recte tamen a quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi; quàm ineptum est, credere hanc solam non egere doctore, quæ & inuisibilis & occulta est, & quæ non nisi corde purissimo per cuius uidetur, error non temporale damnum, nec quod facile reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemq. perpetuam. Habet enim non aduersus visibiles, sed inuisibiles atque immites hostes diurnum nocturnumq. conflictum, nec contra vnum seu duos, contra innumerabiles cateruas spiritale certamen, cuius casus tanto pernicioſior cunctis, quanto & infestior inimicus, & congressus occultior. Et ideo semper seniorum summa cautione sunt sectanda vestigia, atque ad eos cuncta, quæ in nostris cordibus oriuntur, sublato confusionis velamine deferenda.

*Confessio verecundiæ, ob quam confunderemur, cogitationes nostras senioribus reuelare. Cap. XII.*

GERMANVS. OCcasionem nobis pernicioſæ verecundiæ, qua cogitationes malas studeamus obtegere, illa præcipue creat causa,

causa, qua nouimus quendã in Syriæ partibus, vt credebatur, præcipuum seniorum cuidam fratri cogitationes suas simplici confessione prodenti, postmodũ quadam indignatione commotum easdem grauiter exprobrasse. Vnde fit vt dum eas in nobis premimus ac senioribus erubescimus publicare, curationum remedia consequi nequeamus.

*Responsio de confusione calcanda, & periculo non condolentis.*

MOSES. *Cap.* XIII.

SIcut non sunt omnes iuuenes pari modo vel feruentes spiritu, vel disciplinis ac moribus optimis instituti, ita ne senes quidem cuncti vno modo vel perfecti possunt vel probatissimi reperiri Diuitiæ enim senum non sunt canitie capitis, sed industria iuuentutis ac præteritorum laborum stipendijs metiendæ: Quæ enim non congregasti, inquit, in iuuentute, quomodo inuenies in senectute tua? Senectus enim honorabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Et idcirco non omniũ seniorum quorum capita canities tegit, quosq. vitæ longæuitas sola commendat, nobis sunt sectanda vestigia, seu traditiones ac monita suscipienda, sed eorum quos laudabiliter vitam suam ac probatissime cõpererimus in iuuentute signasse, nec præsumptionibus proprijs, sed maiorum traditionibus institutos. Sunt enim nonnulli, quorum etiã quod est lugubrius, maior est multitudo, qui in tepore suo quem ab adolescentia conceperunt, atque ignauia senescentes, auctoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt. De quibus exprobratio illa Domini proprie satis dicitur per prophetam: Et comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Hos, inquam, in exemplũ iunioribus, non vitæ probitas, nec vlla propositi huius laudabilis atque imitãda districtio, sed annositas sola prouexit. Quorum canitiem callidissimus inimicus, ad deceptionum iuniorum in præiudicata auctoritate proponens, etiam illos qui ad viam perfectionis: vel suis vel aliorum potuerunt monitis incitari, subuertere ac decipere exemplis eorum fraudulenta subtilitate festinat, vel in teporem eos noxium, vel in letalem desperationem doctrinis eorum institutisq. perducens. Cuius rei volens vobis exempla

*Eccl. 25.*

*Sap. 4.*

*Osee. 7.*



pla proferre, auctoris nomine prætermisso, ne nos quoque illius qui patefacta sibi fratris vitia publicauit, simile aliquid admittamus, rem tantum gestam, quæ instructionem necessariam vobis conferre possit, exponam. Cum igitur ad senem quendam nobis optime cognitum quidam non ignauissimorum iuuenum profectus sui & curationis gratia perrexisset, & carnalibus incentiuis ac fornicationis spiritu semetipsum inquietari simpliciter prodidisset, consolationem credens laboribus suis oratione senis, & remedia inflictis vulneribus reperturum; ille amarissimis eum increpans verbis, miserabilemq. & indignũ, nec monachi nomine censendum esse pronuntians, qui potuerit huiusmodi vitio & concupiscentia titillari, ita suis econtrario correptionibus vulnerauit, vt eum summa desperatione deiectum ac letali tristitia consternatum e sua cella dimitteret. Cumq. ei tali mœrore depresso, nec iam de remedio passionis, sed de expletione conceptæ concupiscentiæ profunda cogitatione tractanti, abbas Apollo, seniorum probatissimus occurrisset, laboremq. & oppugnationis vehementiam, quæ in corde eius tacite voluebatur, de contemplatione vultus, & deiectione coniectans, causam tantæ perturbationis inquireret, atque ille molliter se compellanti seni ne responsum quidem vllum posset referre, magis ac magis eum sentiens senex non inaniter causam tantæ tristitiæ silentio velle contegere, quam ne vultu quidem dissimulare valeret, intentius ab eo causas occulti doloris cœpit inquirere. Quibus ille constrictus, pergere se ad vicum confitetur, vt quia, secundum sententiam illius senis, monachus esse non posset, nec refrænare stimulos carnis, nec impugnationis remedia consequi iam valeret, vxorem duceret, ac relicto monasterio reuerteretur ad sæculum. Quem senior blanda consolatione demulcens, seseq. asserens ijsdem quotidie incentiuorum stimulis atque æstibus agitari, & idcirco non debere eum prorsus desperatione concidere, nec mirari super impugnationis ardore, qui non tam laboris studio quàm misericordia Domini & gratia vinceretur; vnius tantum diei ab eodem poposcit inducias, & vt reuerteretur ad suam cellulam deprecatus, ad monasterium prædicti senis tota festinatione perrexit. Cumq. eidem proximasset, expansis manibus orationem cum lacrymis fundens: Conuerte,

ait, Domine, qui occultorum & infirmitatis humanæ solus arbiter pius, ac † secretus es medicus, impugnationem illius iuuenis in senem istum, vt condescendere infirmitatibus laborantium, & compati fragilitati iuniorum vel in senectute doceatur. Cumque ille hanc precem cum gemitu conclusisset, cernit Æthiopem tetrum contra illius cellulam stantem, atque aduersus eum ignita iacula dirigentem. Quibus cum fuisset ille protinus sauciatus, & progressus e cella, huc atque illuc velut amens & ebrius cursitaret, atque egrediens & ingrediens, iam se in ea continere non posset, eadem via concitus pergere cœpit, qua iuuenis ille discesserat. Quem abbas Appollo velut amentem factum quibusdam furijs agitari conspiciens, intellexit ignitum diaboli quod viderat telum in eius corde fuisse defixum, illamq. in eo confusionem mentis ac perturbationem sensuum intolerandis æstibus operari; accedensq. ad eum: Quo, inquit, properas, aut quænam te causæ senilis illius grauitatis oblitum, ita pueriliter inquietant, ac mobiliter cursitare compellunt? Cumque ille pro conscientiæ suæ reatu ac turpi exagitatione confusus, crederet ardorem sui pectoris deprehensum, ac retectis seni sui cordis arcanis nullam responsionem percũctanti reddere prorsus auderet: Reuertere, inquit, ad cellam, tandemq. te intellige vel ignoratum hactenus a diabolo, vel despectum, nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidie confligere & colluctari profectibus eorum ac studijs instigatur, qui vnum eius in te directum iaculum post tantam annorum seriem, quam in hac professione triuisti, non dicam respuere, sed ne vno quidem die differre quiuisti; quo te idcirco Dominus passus est sauciari, vt saltem in senecta disceres compati infirmitatibus alienis & fragilitati condescendere iuniorum tuis exemplis atque experientia docereris; qui suscipiens iuuenem infestatione diabolica laborantem, non modo nulla consolatione fouisti, sed etiam pernicioſa desperatione deiectum, inimici manibus tradidisti, quantum in te est, ab eodem lugubriter deuorandum. quem sine dubio nequaquam tam vehementi conflictu fuisset aggressus, quo te nunc vsque est appetere dedignatus, nisi futuro profectui eius inuidens inimicus, illam virtutem, quam animo eius inesse cernebat, anticipare ac peruertere suis ignitis iaculis festinasset; proculdubio iudicans fortiorem cui

*al. seuerus.*

tanta



tanta vehementia confligere operæpretium iudicauit. Discce itaque tuis exemplis laborantibus compati, & periclitantes nequaquã pernicioſa desperatione terrere, nec durissimis sermonibus asperare, sed potius leni blandaq. consolatione reficere, & secundum præceptum sapientissimi Salomonis: Eruere eos, qui ducuntur ad mortem, & redimere eos, qui interficiuntur ne parcas, nostriq. Saluatoris exemplo, arundinem quassatam non conterere, & linum fumigans non extinguere, illamq. a Domino gratiam poscere, qua ipse quoque fiducialiter valeas opere ac veritate cantare: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo. Nullus enim inimici sufferre posset insidias, seu carnales æstus naturali quodammodo igne flagrantes, vel extinguere vel reprimere, nisi gratia Dei vel iuuaret fragilitatem nostram, vel protegeret ac muniret. Et idcirco salutaris huius dispẽsationis ratione finita, qua vel illum iuuenem pernicioſis æstibus Dominus liberare, vel de impugnationis vehementia & compatiendi affectu te voluit erudire, communibus eum precibus imploremus, quo flagellum istud, quod vtilitatis gratia tibi Dominus inferre dignatus est, iubeat amoueri: (Ipse enim dolere facit, & rursum medetur, percutit, & manus eius sanant: ipse humiliat & exaltat, ipse occidit & viuificat, deducit ad inferos & reducit.) & ignita diaboli iacula quę me † arbitro tibi permisit infligi, spiritus sui rore redundante restinguat. Quam tentationem licet eadem celeritate, qua inferri Dominus passus est ad vnam senis orationem rursus abstulerit; euidenti tamen experimento docuit, non modo non exprobrari patefacta cuiusque vitia debere, sed ne leuiter quidem laborantis dolorem debere contemni. Et idcirco nequaquam nos vnius senis siue paucorum vel imperitia vel leuitas ab illa salutari quam prædiximus via & traditione maiorum deterreat & excludat, quorum canitie ad deceptionem iuniorum callidissimus abutitur inimicus; sed absque vllo confusionis operimento omnia debent senioribus reuelari, atque ab eis vel remedia vulnerum, vel exempla conuersationis ac vitæ fiducialiter sumi, in quibus parem opem & similem experiemur effectum, si nihil penitus affectare nostro iudicio ac præsumptione tentemus.

*Prou. 24. sec. lxx. Matth. 12. Esai. 50. Iob. 5. sec. lxx. 1. Reg. 2. al. impetrante, arbitror.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De vocatione Samuelis.* *Cap. XIIII.*

DEnique in tantum placita Deo hæc sententia comprobatur, vt etiam scripturis sanctis hanc eandem institutionem non otiose reperiamus insertam, ita vt puerum Samuelem iudicio † præelectum suo, nollet per semetipsum diuini colloquij disciplina Dominus erudire, sed recurrere semel & iterum pateretur ad senem, eumq. quem ad suum vocabat alloquium, etiam illius, qui offenderat Deum, dummodo senioris, doctrina vellet institui; & quę sua vocatione dignissimum iudicarat, senioris mallet institutione formari, vt scilicet & illius, qui ad diuinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, & iunioribus forma subiectionis huius proponeretur exemplo.

† al prælatum.

1.Reg.3.

*De vocatione Pauli Apostoli.* *Cap. XV.*

PAulum quoque per semetipsum vocans & alloquens Christus, cum posset ei perfectionis viam referare cōfestim, dirigere ad Ananiam mauult, & ab eo iubet viam veritatis agnoscere, dicens: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi tibi dicetur, quid te oporteat facere. Mittit itaque & hunc ad seniorem, eumq. illius potius doctrina quàm sua censet institui, ne scilicet quod recte gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum vnusquisque sibimet persuaderet, simili modo se quoque debere Dei solius magisterio atque doctrina potius quàm seniorum institutione formari. Quam præsumptionem etiam ipse Apostolus non solum litteris, sed etiā opere atque exemplo docet omnimodis detestandam, ob hoc solummodo se asserens Hierosolymam conscendisse, vt Euangelium quod comitante gratia Spiritus sancti cum potestate signorum & prodigiorum gentibus prædicabat, cum suis coapostolis & antecessoribus priuata quodammodo ac domestica examinatione conferret: Et contuli, inquiens, cum illis Euangelium quod prædico inter gentes, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. Quis ergo tam præsumptor & cæcus sit, qui se audeat suo iudicio ac discretioni committere, cum vas electionis indiguisse se coapostolorum suorum collatione testetur? Vnde manifestissime comprobatur, nulli a Domino viam perfectionis ostendi, qui habens vnde valeat erudiri, doctrinam seniorum vel instituta contempserit, paruipendens illud eloquium

Mat. 9.

Galat. 2.



eloquium, quod oportet diligentissime custodiri: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; seniores tuos, & dicent tibi. Deut. 32.

*De appetenda discretione.* *Cap. XVI.*

OMni igitur conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri, quæ nos illæsos ab vtraque potest nimietate seruare. Vetus namque sententia est, ἀκρότητες ἰσότητες, id est, nimietates æqualitates sunt. Ad vnū enim finem nimietas ieiunij & voracitas peruenit, eodemq. dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni grauissimi torpor inuoluit. Nam per excessum continentiæ debilitatū quemque ad illum statum reuocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur: ita vt frequenter quos per gastrimargiam decipi non potuisse conspeximus, per immoderationem ieiuniorum viderimus fuisse deiectos, atque ad eandem quam vicerant passionē infirmitatis occasione collapsos. Vigiliæ quoque & pernoctationes irrationabiles deiecerunt quos somnus supetare non potuit. Quapropter secundum Apostolū, per arma iustitiæ quæ a dextris sunt & a sinistris, recto moderamine tiā secundum est, & ita inter vtrasque nimietates discretione moderante gradiendum est, vt nec a tradito continentiæ tramite acquiescamus abduci, nec rursum remissione noxia, in gulæ ac ventris desideria concidamus.

2.Cor.6.

*De immoderatis ieiunijs & vigilijs.* *Cap. XVII.*

ETenim memini me frequenter ita appetitum cibi penitus respuisse, vt duobus diebus ac tribus refectione dilata, ne memoria quidem vllius edulij meam interpellauerit mentem; & rursum ab oculis meis ita somnum diaboli impugnatione subtractum, vt plures noctes ac dies paululum quid somni meis oculis a Domino precarer infundi, grauiusq. me periclitarum somni cibiq. fastidio, quàm soporis & gastrimargiæ colluctatione persensi. Itaque sicut festinandum nobis est ne appetitu corporeæ voluptatis in dissolutionem noxiam delabamur, & ante præstitutum tempus vel cibo indulgere, vel modum eius præsumamus excedere; ita est escæ somniq. refectio hora legitima, et a si horreat, ingerenda. Vtrumque enim bellū aduersarij factione consurgit, & perniciosius continentia immoderata, quàm saturitas remissa supplantat. Ab hac

namque ad mensuram districtionis intercedente salutari compunctione conscendi potest, ab illa non potest.

*Interrogatio de continentia vel refectionis mensura.*

GERMANVS. *Cap. XVIII.*

QVis igitur est continentiæ modus, quem æquo moderamine retinentes, inter vtramque nimietatem illæsi transire possimus?

MOSES. *De optimo cibi quotidiani modo. Cap XIX.*

SVper hac re inter maiores nostros frequenter nouimus habitum fuisse tractatum. Nam discutientes continentias diuersorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam iugiter exigebant; præposuere
*al. solius* cunctis illis refectionem † sicci panis; cuius æquissimum modum in duobus paxamacijs statuerunt, quos paruulos panes, vix vnius libræ pondus habere certissimum est.

*Obiectio de facilitate continentiæ, quæ duobus paxamacijs sustinetur.*

GERMANVS. *Cap. XX.*

QVod nos gratanter amplexi, respondimus, hunc modum nos minimæ pro continentia reputare; quippe qui integrum eum nequaquam possemus insumere.

*Responsio de vi huius mensuræ & continentiæ.*

MOSES. *Cap. XXI.*

SI vultis experiri vim statuti huius, modum istum iugiter retinere: nullum extrinsecus coctionis pulmentum die Dominico vel sabbati, neque sub aliqua aduenientium fratrum occasione sumentes: nam his refecta caro non solum minore quantitate diebus residuis poterit sustentari, verum etiam totam refectionem sine labore differre, illorum scilicet ciborũ, quos extrinsecus sumpserit, adiectione suffulta. Quod nullo modo facere, nec refectionẽ panis differre in diem posterum præualebit, quisquis fuerit semper prædictæ mensuræ quantitate contentus. Etenim memini seniores nostros (quod nos quoque retineo frequenter fuisse perpessos cum tanto labore ac difficultate hanc parsimoniam sustentasse, tantaq. vi atque media prædictam custodisse mensuram, vt inuiti quodammodo nec sine gemitu atque tristitia hunc finem sibi refectionis imponerẽt.

*Qui nam generalis continentiæ ac refectionis modus sit. Cap. XXII.*

GEneralis tamen hic continentiæ modus est, vt secundum capacitatem virium vel corporis vel ætatis tantum



tum sibimet cibi vnusquisque concedat, quãtum sustentatio carnis, non quantum desiderium saturitatis exposcit. In vtraque enim parte sustinebit maximum detrimentũ, quisquis inæqualitatem tenens, nunc ventrem ieiuniorum ariditate constringit, nunc escarum nimietate distendit. Vt enim mens cibi inanitate lassata perdit orationis vigorẽ, dum carnis lassitudine nimia prægrauata dormitare compellitur; ita rursum nimietate voracitatis oppressa emittere ad Deum preces puras leuesq. non poterit. Sed nec castimoniæ quidem ipsius puritatem indirupta valebit iugitate seruare, dum ei etiam diebus illis quibus carnẽ acriore videtur continentia castigare, præterita cibi materia, quamuis ad præsens defecto sit corpore, ignem carnalis concupiscentiæ subministrat.

*Quemadmodum abundantia humorum genitalium castigetur. Cap. XXIII.*

NAm quod semel per escarum abundantiam concretũ fuerit in medullis, necesse est egeri atque ab ipsa naturæ lege propelli, quæ exuberantiam cuiuslibet humoris superflui velut noxiam sibi atque contrariã in semetipsa residere non patitur. Ideoq. rationabili semper & æquali est corpus nostrum parsimonia castigandum, vt si naturali hac necessitate commorantes in carne omnimodis carere non possumus, saltem rarius nos & non amplius quàm trina vice respersos † isto deliquio totius anni cursus inueniat. Quod tamen sine vllo pruritu quietus egerat sopor, *al. istã col luuione.* non fallax imago index occultę voluptatis eliciat. Quamobrem hæc est tẽperata quam diximus continentiæ æqualitas atque mensura, quæ patrum quoque iudicio comprobatur, vt quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries, in vno eodemq. statu animam pariter corpusq conseruans; nec ieiunij fatigatione concidere, nec grauari mentem saturitate permittens. Tanta namque frugalitate finitur, vt interdum se post vesperam nec sentiat aut meminerit refeciſse.

*De labore æqualis refectionis, & de fratris Beniamin edacitate. Cap. XXIIII.*

ET intantum hoc non sine labore perficitur, vt malint hi qui perfectionem discretionis ignorant, etiam biduo protelare ieiunia, idq. quod hodie sumpturi fuerant in crastinum reseruare, dummodo ad refectionem peruenientes

nientes desiderata satietate potiantur. Quod nuper Beniamin ciuem vestrum pertinaciter tenuisse cognoscitis, qui ne quotidie duo paxamacia percipiens æquali castigatione continuam parcitatem iugiter retentaret, maluit biduana semper continuare ieiunia, dummodo ad refectionem veniens duplicata mensura repleret ventris ingluuiem, id est, vt quattuor paxamacia comedens desiderata saturitate gauderet, & expretionem ventris biduano ieiunio quodammodo compararet. Qui obstinatione & pertinacia mentis suæ definitionibus potius proprijs quàm seniorum traditionibus acquiescens, quali fine suum propositum terminarit, proculdubio meministis. Siquidem relicta eremo, rursus ad inanem philosophiam mundi huius ac vanitatem sęculi deuolutus, prædictam sententiam seniorum sui casus signat exemplo, ruinaq. sua cunctos docet, neminem suis definitionibus, vel proprio iudicio confidentem, perfectionis culmen aliquando posse conscendere, sed nec diaboli quidem pernicioſas illusiones euadero.

*Interrogatio quomodo vna semper eademq. mensura seruetur. Cap. XXV.*

GERMANVS.

QVomodo igitur a nobis hic modus indirupte poterit custodiri? Nam nonnumquam hora nona soluta iam statio[illegible] ieiunij superuenientibus fratribus necesse est eorum obtentu aut adijci aliquid ad statutam solitamq. mẽsuram, aut certe humanitatem, quam iubemur omnibus exhibere, penitus † abdicari.

al. cuitari

*Responsio de non excedendo refectionis modo.*

MOSES. *Cap. XXVI.*

VTraq. vno modo ac solicitudine pari conuenit obseruari. Nam & mensuram cibi causa continentiæ ac puritatis cum omni scrupulo custodire debemus, & humanitatem atque † adhortationem aduenientibus fratribus charitatis obtentu similiter exhibere, quia satis absurdum, est vt fratri immo Christo mensam offerens non cũ eo cibũ pariter sumas, aut ab eius refectione te facias alienum. Itaque in neutra parte reprehensibiles inuemur, si hęc a nobis cõsuetudo retineatur, vt hora nona de duobus paxamacijs, quæ nobis canonica mensura iure debentur, vno paxamacio prælibato, aliud huius expectationis gratia in vesperam reseruemus: quem, si superuenerit quispiã fratrum cum ipso pariter infumamus nihil consuetudini.

al. adorationem.





solitæ amplius adiungentes, & hac dispensatione nequaquam fratris nos contristabit aductus, qui nobis debet esse † gratulabilis si quidẽ ita ei exhibebimus humanitatis obsequia, vt nihil a rigore continentię relaxemus. Si vero nullus aduenerit, hoc quoque velut de canonico modo debitũ nobis libere præsumemus: qua parcitate nec stomachus vespere poterit aggrauari (quippe hora nona vno paxamacio iam præmisso) quod plerumque his qui districtiorẽ abstinentiam se tenere credentes, totam refectionem ad vesperam differunt, euenire consueuit. Nam recens escæ perceptio tam in vespertinis quàm in nocturnis orationibus tenuem leuemq. sensum inueniri non sinit. Ideoque commodum satis & vtile hora nona refectionis tempus indultum est, in quo reficiens monachus non solum in nocturnis vigilijs leuis ac vacuus, verumetiam in ipsis vespertinis solemnitatibus digesto iam cibo inuenietur aptissimus. Talibus nos sanctus Moses geminæ institutionis epulis saginauit; non solum discretionis gratiam atque virtutẽ præsenti eruditione verborum, sed etiam abrenuntiandi rationem, & destinationem finemq. propositi anteacta disputatione demonstrans, vt quod antea feruore tantum spiritus ac zelo Dei clausis quodammodo oculis sectabamur, luce clarius aperiret; faceretq. sentire quantum a puritate cordis & directionis linea fuissemus ad id temporis euagati. quippe cum etiam omnium visibiliũ in hoc sæculo artium disciplina absque destinationis ratione subsistere, ac sine contemplatione certi finis attingi omnino non possit.

al. gratissimus.

*Collationis II. beati Mosi de discretione finis.*

COLLA-

# COLLATIO TERTIA, QVÆ EST ABBATIS PAPHNVTII,

## DE TRIBVS ABRENVNTIATIONIBVS.

*De conuersatione ac vita abbatis Paphnutij. Cap. I.*

IN illo sanctorum choro, qui velut astra purissima in nocte mundi istius refulgebant, vidimus sanctum Paphnutium vice luminaris magni claritate scientiæ coruscantē. Hic namque presbyter congregationis nostræ, id est, illius quæ in eremo Scithi morabatur, fuit; in qua ita vsque ad extremam durauit ætatē, vt numquam e cella, quā iunior cœperat habitare, quæque ab ecclesia milibus quinque distabat, saltem ad viciniora migrauerit; nec fessus annis die sabbati vel Dominico venturus ad ecclesiam vexaretur tanti itineris spatio, sed nec vacuus quidem reuerti exinde contentus, vas aquæ, quam per totam hebdomadam erat sumpturus suis ceruicibus superponēs reportabat ad cellam. Cumque nonagenariam excessisset ætatem, nūquam passus est eam iuniorum sibi labore deferri. Hic itaque ab adolescentia sua scholis cœnobiorum tanto ardore se tradidit, vt in eis paruo tempore commoratus tam subiectionis bono quàm vniuersarum virtutum scientia pariter ditaretur. Humilitatis namque & obedientiæ disciplina omnes suas mortificans voluntates, & per hanc extinctis vniuersis vitijs, cunctisq. virtutibus consummatis, quas monasteriorum instituta vel antiquissimorum patrum doctrina fundauit, sublimioris profectus ardore succensus eremi festinauit penetrare secreta, vt Domino cui inter fratrum turbas positus sitiebat inseparabiliter inhærere, nullo deinceps humano consortio retrahente, facilius vniretur. Vbi rursum tanto feruore etiam ipsorum anachoretarum virtutes superans, desiderio & intentione iugis ac diuinæ illius theoriæ, cunctorum deuitabat



bat aspectus, vastiora & inaccessibilia solitudinis penetrans loca, multoq. in eis tempore delitescens, vt ab ipsis quoque anachoretis difficulter ac rarissime deprehensus, angelorum quotidiano consortio delectari ac perfrui crederetur, atque ei merito virtutis huius ab ipsis inditum fuerit Bubali cognomentum.

*De sermone eiusdem senis, ac responsione nostra. Cap. II.*

HVius igitur magisterio institui cupientes, cogitationū etiam stimulis agitati, ad cellam eius iam die adue-sperascente peruenimus. Qui habito aliquantisper silentio cum propositum nostrum prædicare cœpisset, quòd scilicet patriam relinquentes, tot prouincijs pro amore Domini perlustratis egestatem ac vastitatem eremi tolerare & imitari rigorem conuersationis illorum † toto opere niteremur, quem vix ipsi qui in eadem necessitate atque inopia nati educatiq. sunt sustinerent; respondimus nos ob id ad eius doctrinam ac magisterium tetendisse, vt imbui aliquatenus tanti viri institutionibus ac perfectione possemus, quam innumeris documentis eidem sensseramus inesse; non vt illis, quæ tamen in nobis non essent, laudibus grauaremur, aut elatione animi, qua in nostris quoque cellulis nonnumquam suggestione inimici titillabamur, ipsius quoque sermonibus inflaremur. Quamobrem illa nobis potius precabamur infundi, quibus compungi vel humiliari, non quibus nobismetipsis blandiri extolliq. possemus.

† al. tanto opere

*Propositio abbatis Paphnutij de tribus vocationum generibus, & de tribus abrenuntiationibus. Cap. III.*

TVnc beatus Paphnutius: Tres, inquit, vocationum sunt ordines; tres quoque renuntiationes monacho in quocūque vocationis ordine constituto necessarias nouerimus. Et primam quidem causam, qua tres esse vocationum ordines diximus, oportet diligenter inquirere, vt cum cognouerimus nos ad Dei cultum primo gradu vocationis ascitos, secundum eius sublimitatem, conuersationis quoque nostræ congruentiam temperemus. Nihil enim proderit sublimiter inchoasse, si similem principijs non exhibuerimus & finem. Quod si etiam vltimo ordine nos a conuersatione sæculi extractos fuisse cognoscimus, quanto minus probabili ad religionem principio videmur inniti, tanto acrius nosmetipsos ad meliorem finem spirituali feruore incitare curemus. Secundam quoque causam trinæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



næ abrenuntiationis omnimodis nosse nos conuenit, quia nullo modo perfectionem poterimus attingere, si eam vel ignorauerimus, vel scientes non contenderimus opere consummare.

### *Expositio trium vocationum. Cap. IV.*

VT igitur tres hi vocationum modi speciali distinctione pandantur; primus ex Deo est, secundus per hominem, tertius ex necessitate. Ex Deo quidem est, quotiens inspiratio quędam immissa in cor nostrum nonnumquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat, Deumq. sequi & eius inhærere præceptis compũctione saluberrima cohortatur, vt in scripturis sanctis Abraham voce Dominica, de genitali solo & totius cognationis affectibus, patrisq. domo legimus euocatum, dicente Domino: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Quo etiam modo beatum Antonium accitum esse cognouimus, qui occasionem suæ conuersionis a sola diuinitate percepit. Namque ingressus ecclesiam, ibiq. audiens in Euangelio Dominũ prædicantem: Qui nõ odit patrem & matrẽ & filios & vxorem & agros, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. & : Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo; & veni sequere me. Præceptum hoc Domini velut specialiter ad se directum cum summa cordis compunctione suscepit, cõfestimq. renuntians cunctis secutus est Christum, nulla exhortatione neque doctrina hominum prouocatus. Secundus vocationis modus est, quem fieri per hominem diximus, cum vel exemplis quorundam sanctorum vel monitis instigati, ad desiderium salutis accendimur. Quo nos quoque per gratiã Domini retinemus ascitos, qui prędicti viri monitis ac virtutibus incitati, huic nos studio professioniq. tradidimus; quo ordine etiã in scripturis sanctis per Mosen filios Israel de afflictione Ægypti legimus liberatos. Tertius vero vocationis modus est, qui ex necessitate descendit, cum diuitijs mundi huius vel voluptatibus obligati, ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amissione bonorum ac proscriptione percutiunt, vel carorum morte compungunt, ad Deum, quem secuti in rerum prosperitate contempsimus, saltem inuiti properare compellimur. Cuius vocationis necessitatem in scripturis quoq. sæpissime reperimus, cum filios Israel ob merita peccatorum legimus a Domino traditos hostibus suis, ob quorum dominationem crudelitatemq. sæuissimam, rursus conuersos ad Dominum proclamasse: Et misit eis, inquit Dominus saluatorem Aod filium Gera, filij Iemini, qui vtraque manu pro dextera vtebatur. Et rursum: Clamauerunt, inquit, ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos, Othoniel filium Cenez, fratrem Caleb iuniorem, Et de talibus in Psalmo dicitur: Cum occideret eos, tunc quærebant eum, & reuertebantur & diluculo veniebant ad Deum, & recordati sunt, quia Deus adiutor eorum est, & Deus excelsus redemptor eorum est. Rursumque: Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.

*Gen. 12.* *Luc. 14.* *Matt. 19.* *Exod. 14.* *Iudic. 3.* *Ibid.* *Psal. 77.* *Ps. 106.*

### *Quod & desidioso vocatio prima non possit, & strenuo postrema non obsit. Cap. V.*

EX his itaque tribus modis licet priores duo melioribus inniti principij videantur, nonnumquam tamen inuenimus etiam de tertio gradu, qui infimus videtur ac tepidus, perfectos viros ac spiritu feruentissimos extitisse, illisq. consimiles, qui optimo principio aggressi Domini famulatum, reliquam quoque vitam laudabili feruore spiritus exegerunt; & iterum de illo superiori gradu plurimos tepefactos ad vituperabilem finem sępissime recidisse: ac perinde sicut illis nil obfuit, quòd non suo viderentur arbitrio, sed necessitatis compulsione conuersi, quippe quibus hanc ipsam occasionem, qua compungerentur, Domini benignitas procurauit; ita etiam istis omnino nil profuit sublimiora conuersionis habuisse principia, quia non studuerunt reliquam vitam fine congruo terminare. Nec enim abbati Mosi, qui habitauit in loco istius eremi, qui Calamus nuncupatur, quidquam defuit ad perfectæ beatitudinis meritum, quòd metu mortis, quæ ei propter homicidij crimen intentabatur, impulsus ad monasterium decucurrit, quia ita necessitatem conuersionis arripuit, vt eam in voluntatem prompta animi virtute conuertens ad perfectionis fastigia summa peruenerit; sicut etiam econtrario plurimis quos nominatim memorare non debeo, nil profuit Domini seruitutem meliore arripuisse principio, qui deinceps cordis ignauia ac duritia subsequente, in te-

in teporem noxium, ac in profundum mortis baratrhum conciderunt. Quam rem in Apostolorum quoque vocatione vidimus euidenter expressam. Quid enim profuit Iudæ apostolatus sublimissimum gradum eodé ordine, quo Petrus ceteriq. Apostoli adsciti sunt, voluntarie suscepisse, qui vocationis suæ præclara principia cupiditatis ac phi-
*Matt 26.* largyriæ pestifero fine consummans, vsque ad traditionem Domini crudelissimus parricida prorupit? Aut quid obfuit
*Act. 9.* Paulo quòd repente cæcatus ad viam salutis velut inuitus videtur attractus, qui postea Dominum toto animi feruore sectatus, initium necessitatis voluntaria deuotione consummans, gloriosam tantis virtutibus vitam inimitabili fine concluſit? Totum ergo in fine consistit, in quo potest quis & optimæ conuersionis initijs dedicatus inferior per negligentiam reperiri, & necessitate attractus ad nomen monachi profitendum, effici per timorem Dei diligentiamq. perfectus.

*Expositio trium abrenuntiationum. Cap. VI.*

NVnc de abrenuntiationibus disserendum est, quas tres esse & patrum traditio, & scripturarum sanctarum demõstrat auctoritas, quasq. vnumquemque nostrum omni studio oportet implere. Prima est, qua corporaliter vniuersas diuitias mundi facultatesq. contemnimus; secunda, qua mores ac vitia affectusq. pristinos animi carnisq. respuimus; tertia, qua mentem nostram de præsentibus vniuersis ac visibilibus euocantes, futura tantummodo contemplamur, & ea, quæ sunt inuisibilia, concupiscimus. Quæ tria vt simul perficiantur, etiam Abrahę legimus Do-
*Gen. 12.* minum præcepisse, cum dixit: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Primum dixit, Exi de terra tua, id est, de facultatibus mundi huius, opibusq. terrenis; secũdo, de cognatione tua, id est, de conuersatione & moribus vitijsq. prioribus, quæ nobis a nostra natiuitate cohærentia velut affinitate quadam & consanguinitate cognata sunt; tertio, de domo patris tui, id est, de omni memoria mundi huius, quæ oculorum occurrit obtutibus. De duobus enim patribus, id est, siue de illo, qui deserendus est, siue de illo, qui expetendus est, ita per Da-
*Psal. 44.* uid ex persona Dei canitur: Audi filia, & vide, & inclina autem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Nam qui dicit: Audi filia, pater vtiq. est & illum



lum cuius domum vel populum obliuiõni tradi debere persuadet, patrem nihilominus suæ filiæ fuisse testatur. Quod ita fit, cum mortificati cum Christo ab elementis huius mundi contemplamur, secundum Apostolum, iam non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. quæ enim vi- *2. Cor. 4.*
dentur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Et exeuntes corde de hac temporali ac visibili domo, in illam in qua sumus iugiter permansuri, nostros oculis mentemq. dirigimus. Quod tunc implebimus, cum in carne ambulantes non secundum carnem militare Domino *1. Cor. 10.*
cœperimus, illam beati Apostoli sententiam opere ac virtute clamantes: Noster autem municipatus in cælis est. *Philip. 3.*
His tribus abrenuntiationibus proprie tres libri Salomonis τὸ πολί-
aptantur. Nam Prouerbia primæ abrenuntiationi conue- τευμα.
niunt, quibus concupiscentiæ carnalium rerum, ac terrena vitia resecantur. Secundæ abrenuntiationi Ecclesiastes, *Eccl. 1.*
vbi vniuersa, quæ aguntur sub sole, vanitas pronuntiantur. Tertiæ canticum canticorum, in quo mens visibilia cuncta transcendens verbo, iam Dei cęlestium rerum contemplatione coniungitur.

*Quemadmodum singularum renuntiationum sit apprehendenda perfectio. Cap. VII.*

QVapropter non multum proderit, primam nos abrenuntiationem consummata deuotione fidei suscepisse, si secundam non eodem studio, atque eodem impleuerimus ardore. Et ita cum etiam hanc fuerimus indepti, ad illam quoque tertiam peruenire poterimus, qua de domo prioris nostri parentis egressi, (quem ab exordio natiuitatis nostræ secundum veterem hominem ac pristinam conuersationem, quando eramus natura filij iræ, sicut & *Ephes. 2.*
ceteri patrem nobis fuisse meminimus,) omnem mentis intuitu ad cælestia deflectemus. De quo etiã patre ad Hierusalem, quæ verum patrem Deum contempserat, dicitur: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chettæa. Et in Euãge- *Ezech. 16*
lio: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vul- *Ioan 8.*
tis facere. Quem cum dimiserimus de visibilibus ad inui- *2. Cor. 5.*
sibilia transmigrantes, cũ Apostolo dicere poterimus: Scimus autem, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd habitationem habemus ex Deo, domum non manufactam, ęternam in cælis. Et illud quod Paulo ante commemorauimus: Noster autẽ municipatus *Philip. 3.*
in

in cælis est: vnde & saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ
*Psal.118.* conforme corpori claritatis suæ. Et illud beati Dauid: Quia incola ego sum in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei; vt secundum Domini vocem, tales efficiamur, quales illi de quibus hæc Dominus ad patrem in Euangelio loque-
*Ioan. 17.* batur: De mundo hoc nõ sunt, sicut & ego non sum de hoc
*Ioan. 15.* mundo. Et rursum ad ipsos Apostolos: Si de hoc mundo essetis, mundus quod suum est vtique diligeret; sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de hoc mundo, propterea odit vos mundus. Huius ergo renuntiationis tertiæ veram perfectionem tunc merebimur obtinere, quando mens nostra nullo carneæ pinguedinis hebetata contagio, sed peritissimis elimationibus expolita, ab omni affectu &
*al. diuina rum scripturarũ.* qualitate terrena per indesinentem † diuinorum meditationem, spiritalesq. theorias, ad illa quæ inuisibilia sunt eo vsque transierit, vt circumdatam se fragilitate carnis ac situ corporis, supernis & incorporeis intenta non sentiat, atque in huiusmodi rapiatur excessus, vt non solum nullas voces auditu corporali recipiat, nec intuendis prætereuntium imaginibus occupetur, sed ne adiacentes quidem moles, & ingentes materias obiectas oculis carnis aspiciat. Cuius rei fidem atque virtutem nemo capiet, nisi qui hæc, quæ dicuntur, experientia magistrante perceperit; cuius videlicet ita Dominus oculos cordis de vniuersis præsentibus auocarit, vt ea non tamquam transitura; sed quasi transacta iam reputet, & velut inanem fumum in nihilum resoluta conspiciat, ambulansq. vt Enoch cum Deo, ac de humana conuersatione moribusq. translatus, non inueniatur in præsentis sæculi vanitate. Quod in illo etiam corporaliter fa-
*Gen.5.* ctum, lectio Geneseos ita cõmemorat: Ambulauitq. Enoch cum Deo, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus.
*Hebr 11.* Apostolus quoque ait: Fide Enoch translatus est, vt non videret mortem. De qua morte Dominus in Euangelio: Qui
*Ioan. 11.* viuit, inquit, & credit in me, non morietur in æternum. Quapropter festinare debemus, si perfectionem veram desideramus attingere, vt quemadmodum corpore parentes, patriam, diuitias mundi, voluptatesq. despeximus, ita etiã corde hæc omnia relinquentes, nulla rursus ad ea quæ dimisimus concupiscentia reuertamur, ne (sicut illi qui educti per Mosen, cum vtique corpore non redijssent, corde tamen



tamen reuersi in Aegyptum dicuntur, relicto scilicet Deo, qui eos eduxerat cum tanta virtute signorum, idola Aegypti quæ contempserant venerantes, sicut scriptura commemorat: Et reuersi sunt cordibus suis in Aegyptum, dicentes *Exod. 32.*
ad Aaron: Fac nobis deos qui præcedant nos.) cum illis etiam pariter condemnemur, qui in eremo commorantes, post escam mannæ cælestis desiderauerunt vitiorum fœtidos, ac sordidæ vilitatis cibos; nosq. cum eis similiter murmurare videamur: Bene nobis erat in Aegypto, vbi sedeba- *Exod. 16.*
mus super ollas carnium, & comedebamus cepe & allia, & *Num. 11.*
cucumeres & pepones. Quæ figura licet in illo præcesserit populo, tamen nunc quoque eam quotidie in nostro ordine ac professione videmus impleri. Omnis enim quicũque post renuntiationem mundi huius ad antiqua reuertitur studia, & ad pristina desideria reuocatur, hæc eadem cum illis opere ac mente proclamat, dicens: Bene mihi erat in Aegypto. Quorum vereor ne tanta inueniẽda sit multitudo, quantas tunc sub Mose præuaricantium turbas legimus extitisse. Nam cum sexcenta fere milia armatorum de Aegypto di- *Exod. 12.*
numerentur egressa, ex his non sunt amplius quàm duo tãtum terram repromissionis ingressi. Vnde festinandum est *Num. 14.*
nobis, vt a paucis ac rarissimis sumamus exempla virtutũ, quia secundum illam, quam diximus figuram, in Euangelio *Matt. 22.*
quoque multi vocati, pauci autem dicuntur electi. Nihil ergo nobis proderit abrenuntiatio corporalis, & localis quodammodo transmigratio ex Aegypto, si renuntiationẽ cordis quæ sublimior & vtilior est, non valuerimus similiter obtinere. De illa enim abrenuntiatione corporali, quam diximus, ita pronuntiauit Apostolus: Si distribuero omnes *1.Cor.13.*
facultates meas in cibos, pauperum, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quod beatus Apostolus numquam dixisset, nisi quia futurum spiritu præuidebat, vt aliqui facultatibus vniuersis in pauperum alimenta dispersis, ad perfectionem euangelicam, & charitatis arduum culmen peruenire non possent; quia scilicet pristina vitia morumq. incontinentiam, vel superbia, vel impatientia dominante in suis cordibus retinentes, nequaquam se ab illis expurgare curarent, & ob id ad charitatem Dei, quæ numquam cadit, minime peruenirent, qui vtique inferiores effecti hoc secundo renuntiationis gradu, multo minus illum tertium

Universidad de Deusto
Biblioteca



qui proculdubio est sublimior, apprehendent. Diligentius, tamen etiam hoc mente perpendite, quòd non simpliciter dixerit: Si distribuero facultates meas; videretur enim de illo forte dixisse, qui necdum euangelicum implens mandatum, adhuc sibi ex eis, sicut nonnulli tepidorum faciunt, aliquid reseruasset; sed: Si distribuero, inquit, omnes facultates *Ibid.* meas in cibos pauperum, id est, etiam si perfecte abrenuntiauero diuitijs istis terrenis. Huic quoque renuntiationi aliud maius adiunxit: Et si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem vero non habuero, nihil sum. Ac si alijs verbis dixisset: *Ibid.* Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, secundum euangelicum illud mandatum, *Matth.19* quo dicitur: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me; ita scilicet abrenuntians, vt ex his nihil penitus mihi reseruē, & huic erogationi martyrium exustione meæ carnis adiunxero, ita vt corpus meum tradam pro Christo, & tamen vel impatiens, vel iracundus, vel inuidus, vel superbus sim, vel aliorum inflammer iniurijs, vel quæram quæ mea sunt, vel ea quę mala sunt cogitē, vel vniuersa quæ mihi possunt inferri, non patienter libenterq. sustineam, nihil mihi proderit exterioris hominis abrenuntiatio atque combustio, interiore adhuc vitijs pristinis inuoluto, eo quòd simplicem substantiam mundi huius primæ conuersionis feruore contemnens, quæ nec bona esse nec mala, sed media definitur, vitiosi cordis noxias facultates similiter abijcere non curarim, nec attingere Dominicam charitatē, *1.Cor.13.* quæ patiens, quæ benigna est, quæ non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum; quæ omnia suffert, omnia sustinet; postremo quæ sectatorem suum numquam cadere sinit supplantatione peccati.

### *De proprijs diuitijs in quibus consistit animæ pulchritudo vel fœditas.* Cap. VIII.

FEstinare igitur omni debemus instātia, vt interior quoque noster homo vitiorum suorum diuitias, quas in anteriore conuersatione contraxit, vniuersas abijciat atque dispergat, quæ corpori atque animę iugiter cohærentes proprię nostrę sunt, ac nisi adhuc in hoc corpore constitutis nobis abiectæ fuerint & abscisæ, etiam post excessum nos



nos non desinent comitari. Vt enim virtutes vel ipsa charitas quæ earum fons est, in hoc sæculo † conquisitæ, post finem quoque huius vitæ pulchrum ac splendidum amatorem suum † reddunt, ita vitia obfuscatam quodammodo mentem coloribus tetris ad illam perennem commorationem infectamq. transmittunt. Pulchritudo enim vel fœditas animæ virtutum seu vitiorum gignitur qualitate. Ex quibus quidam attractus color, aut ita eam splendidā reddet ac pulchram, vt a Propheta mereatur audire: Et concupiscet rex decorem tuum. aut certe atram, fœtidam, atque deformem, ita vt fœtorem propriæ turpitudinis ipsa confiteatur & dicat: Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipietiæ meæ. Et ipse Dominus ad eā: Quare, inquit, non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Et idcirco hæ sunt propriæ nostræ diuitiæ, quæ cum anima iugiter cōmorantur, quas nobis nullus regū, nullus hostium nec conferre poterit, nec auferre. Hæ sunt propriæ diuitiæ nostræ quas ne ipsa quidem mors valebit ab anima separare, quibus vel renuntiantes ad perfectionem possumus peruenire, vel implicati æterna morte percelli.

*al. cōqui-sita.*
*al. reddit.*
*Psal. 44.*
*Psal. 37.*
*Hiere. 8.*

### *De tripartito genere diuitiarum.* Cap. IX.

TRipartito enim modo in scripturis sanctis intelliguntur diuitiæ, id est, malæ, bonæ, mediæ. Et malæ quidem sunt de quibus dicitur: Diuites egerunt & esurierunt. Et: *Psal.39.* Væ vobis diuites, quia recepistis consolationem vestram. *Luc. 6.* Quas etiam diuitias abiecisse summa perfectio est. Ad quarum distinctionem pauperes illi sunt, qui in Euangelio Domini voce laudantur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Matth.5.* Et in Psalmo: Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. *Psal.33.* Et iterum: Pauper & inops laudabunt nomen tuum. *Psal.73.* Sunt etiam bonæ, quas acquisisse magnæ virtutis ac meriti est, quas vir iustus possidens collaudatur, dicente Dauid: Generatio rectorum benedicetur: gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Psal.111.* Et iterum: Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ. *Prou. 13.* De quibus diuitijs spiritalibus in Apocalypsi dicitur illi qui eas non habens vituperabiliter pauper & nudus est: Incipiam te, inquit, euomere ex ore meo, quia dicis, quòd diues sum & locuples, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, *Apoc. 3.*

& cæcus, & nudus. ſuadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ. Sunt quoque mediæ, id eſt, quæ poſſunt vel bonæ eſſe, vel malæ. Ad vtramque enim partem pro arbitrio vel qualitate vtentium transferuntur. de quibus beatus Apoſtolus: Diuitibus, ait, huius mundi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo, qui præſtat nobis abunde omnia ad fruendum, benefacere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Quas iterum dives ille in Euangelio retinens, ac nequaquam indigentibus ſubminiſtrans, de cuius micis ſaturari pauper Lazarus ante fores eius expoſitus cupiebat, intolerandis gehennæ ignibus, & æterno deputatur ardori.

1. Tim. 6.

Luc. 16.

*Non poſſe quemquam primo tantum renuntiationis gradu eſſe perfectum. Cap. X.*

HAs igitur viſibiles mundi diuitias relinquentes, non noſtras ſed alienas abijcimus facultates, quamuis eas gloriemur vel noſtro labore quæſitas, vel parentum ad nos hereditate tranſmiſſas. Nihil enim, vt dixi, noſtrum eſt, niſi hoc tantum quod corde poſſeſſum, atque animę noſtræ cohærens, a nemine poteſt prorſus auferri. De illis autem viſibilibus diuitijs ad eos, qui illas tamquam proprias retentantes communicare indigentibus nolunt, increpans loquitur Chriſtus: Si in alienis fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis? Euidenter igitur has diuitias alienas eſſe, non ſolum quotidiana experientia docet, verumetiam ſententia Domini ipſa appellatione ſignauit. De viſibilibus vero peſſimis, diuitijs loquitur Petrus ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis? Qui vtique nihil amplius quàm viliſſima cõſciſſaq. retia dimiſiſſe noſcũtur. Quę omnia niſi in hac abrenũtiatione vitiorũ, quę vere magna & ſumma eſt, fuerint intellecta, nec pretioſum aliquid inueniemus Apoſtolos reliquiſſe, ac poſt Dominũ abijſſe, propter quod illis tantã beatitudinis gloriã largiretur, vt ab eodẽ mererẽtur audire: In regeneratione cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuę, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſrael.

Ibid.

Matt. 19.

Ibid.



Iſrael. Si igitur hi qui perfecte terrenas iſtas viſibilesq. abdicant facultates, certis ex cauſis ad illam apoſtolicam charitatem peruenire non poſſunt, nec illum ſublimiorem paucorumq. admodum renuntiationis tertium gradum expedito queunt vigore conſcendere, quid illi de ſemetipſis iudicare debebunt, qui nec primam quidem, quæ facilis eſt, perfecte arripientes, atque antiquas pecuniarum ſuarum ſordes cum infidelitate priſtina retentantes, nudo tantum ſibimet autumant monachorum vocabulo gloriandum? Ergo prima, quam diximus, abrenuntiatio rerum alienarum eſt, ideoq. per ſe ſolam, perfectionem renuntianti conferre non ſufficit, niſi peruenerit ad ſecundam, quæ vere abrenuntiatio rerum noſtrarum eſt, quam adepti expulſione omnium vitiorum, tertiæ quoque abrenuntiationis faſtigia conſcendemus; per quam non ſolum omnia, quæ in hoc mundo geruntur, vel particulatim ab hominibus poſſidentur, verumetiam ipſam cunctorum elementorum plenitudinem, quæ putatur eſſe magnifica, tamquam vanitati ſubiectam, & mox tranſituram tranſcendentes, animo ac mente deſpicimus, intuentes dumtaxat, ſecundum Apoſtolum, non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna: vt ita demum illud ſupremum mereamur audire, quod ad Abraham dicitur: Et veni in terram quam tibi monſtrauero. Per quod euidenter oſtenditur, quòd niſi quis tres ſuperiores illas abrenuntiationes omni mentis ardore compleuerit, ad quartum hoc peruenire non poſſit, quod remunerationis ac præmij vice taliter renuntianti tribuitur, id eſt, vt terram repromiſſionis mereatur intrare, nequaquam ſibi iam vitiorum ſpinas ac tribulos germinantem, quæ poſt expulſionem paſſionum cunctarum puritate cordis in hoc corpore poſſidetur, quam non virtus vel induſtria laborantis, ſed ipſe Dominus oſtenſurum ſe eſſe promittit: Et veni, inquiens, in terram quam tibi monſtrauero. Per quod manifeſte probatur & initium noſtræ ſalutis Domini fieri vocatione dicentis: Exi de terra tua; & conſummationem perfectionis ac puritatis ab eodem ſimiliter tribui, cum dicit: Et veni in terram, quam tibi monſtrauero, id eſt, nõ quam tu ex temetipſo noſſe, vel induſtria tua valeas reperire, ſed quam ego tibi non ſolum ignoranti, ſed etiam non inquirenti monſtrauero. Ex quo

Rom. 8.

2. Cor. 4.

Gen. 12.

Gen. 3.

Gen. 12.

Ibid.

Ibid.

manifeste colligitur, quòd quemadmodum inspiratione Domini prouocati, ad viam salutis accurrimus, ita etiam magisterio ipsius & illuminatione deducti, ad perfectionem summæ beatitudinis peruenimus.

*Interrogatio de libero arbitrio hominis & gratia Dei.*

GERMANVS. *Cap. XI.*

IN quo ergo liberum consistit arbitrium, nostræq. quòd laudabiles sumus, reputatur industriæ, si Deus in nobis omnia, quæ ad nostram perfectionem † tendunt, & incipit & consummat?

*al. pertinent.*

*Responsio de dispensatione diuinæ gratiæ manente arbitrij libertate. Cap. XII.*

PAPHNVTIVS.

HOc vos recte mouisset, si in omni opere vel disciplina principium tantum esset ac finis, & non etiam quædam medietas interesset. Itaq. sicut occasiones salutis diuersis modis Deum cognoscimus operari, ita nostrum est occasionibus a Diuinitate cõcessis, vel enixius vel remissius famulari. Nam sicut Dei fuit vocãtis oblatio: Exi de terra tua; ita Abrahæ exeuntis fuit obedientia. & quemadmodum illud quod dicitur: Et veni in terram, vt fiat obtemperantis est opus, ita illud quod additur: Quam tibi monstrauero, iubẽtis Dei vel promittentis est gratia. Certos tamen esse nos cõuenit, quòd omnem virtutem indefessis conatibus exercentes, nequaquam diligentia vel studio nostro perfectionem possimus attingere; nec sufficiat humana sedulitas laborum merito ad tam sublimia beatitudinis præmia peruenire, nisi ea Domino nobis cooperante, & cor nostrum ad id quod expedit dirigẽte fuerimus indepti; ideoq. debemus cũ Dauid orantes momentis singulis dicere: Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. &: Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos: vt nostrum arbitrium quod procliuius vel ignoratione boni, vel oblectatione passionum fertur ad vitia, ille inuisibilis rector mentis humanæ, ad virtutum potius studia retorquere dignetur. Quod vno versiculo per Prophetam manifestissime legimus decantari: Impulsus versatus sum vt caderem; in quo liberi arbitrij infirmitas designatur: Et Dominus suscepit me; rursum adiutorium Domini iunctum eidem semper ostenditur, quo ne penitus libero collabamur arbitrio, cum titubasse nos viderit, porrectione quodammodo manuum suarum

*Gen 12.*
*Ibid.*
*Ibid.*
*Psal. 16.*
*Psal. 39.*
*Psal. 117.*
*Ibid.*



rum sustentat atque confirmat. Et iterum: Si dicebam, motus est pes meus, lubrica scilicet arbitrij facultate, Misericordia tua Domine adiuuabat me; iterũ mobilitati suæ Dei coniungit auxilium, quo, ne moueretur pes fidei suæ non industrię propriæ fuisse, sed misericordię Domini confitetur. Et iterum: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, qui libero vtique mihi nascebantur arbitrio, Consolationes tuæ lætificauerunt animam meam; per tuam scilicet inspirationem venientes in cor meum, & reserãtes contemplationem futurorum bonorum, quæ pro tuo nomine laborantibus præparasti, non solum abstulerunt omnem anxietatem cordis mei, verumetiam summã lætitiam contulerunt. Et rursum: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitauerat in inferno anima mea; liberi vtiq. arbitrij prauitate se in inferno habitaturum fuisse testatur, nisi Domini fuisset adiutorio ac protectione saluatus. A Domino enim, non a libero arbitrio, gressus hominis diriguntur. Et cum ceciderit iustus, libero duntaxat arbitrio, non collidetur. Quare? Quia Dominus supponit manum suam. Hoc est apertissime dicere: Nullus iustorũ sibi sufficit ad obtinendam iustitiam, nisi per momenta singula titubanti eidem & corruenti fulmenta manus suæ supposuerit diuina clementia, ne prostratus intereat penitus, cum fuerit liberi arbitrij infirmitate collapsus.

*Psal. 93.*
*Ibid.*
*Ibid.*
*Psal. 36.*
*Ibid.*

*Quod directio via nostræ ex Deo sit. Cap. XIII.*

NEc sane vmquam viri sancti directionem viæ, qua gradiebantur, ad profectum virtutum consummationemq. tendentes, industria se propria obtinuisse testati sunt; sed eam potius a Domino precabantur, dicentes: Dirige me in veritate tua. &: Dirige in conspectu tuo viam meam. Alius autem non solum fide, sed etiam experimento, & quodammodo ipsa rerum natura, hoc ipsum se deprehendisse proclamat: Cognoui Domine quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. Et ipse Dominus ad Israelẽ: Et dirigam eum ego, inquit, vt abietem virentem; ex me fructus tuus inuẽtus est.

*Psal 24.*
*Psal. 5.*
*Hier. 10.*
*Osee. 14.*

*Quod scientia legis magisterio & illuminatione Domini conferatur. Cap. XIV.*

LEgis quoque ipsius scientiam non lectionis industria, sed magisterio & illuminatione Dei quotidie desiderant

rant adipiſci dicentes ad eum : Vias tuas Domine demon- *Pſal. 24.*
ſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. &: Reuela oculos *Pſal.118.*
meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. &: Doce me *Pſal.142.*
facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Et iterum :
Qui doces hominem ſcientiam. *Pſal. 93.*

*Quod intellectus, quo mandata Dei poſſimus agnoſcere, & bonæ voluntatis effectus a Domino condonetur. Cap. XV.*

IPſum etiam intellectum beatus Dauid, quo mandata Dei poſſit agnoſcere, quæ vtique in libro legis nouerat eſſe perſcripta, a Domino poſtulat promereri, dicens : Seruus tuus ego ſum, da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua. Vtique & intellectum ſemel ſibi per naturam præſtitum poſſidebat, notitiam quoque mãdatorum Dei, quę deſcripta tenebantur in lege, vtique habebat in promptu, & tamen vt hanc plenius apprehendat Dominum deprecatur, ſciens nequaquam ſibimet ſufficere poſſe id quod per naturam conditionis inſertum eſt, niſi quotidiana Domini illuminatione ad intelligendam ſpiritaliter legem ac mandata eius apertius agnoſcenda, ſenſus ipſius ab eodem fuerit illuſtratus, ipſo etiam vaſe electionis, hoc quod dicimus, clarius prædicante : Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Quid potuit apertius dici, quàm vt & bonam voluntatem noſtram, & operis conſummationem a Domino in nobis pronuntiaret impleri ? Et iterum : Quia vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolũ vt in eum credatis, ſed vt etiã pro illo patiamini. Hic quoque & initium conuerſionis ac fidei noſtrę, & paſſionum tolerantiam donari nobis a Domino declarauit. Quod intelligens Dauid quoque ſimiliter orat ſibi hoc ipſum Domini miſeratione concedi, dicens : Confirma Deus hoc quod operatus es in nobis ; oſtendens non ſufficere ſibi ſalutis principia dono Dei gratiaq. collata, niſi fuerint eadem miſeratione ipſius & quotidiana opitulatione perfecta. Non enim liberum arbitrium, ſed Dominus ſoluit compeditos. Non noſtra virtus, ſed Dominus erigit eliſos. Non lectionis induſtria, ſed Dominus illuminat cæcos : quod Græce dicitur ; κύριος σοφοῖ τυφλούς, id eſt Dominus ſapientes facit cęcos. Non noſtra cautio, ſed Dominus cuſtodit aduenas. Non noſtra fortitudo, ſed Dominus alleuat ſiue ſuffulcit omnes, qui corruunt. Hæc autem dicimus, non vt ſtudium noſtrum vel laborem atque induſtriam

*Philip. 2.* *Philip. 1.* *Pſal. 67.* *Pſal.144.* *Ibid.* *Pſal.144.*



ſtriam quaſi inaniter & ſuperfluo impendenda vacuemus, ſed vt nouerimus nos ſine auxilio Dei nec adniti poſſe, nec efficaces noſtros eſſe conatus ad capeſſendũ tam immane præmiũ puritatis, niſi nobis adiutorio Dei ac miſericordia fuerit contributum. Equus enim paratur in diem belli, a Domino autem eſt adiutorium : quia non eſt in fortitudine potens vir. Oportet igitur nos ſemper cum beato Dauid canere : Fortitudo mea, & laudatio mea ; non liberum arbitrium, ſed Dominus : & factus eſt mihi in ſalutem. Quod doctor quoque gentium non ignorans, idoneum ſe factum miniſterio noui teſtamenti non ſuo merito nec ſudore, ſed Dei miſeratione, proclamat : Non quòd ſimus, inquit, idonei cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. quòd minus Latine, ſed expreſſius dici poteſt : Idoneitas nſa ex Deo eſt. Denique ſequitur : Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti.

*Prou. 21.* *1. Reg. 2.* *ſec. lxx.* *Pſal.117.* *Ibid.* *2. Cor. 3.* *Ibid.*

*Quod ipſa fides a Domino concedatur. Cap. XVI.*

IN tantum autem vniuerſa, quæ ad ſalutem pertinent, Apoſtoli ſibimet a Domino largita ſenſerunt, vt ipſam quoque fidem præſtari ſibi a Domino poſtularent, dicentes : Domine, auge nobis fidem. plenitudinem eius non libero arbitrio præſumentes, ſed Dei ſibi credentes munere conferendam. Denique docet nos idem auctor ſalutis humanę, quàm ipſa fides noſtra lubrica ſit & infirma, & nequaquam ſibi ſufficiens, niſi fuerit auxilio Domini roborata, dicens ad Petrum : Simon Simon, ecce ſatanas expetiuit vos vt cribraret tamquam triticum ; ſed ego rogaui patrem meum, vt non deficiat fides tua. Quod alius in ſemetipſo ſentiẽs fieri, & quodammodo fidem ſuam infidelitatis fluctibus ad pernicioſi naufragij videns ſcopulos perurgeri, ad eundẽ Dominum auxilium fidei ſuę poſtulans : dicit : Domine adiuua infidelitatem meam. In tantum itaque ſenſerunt euangelici & apoſtolici viri, vniuerſa quæ bona ſunt, auxilio Domini conſummari, & ne ipſam quidẽ fidẽ ſuam † confiſi ſunt illæſam ſe poſſe ſuis viribus vel arbitrij libertate ſeruare, vt hanc vel adiuuari in ſe, vel donari ſibi a Domino poſtularent. Quæ ſi in Petro ne deficeret Domini egebat auxilio, quis erit tam præſumptor & cæcus, qui ſe † erga huius cuſtodiam quotidiano Domini credat adiutorio non egere ? præſertim cum ipſe Dominus in Euangelio hoc ipſum euidenter expreſſerit, dicens : Sicut palmes non poteſt fructũ facere

*Marc. 9.* *al. confeſſi* *al. ab*

*Luc. 17.* *Luc. 22.* *Ioan. 15.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



facere a semetipso nisi in vitę manserit; ita & vos nisi in me
*Ibid.* manseritis. Et iterum: Quia sine me nihil potestis facere.
Quam sit igitur ineptum ac sacrilegum quidquam de bonis actibus nostræ industriæ & non Dei gratiæ vel adiutorio deputare, manifeste probatur Dominica protestante sentẽtia sine sua cooperatione vel inspiratione spiritales
*Iacob. 1.* fructus exhibere neminem posse. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens
*Zach. 9. sec. lxx.* a patre luminum. Zacharias quoque: Quia si quid bonum,
ipsius est; & si quid optimum, ab ipso. Et ideo constanter
*1. Cor. 4.* beatus Apostolus: Quid, inquit, habes quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

*Quod moderatio, & tolerantia tentationum nobis a Domino tribuantur. Cap. XVII.*

SVmmam quoque tolerantiæ, qua tentationes illatas sustinere possimus, non tam in nostra virtute, quàm in Dei misericordia & moderatione consistere, beatus Apo-
*1.Cor.10.* stolus ita pronuntiat: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. fidelis autem Deus qui non permittet vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam
**ἔκβασιν* *exitum, vt sustinere possitis. Deum quoque aptare siue confirmare animos nostros ad omne opus bonum, & ope-
*Hebr. 13.* rati in nobis ea, quæ sibi sunt placita, idem Apostolus do-
** ἐκνε-κρῶν* cet: Deus autem pacis qui eduxit de *tenebris pastorem magnum ouium in sanguine testamẽti æterni Iesum Chri-
*2.Thess. 2* stum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placet coram se. Quod etiam Thessalonicensibus vt eueniat ita precatur, dicens: Ipse autem Dominus Iesus Christus, & Deus pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

*Quod perpetuitas timoris Dei nobis a Domino conferatur. Cap. XVIII.*

IPsum denique timorem Dei, quo firmiter eum tenere possimus a Domino nobis infundi, Hieremias propheta
*Hier. 32.* ex persona Dei manifeste testatur, ita dicens: Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, & bene sit eis & filijs eorum post eos, & feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere; & timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedent a me. Ezechiel quo-



quoque: Et dabo eis cor nouum, & spiritum nouum tribuã in visceribus eorum. & auferam cor lapideum de carne eo-
*Ezech. 11. & 36.* rum, & dabo eis cor carneũ; vt in præceptis meis ambulẽt, & iudicia mea custodiant, faciantq. ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.

*Quod initium voluntatis bonæ & consummatio eius a Domino sit. Cap. XIX.*

QVibus manifestissime perdocemur & initium voluntatis bonæ nobis Domino inspirante cõcedi, cum aut per se, aut per exhortationẽ cuiuslibet hominis, aut per necessitatem nos ad salutis attrahit viam, & perfectionem virtutum ab eodem similiter condonari; nostrum vero hoc esse, vt adhortationem auxiliumq. Dei vel remissius vel enixius exequamur, & pro hoc nos vel remunerationẽ vel supplicia dignissime promereri, quòd eius dispensationi ac prouidentiæ erga nos benignissima dignatione collatæ, vel negligimus vel studuimus nostræ obedientiæ deuotionem cõgruere. Quod euidenter in Deuteronomio aperteq. describitur: Cum, inquit, introduxerit te Dominus Deus tuus in ter-
*Deut. 7. al. ingrederis.* ram, quam possessurus † ingredieris, & deleuerit gẽtes multas coram te, Ethęum, & Gergesæum & Amorrhæum, Chananæum & Pherezæum, Euæum & Iebusæum, septem gentes multo maioris numeri & robustiores te, tradideritq. Dominus Deus tuus eas tibi, percuties eas vsque ad internecionem: non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis cõiugia. Quòd igitur introducuntur in terram repromissionis, quòd delentur gentes multæ coram eis, quòd traduntur in manus eorũ nationes maioris numeri, & robustiores quàm populus Israel, Dei esse gratiam scriptura pronuntiat. Vtrũ autem percutiat eas Israel vsque ad internecionem, an eas reseruet & parcat, & vtrum ineat cum eis fœdus, & vtrum societ cum eis coniugia, an non societ, ipsorũ esse testatur. Quo testimonio manifeste discernitur, quid libero arbitrio, quidve dispensationi vel quotidiano adiutorio Domini debeamus adscribere, & quòd diuinæ sit gratiæ præstare nobis occasiones salutis, & prouentus secundos, atque victoriam; nostrum vero, vt concessa Dei beneficia vel intentius vel segnius exequamur. Quam rationem etiam in illorum cæcorum curatione satis euidenter videmus expressam. Quòd enim transijt ante eos Iesus, diuinæ prouidentiæ & dignationis

Universidad de Deusto
Biblioteca



Matt. 20. tionis est gratia. Quòd vociferantur & dicunt: Miserere nostri Domine fili Dauid, fidei ipsorum & credulitatis est opus. Quòd visum recipiunt oculorum, diuinæ miserationis est munus. Quòd autem etiam post perceptionem cuiuslibet muneris tam gratia Dei quàm ratio liberi arbitrij perseueret, leprosorum quoque decem, qui pariter curati Luc. 17. sunt, declarat exemplum. Ex quibus dum vnus per arbitrij sui bonum, gratiarum restituit actionem, Dominus nouem requirens, vnumque collaudans, solicitudinem adiutorij sui etiam circa immemores beneficiorum suorum iugem retinere se monstrat. Hoc ipsum enim visitationis suæ donum est, quòd vel suscipit & approbat gratum, vel requirit ac reprehendit ingratos.

*Quod nihil in hoc mundo sine Deo geratur. Cap. XX.*

CRedere tamen inconcussa fide nos conuenit, nihil sine Deo prorsus in hoc mundo geri. Aut enim voluntate eius aut permissu agi vniuersa fatendum est, vt scilicet hæc quæ bona sunt, voluntate Dei perfici auxilioq. credantur: quæ autem contraria sunt, permissu eius, cum pro nequitijs ac duritia cordis nostri nos deserens diuina protectio, diabolum nobis, vel ignominiosas corporis passiones patitur Rom. 1. dominari. Quod etiam Apostoli vocibus euidentissime per- Ibid. docemur, dicentis: Propter quod tradidit illos Deus in pas- al. decre- siones ignominiæ. Et iterum: Quia non † crediderunt Deũ uerunt. habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, Psal. 80. vt faciant ea quæ non conueniunt. Ipse quoque Dominus Ibid. per Prophetam ait: Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Propter quod: Dimisi eos, inquit, secundum adinuentiones cordium eorum, ambulabunt in adinuentionibus suis.

*Obiectio super liberi arbitrij potestate.*

GERMANVS *Cap. XXI.*

HOc testimonium apertissime liberum demonstrat ar- Ibid. bitrium, quo dicitur: Si populus meus audisset me. & Ibid. alibi: Et non audiuit populus meus vocem meam. Cum enim dicit: Si audisset, ostendit in potestate illius fuisse vel acquiescendi, vel non acquiescendi iudicium. Quomodo igitur non in nobis nostra salus est collocanda, cum ipse nobis vel audiendi, vel non audiendi concesserit facultatem?

*Respon-*



*Responsio quod liberum arbitrium nostrum adiutorio Domini semper indigeat.*

PAPHNVTIVS *Cap. XXII.*

ACute quidem considerastis hoc, quod dicitur: Si audis- Ibid. set me; sed nequaquam quis sit, qui ad audientem vel non audientem loquatur attenditis; nec illud quod sequitur: Pro nihilo vtiq. inimicos eorum humiliassem, & super Ibid. tribulantes eos misissem manum meam. Nemo igitur hæc, quæ protulimus, vt nihil geri sine Domino probaremus, praua interpretatione detorquens ad defensionem liberi arbitrij ita conetur assumere, vt ab homine gratiam Dei prouisionemq. quotidianam tentet auferre per hoc quod dicitur: Et non audiuit populus meus vocem meam. & iterum: Ibid. Si populus meus audisset me, Israel si in vijs meis ambulasset, &c. sed respiciat quod sicut liberi arbitrij facultas populi inobedientia comprobatur, ita quotidiana circa eum prouisio Dei clamantis quodammodo & monentis ostenditur. Cum enim dicit: Si populus meus audisset me, priorē vtiq. se locutum eis euidenter ostendit: quod fieri a Domino non solum per legem perscriptam litteris, verumetiam quotidianis monitis solet, secundum illud quod per Esaiam dicitur: Tota die expandi manus meas ad populum non cre- Ro. 10. ex dentem mihi, & contradicentem. Vtrumq. ergo potest hoc Esai. 65. testimonio comprobari quod dicitur: Si populus meus au- sec. lxx. disset me, Israel si in vijs meis ambulasset, pro nihilo vtiq. Psal. 80. inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Nam sicut liberum arbitrium per inobedientiam populi demonstratur, ita dispensatio Dei & auxilium eius versiculi ipsius initio declaratur ac fine, cum se & priorem locutum fuisse commemorat, & postea inimicos eius humiliaturum, si ab eodem fuisset auditus. Nos enim per hæc, quæ protulimus, non liberum arbitrium hominis volumus submouere, sed huic adiutorium & gratiam Dei per singulos dies ac momenta necessariam comprobare. His sermonibus eruditos abbas Paphnutius e sua cella non tam alacres quàm compunctos corde ante medium noctis emisit, hoc nobis præcipuum, suæ collationis conferens munere, vt cum per abrenuntiationem primam, quam tota virtute studebamus implere, attingenda nobis perfectionis culmina crederemus, inciperemus agnoscere necdum nos cœpisse monachorum fastigia somniare: quippe

qui

Universidad de Deusto
Biblioteca



qui de secunda abrenuntiatione parum quid in cœnobijs eruditi, tertiam in qua omnis perfectio continetur, quæque illas inferiores duas multis modis excedit, ne auditu quidem nos antea percepisse nosſemus.

*TERTIÆ COLLATIONIS abbatis Paphnutij de tribus abrenuntiationibus finis.*

# COLLATIO QVARTA, QVÆ EST ABBATIS DANIELIS, DE CONCVPISCENTIA CARNIS ET SPIRITVS.

### *De vita Abbatis Danielis. Cap. I.*

INTER ceteros Christianæ philosophiæ viros, abbatem quoque vidimus Danielē, æqualem quidem in omni virtutum genere his qui in eremo Scithi commanebant, sed peculiarius gratia humilitatis ornatum, qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ, a beato Paphnutio solitudinis eiusdem presbytero, & quidem cum multis iunior esset ætate, ad diaconij est prælatus officium. Intantum enim beatus Paphnutius ipsius virtutibus adgaudebat, vt quem vitæ meritis & gratia parem nouerat, coæquare sibi etiam sacerdotij ordine festinaret. siquidem nequaquam ferens in inferiore eum ministerio diutius immorari, optansq. sibimet successorem digniſſimum prouidere, superstes eum presbyterij honore prouexit. Qui tamen prioris humilitatis consuetudinem non omittens, nihil vmquam sibi illo præsente de sublimioris ordinis adiectione donauit, sed semper abbate Paphnutio spiritales hostias offerente, hic velut diaconus in



in prioris ministerij permansit officio. In quo tamē beatum Paphnutium, cum talis vir esset ac tantus, vt in multis etiā præscientiæ gratiam possideret, hæc spes substitutionis electioq. frustrata est. Nam non multo post hunc, quem sibi parauerat successorem, præmisit ad Deum.

### *Inquisitio vnde oriatur repentina commutatio mentium ab ineffabili lætitia in mœstissimam animi deiectionem. Cap. II.*

HIc igitur beatus Daniel inquirentibus nobis, cur interdum residentes in cellula tanta alacritate cordis, cum ineffabili quodam gaudio & exuberantia sacratissimorum sensuum repleremur, vt eam nō dicam sermo subsequi, sed nec ipse quidē sensus occurreret; oratio quoq; pinguis emitteretur ac prompta, & mens plena spiritalibus fructibus preces suas efficaces ac leues etiam per soporem supplicans ad Deum peruenire sentiret: ac rursum nullis existentibus causis tanto subito repleremur angore, & irrationabili quadam tristitia premeremur, vt non solum nosmetipsos huiusmodi sensibus arescere sentiremus, verumetiam horreret cella, sorderet lectio, ipsa quoque instabilis ac nutabunda, & quodāmodo ebria emitteretur oratio, ita vt ingemiscentibus & conantibus nobis, ad directionem pristinam mens nostra reuocari nō posset; quantoq. intentius ad Dei reduceretur intuitum, tanto vehementius ad discursus instabiles lubrico raperetur excessu, & ita omni spiritali fructu redderetur effœta, vt nec desiderio regni cælorū, nec metu gehennę proposito, ab hoc letali somno excitari valeret; ita respondit.

### *Responsio super proposita quæstione. Cap. III.*

TRipartita a maioribus ratio nobis super hac, quam dicitis, sterilitate mentis est tradita. Aut enim de negligentia nostra, aut de impugnatione diaboli, aut de dispensatione Domini ac probatione descendit. Et de negligentia quidem, cum vitio nostro tepore præcedente indifferenter nosmetipsos & remissius exhibentes, & per ignauam desidiam noxijs cogitationibus pasti, terram cordis nostri spinas & tribulos facimus germinare. quibus in ea pullulantibus consequenter efficimur steriles, atque ab omni reddimur spiritali fructu & contemplatione † deserti. De impugnatione vero diaboli, cum etiam bonis nonnumquam studijs dediti, callida subtilitate mentem nostram

*Cen. 3.*

*al. ieiuni.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſtram aduerſario penetrante, vel ignorantes ab optimis intentionibus abſtrahimur vel inuiti.

### *Quod diſpenſationis ac probationis Dei duplex cauſa ſit. Cap. IV.*

DIſpenſationis autē ac probationis duplex eſt cauſa. Prima, vt pauliſper a Domino derelicti, & mentis noſtræ infirmitatem humiliter intuentes, ſuper præcedēte puritate cordis, quę nobis illius eſt viſitatione donata, nullatenus extollamur, probātesq. nos ab eo derelictos, gemitibus noſtris & induſtria illū lætitię ac puritatis ſtatū recuperare nō poſſe intelligamus, & præteritam cordis alacritatē non noſtro ſtudio, ſed illius nobis dignatione fuiſſe collatā, & præſentē de ipſius rurſum gratia & illuminatione poſcendā. Secunda vero probationis eſt cauſa, vt perſeuerantia noſtra vel mentis conſtantia & deſiderium comprobetur, & qua intētione cordis vel orationū inſtantia, deſerentem nos viſitationem ſancti Spiritus requiramus manifeſtetur in nobis; ac pariter agnoſcentes quanto labore amiſſum iſtud ſpiritale gaudiū & puritatis lætitia conquiratur, ſolicitius inuentā cuſtodire, ac tenere intentius ſtudeamus. Quodāmodo enim negligentius cuſtodiri ſolet quidquid creditur facile poſſe reparari.

### *Quod ſtudium & induſtria noſtra nihil ſine Dei adiutorio prævaleat. Cap. V.*

PEr quę euidēter probatur, gratiam Dei ac miſericordiā ſemper operari in nobis ea, quæ bona ſunt. Qua deſerēte, nihil valere ſtudium laborantis, & quantālibet † annitētis induſtriā ſine ipſius iterum adiutorio ſtatū priſtinum recuperare non poſſe, illudq. in nobis iugiter adimpleri: Non volētis neque currētis, ſed miſerētis eſt Dei Quæ gratia nōnumquā ecōtrario negligētes ac reſolutos inſpiratione hac, quā dicitis, ſancta, & exuberātia ſpiritaliū cogitationū viſitare nō deſpicit, ſed inſpirat indignos, exſuſcitat dormiētes, & illuminat ignorātię cæcitate poſſeſſos, clemēterq. nos arguit atque caſtigat, infundēs ſe cordibus noſtris, vt vel ſic de inertiæ ſomno cōpunctione ipſius inſtigati ſurgere prouocemur. Deniq. frequēter etiā odoribus vltra omnē ſuauitatē cōpoſitionis humanę, in his ipſis ſubito viſitationibus adimplemur, ita vt mēs hac oblectatione reſoluta in quendā ſpiritus rapiatur exceſſum, ſeq. cōmorari obliuiſcatur in carne.

*al. animi nitentis. Rom. 9.*

*Quod*



### *Quod vtile nobis ſit, interdū a Domino derelinqui. Cap. VI.*

INtantum vero illum, quem dixi, abſceſſum, & vt ita loquar, deſertionem Dei, beatus Dauid vtilem eſſe cognouit, vt nequaquam orare maluerit, ne a Deo penitus in nullo relinqueretur: hoc enim ſciebat, incongruum eſſe vel ſibi vel humanæ naturæ ad quamlibet perfectionem peruenienti; ſed temperari eam potius deprecatus ſit, dicens: Non me derelinquas vſquequaque. Ac ſi diceret alijs verbis: Scio quōd derelinquere ſoleas vtiliter ſanctos tuos, vt probes eos. aliter enim ab aduerſario tentari non poſſunt, niſi a te pauliſper fuerint derelicti: & ideo nō rogo vt numquam me derelinquas, quia non expedit mihi, vt non vel meam infirmitatem ſentiens dicam: Bonum mihi quia humiliaſti me; vel exercitium non habeam præliandi, quod ſine dubio habere non potero, ſi mihi ſemper & indirupte cohæſerit diuina protectio. Suffultum namq. me tua defenſione tentare diabolus non audebit, illud obijciens & exprobrans, vel mihi vel tibi, quod aduerſus athletas tuos ſolet calumnioſa voce proferre. Numquid gratis Iob colit Deum? nonne tu vallaſti eum ac domum eius, vniuerſamq. ſubſtātiam eius per circuitum? ſed magis peto ne me vſque quaque deſeras, quod Græce dicit, ἕως σοῦ pœ id eſt, vſque ad nimietatem. Quantum enim mihi vile eſt ſi me paululum ſubrelinquas, vt deſiderij mei cōſtantia comprobetur, tantum noxium eſt, ſi pro meritis ac delictis meis nimium me deſeri patiaris: quia nulla virtus humana ſi diutius in tentatione, tuo deſeratur auxilio, ſua poterit conſtantia perdurare, & non protinus aduerſarij vel potentia vel factione ſuccumbere, niſi tu ipſe, qui es humanarum virium cōſcius ac luctaminum moderator nō permiſeris tentari nos ſuper id, quod poſſumus, ſed feceris cum tētatione eriam exitum, vt ſuſtinere poſſimus. Tale quid & in Iudicum libro ſuper exterminatione gentium ſpiritaliū, quę aduerſantur Iſraeli, myſtice legimus deſignatum: Hæ ſunt, inquit, gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem, & haberent conſuetudinem cum hoſtibus præliandi. Et iterum poſt pauca: Dimiſitq. eos Dominus, vt in ipſis experiretur Iſraelem, vtrum audirent mandata Domini, quę præceperat patribus eorum per manum Moſis, an non. Quam vtique pugnam non inuidens Deus quieti Iſraelis, nec male eidem conſulens, ſed ſciens eſſe vtiliſſimam, reſeruauit,

*Pſal. 118.*

*Ibid.*

*Iob. 1. ſec. lxx.*

*Ibid.*

*1. Cor. 10.*

*Iudic. 3.*

*Ibid.*

*Ibid.*

vt dum gentium semper istarum impugnatione deprimeretur, numquam se sentiret auxilio Domini non egere, & ob id semper in eius meditatione & inuocatione persistēs, nec inerti otio solueretur, nec bellandi vsum & exercitia virtutis amitteret. Frequenter enim quos non potuerunt aduersa superare, securitas & prosperitas deiecerunt.

*De vtilitate eius pugnæ quam Apostolus ponit in colluctatione carnis & spiritus. Cap. VII.*

Galat. 5. HAnc pugnam vtiliter nostris quoq. membris insertam etiam in Apostolo legimus: Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hęc autem sibi inuicem aduersantur; vt nō quæcumque vultis illa faciatis Habes & hic pugnam inuisceratā quodāmodo corpori nostro, dispensatione Domini procurante. Quidquid enim generaliter & sine aliqua exceptione omnibus inest, quid aliud iudicari potest, nisi ipsi humanæ substantiæ post ruinam primi hominis velut naturaliter attributū; & quod vniuersis cōgenitū concretūq. deprehenditur, quomodo nō credendum sit arbitrio Domini non nocentis, sed consulentis insertum? Causam vero huius belli, id est, carnis & spiritus, hanc esse pronunciat: vt non, inquit, quæcumq. vultis
Ibid. illa faciatis. Ergo id, quod procurauit Dominus, vt a nobis non posset impleri, id est, vt non quæcumque volumus illa faciamus, si impleatur, quid aliud credi potest esse quàm noxium? Et est quodammodo vtiliter hæc pugna nobis dispensatione creatoris inserta, & ad meliorem nos statum prouocans atque compellens, qua sublata proculdubio pax econtrario perniciosa succederet.

*Interrogatio quid sit, quod in capitulo Apostoli post aduersantes sibi concupiscētias carnis & spiritus, tertia adiungatur voluntas. Cap. VIII.*

GERMANVS

LIcet nobis quædā intellectus lineæ iā prælucere videātur, tamē quia necdum possumus Apostoli sentētiā ad liquidū peruidere, volumus hæc nobis apertius explanari. Tres enim res hic indicari vidētur. Prima, carnis aduersus spiritū pugna. Secunda, spiritus aduersus carnē cōcupiscētia. Tertia, volūtas nostra quę velut media collocat, de qua
Ibid. dicitur: Vt nō quæcūque vultis illa faciatis. Super qua re licet, vt dixi, suspiciones quasdam ex his, quæ exposita sunt intelli-



intelligentiæ colligamus, volumus tamen quia se obtulit huius collationis occasio, aliquid nobis lucidius disputari.

*Responsio de intellectu interrogantis.*

DANIEL *Cap. IX.*

DIscernere diuisiones & lineas quæstionum portio intellectus est, & maxima pars intelligentiæ scire quid nescias. Propter quod dicitur: Insipienti interroganti sa- *Prou. 17.*
pientiam, sapientia reputabitur; quia licet is, qui interro- *sec. lxx.*
gat, vim propositæ quæstionis ignoret, tamen quia prudenter inquirit, & intelligit, quòd non intelligat, hoc ipsum illi reputatur ad sapientiam, eo quòd quid nesciret, prudenter agnouerit. Secundum diuisionem itaq. vestram tres hoc loco res ab Apostolo nominari videntur, concupiscentia carnis aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, quarum aduersus se inuicem pugna hanc videtur habere causam atque rationem, vt ea, quæ volumus, inquit, facere nequeamus. Quarta igitur supereſt causa, quam minime vos vidistis, vt illud scilicet quod nolumus, faciamus. Nunc ergo opus est nobis, vt prius duarum concupiscētiarum vim, id est, carnis & spiritus agnoscamus, & ita demum quæ voluntas sit nostra, quæ inter vtramq. posita est, discutere valeamus; deinde quid possit voluntatis nostræ non esse, similiter discernamus.

*Quod vocabulum carnis non in vna significatione ponatur. Cap. X.*

VOcabulum carnis in scripturis sanctis multifarie legimus nominari. Nam nonnumquam significat homi nem integrum, id est, qui ex corpore constat & anima; vt ibi: Et verbum caro factum est. &: Videbit omnis caro sa- *Ioan. 1.*
lutare Dei. Nonnumquā homines peccatores atque carna- *Luc. 3.*
les, vt ibi: Non permanebit spiritus meus in hominibus *Gen. 6.*
istis, eo quòd sint caro. Interdum pro ipsis peccatis ponitur, vt ibi: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. & iterum: *Rom. 8.*
Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Denique se- *1. Cor. 15.*
quitur: Neque corruptio incorruptelam possidebit. Nonnū- *Ibid.*
quam pro cognatione & propinquitate, vt ibi: Ecce nos os *2. Reg. 5.*
tuum & caro tua sumus. & Apostolus: Si quo modo in æmu *Rom. 11.*
lationem inducam carnem meam, & saluos faciam ali quos ex illis. Quærendum ergo nobis est, secundum quam significationem ex his quatuor, carnem hic debeamus accipere. Manifestum nāque est secundum illud, quod positum

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ioan. 1.* est: Et verbum caro factum est. Vel illud: Et videbit omnis
*Luc 3.* ca o salutare Dei; penitus stare non posse, sed nequa secun-
*Gen. 6.* dum illud quod dicitur: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quòd sint caro: quia non sicut ibi abrupte de homine peccatore, ita & hic ponitur caro, cum dicitur: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Neque enim de rebus substantialibus loquitur,
*Galat. 5* sed de actualibus, quæ in vno eodemq. homine vel pariter vel singillatim cum quadam temporis vicissitudine & mutatione luctantur.

### *Quid in hoc loco caro ab Apostolo nominetur, & quid sit concupiscentia spiritus. Cap. XI.*

QVamobrem in hoc loco carnem non hominem, id est, hominis substantiam, sed voluntatem carnis & desideria pessima debemus accipere, sicut nec spiritu quidem aliquam rem substantialem, sed animę desideria bona & spiritalia designari. Quem sensum idem beatus
*Ibid.* Apostolus superius euidenter expressit, ita inquiens: Dico autem: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus vero aduersus carnem. Hæc autem sibi inuicem aduersantur; vt non quæcumque vultis illa faciatis. Quæ cum vtraque, id est, desideria carnis & spiritus in vno eodemq. sint homine, intestinum quotidie intra nos geritur bellum, dum concupiscentia carnis, quæ præcipitanter fertur ad vitia, his quæ ad præsentem requiem pertinent, delicijs gaudet. Quibus econtra concupiscentia spiritus aduersata, ita desiderat tota spiritalibus studijs inhærere, vt etiam necessarios carnis vsus optet excludere, sic illis iugiter cupiens occupari, vt nullam optet fragilitati eius curam penitus impartiri. Caro luxurijs ac libidine delectatur, spiritus ne ipsis quidem naturalibus desiderijs acquiescit. Illa cupit saciari somno, repleri cibo; hic ita vigilijs & ieiunijs saginatur, vt ne ad ipsum quidem necessarium vitæ vsum somnum cibumque velit admittere. Illa vniuersis exuberare copijs concupiscit; hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est. Lauacris illa nitescere, & quotidianis adulantium cuneis appetit constipari; hic squalore sordium, & inaccessibilis eremi vastitate congaudet, cunctorumq. mortalium præsentiam perhorrescit. Honoribus illa & laudibus hominũ confouetur;



tur; hic irrogatis sibi iniurijs ac persecutionibus gloriatur.

### *Quid sit voluntas nostra, quæ inter concupiscentiam carnis & spiritus ponitur. Cap. XII.*

INter has igitur vtrasque concupiscentias, animæ voluntas in meditullio quodam vituperabiliore consistens, nec vitiorum flagitijs oblectatur, nec virtutum laboribus acquiescit, sic quærens a passionibus temperari carnalibus, vt nequaquam velit dolores necessarios sustinere, sine quibus † virtutes spiritus nequeunt possideri; absque castigatione carnis castimoniam cupiens corporis obtinere, sine vigiliarum labore cordis acquirere puritatem, cum requie carnis spiritalibus exuberare virtutibus, absque vllius exasperatione conuicij patientiæ gratiam possidere, humilitatem Christi sine honoris mundani exercere iactura, religionis simplicitatem cum sæculi ambitione sectari, Christo cum hominum laude ac fauore seruire, districtionis veritatem sine cuiuspiam vel tenui offensione proferre: postremo sic vult futura consequi bona, vt præsentia non amittat. Quæ voluntas numquam nos ad perfectionem ueram faceret peruenire, sed in tepore quodam teterrimo collocaret, talesq. faceret, quales illi sunt, qui in Apocalypsi increpatione Domini castigantur: (Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, vtinam frigidus esses aut calidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo) nisi hunc tepidissimum statum altrinsecus hæc insurgentia bella dirumperent. Nam cum famulantes huic voluntati nostræ ad hanc remissionem voluerimus nosmetipsos paululum relaxare, confestim aculei carnis insurgunt, suisq. nos vitijs & passionibus sauciantes, nequaquam in illa qua delectamur puritatis qualitate stare permittunt, atque ad illam, quam horremus, frigidam voluntatem, plenamq. sentibus pertrahunt vam. Rursus si spiritus feruore succensi, opera carnis volentes extinguere, sine vllo respectu fragilitatis humanæ totos nosmetipsos tentauerimus ad immoderata virtutum studia cordis elatione conferre, interpellans imbecillitas carnis ab illa reprehensibili nimietate spiritus reuocat ac retardat, & ita fit, vt vtraque concupiscentia tali colluctatione alterne sibimet repugnãte, animæ voluntas, quæ nec totam se carnalibus desiderijs dedere, nec virtutum vult laboribus desudare, quodam iusto moderamine temperetur. dum hæc inter vtramque con-

*al desideria.*

*Apoc. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tentio, illam perniciosiorem excludens animæ voluntatẽ, vt quandam æquitatis libram in statera nostri corporis collocat, quæ spiritus carnisq. confinia iusto discernit examine nec a dextris mentem spiritus ardore succensam, nec a leua carnem vitiorum aculeis, præponderare permittens. Dumq. hæc pugna quotidianis diebus vtiliter agitatur in nobis, ad illud quartum, quod nolumus salubriter venire compellimur, vt puritatem cordis non otio nec securitate sed iugi sudore & contritione spiritus acquiramus, castitatemq. carnis districtis ieiunijs, fame, siti ac vigilantia sustentemus; directionem etiam cordis, lectione, vigilijs, oratione continua, & solitudinis squalore capiamus; patientiam tribulationum exercitijs, retentemus, cum blasphemijs & opprobriorum saturitate nostro seruiamus auctori; veritatem cum inuidia mundi huius & inimicitijs si necesse fuerit, exequamur; & tali colluctatione in nostro corpore militante, protractis nobis ab hac ignaua securitate, atque ad istum quem nolumus laborem ac virtutum studia prouocatis, æquitas media retentetur, & tepidum nostræ voluntatis arbitrium, hinc spiritus feruor, illinc carnis gelidissimus rigor moderatissimo calore contemperent, ac neque ad effrænata vitia mentem pertrahi cõcupiscentia spiritus sinat, nec rursum † ad virtutum irrationabiles appetitus, fragilitas carnis spiritum patiatur extolli, ne vel inde omnigenum pullulent fomites vitiorum, vel hinc elatio morbi principalis emergens telo nos superbiæ grauiore confodiat, sed horum pugnæ æquilibratio iusta succedẽs sanam & moderatã inter vtramque virtutem referet viam, itinere regio docens militem Christi semper incedere: atque ita fiet, vt cũ pro tepore huius quam diximus ignauissimæ voluntatis propensius mens ad desideria carnis fuerit deuoluta, spiritus concupiscentia refrenetur, nequaquam eo vitijs acquiescente terrenis, rursumq. si immoderato feruore per excessum cordis ad impossibilia fuerit spiritus noster & inconsiderata præreptus infirmitate carnis ad iustum rerrahatur examen, & transcendens voluntatis nostræ tepidissimum statum commodissima temperie planoq. tramite cum sudoris industria viam perfectionis incedat. Simile quid etiam in illius turris extructione legimus a Domino dispensatum in libro Geneseos, vbi linguarum oborta repente confusio sacrilegos

*al. a virtutũ tramite.*

*Gen. 11.*



gos ausus hominum nefandosq. compescuit. Permansisset enim etiam ibi aduersus Deum, immo aduersus eos, qui diuinam eius attentare cœperant maiestatem, consensus noxius, nisi eos dispensatione Dei repugnans inter se diuersitas linguæ per dissonantiam vocis in meliorem statum proficere compulisset, & quos ad excidium sui animauerat pernicioſa consensio, ad salutem reuocasset bona vtilisq. discordia, incipientes scilicet humanam fragilitatem intercedente diuisione sentire, quam per noxiam conspirationem elati antea nesciebant,

*De vtilitate cunctationis, quæ ex colluctatione oritur carnis & spiritus. Cap. XIII.*

INtantum vero vtilis nobis ex huius pugnæ diuersitate cunctatio nascitur, & salutaris ex hac concertatione dilatio, vt resistente soliditate corporea, dum ab eorum effectu quæ nequiter mente concipimus, retardamur, nonnumquam in meliorem statum, seu pœnitudine subsequente, seu emendatione quadam, quæ solet procrastinatione operis & recogitatione interueniẽte descendere, corrigamur. Denique hos quos intelligimus ad voluntatum suarum desideria perficienda, nullo carnis obstaculo retardari, dæmones scilicet ac spiritales nequitias, & quidem cum sint de eminentiori angelorum ordine deoluti, detestabiliores esse hominibus cõtemplamur, eo quòd possibilitate eorum desiderijs adiacente, id quod nequiter semel conceperint, irreuocabili malo perficere non † morentur, quia sicut est animus eorum velox ad excogitandum, sic ad perficiendum pernix ac soluta substantia. dumque suppeditat eis prona facultas ea, quæ voluerint peragendi, conceptum malum nulla intercedens deliberatio salutaris emendat.

*al. verentur.*

*De inemendabili malitia spiritalium nequitiarum. Cap. XIV.*

SPiritalis nãque substãtia nec vlla carnis soliditate † deuicta, vt excusationem exortæ in sese prauæ non recipit voluntatis, ita veniam malignitatis excludit, quia nulla quemadmodum nos ad peccandum impugnatione carnis extrinsecus lacessita est, sed vitio solius malæ voluntatis accensa, & ob hoc sine venia peccatum, & sine remedio languor est. Sicut enim nulla solicitante terrena materia corruit, ita nec indulgentiam quidem aut locum potest pœnitudinis obtinere. Quibus ex rebus euidenter colligitur,

*al. deuincta.*

quòd non ſolum noxia non ſit hæc, quæ contra ſe inuicem ſuſcitatur in nobis carnis ſpiritusq. contentio, verumetiam multam conferat nobis vtilitatem.

*Quid nobis proſit carnis aduerſus ſpiritum concupiſcentia. Cap. XV.*

PRimo, quòd deſidias ac negligentias noſtras ſtatim arguit, & vt quidam diligentiſſimus pædagogus a diſtrictionis & diſciplinæ linea numquam nos deuiare concedens, ſi paululum quid ſecuritas noſtra menſuram congruæ ſerietatis exceſſerit, flagellis incentiuorum ſtimulat confeſtim, & increpat, atque ad competentem reuocat parcitatẽ. Secundo, quòd pro caſtimoniæ ac puritatis integritate cum Dei gratia concedente, ita nos longo tempore a gentali pollutione viderimus immunes, vt ne ipſa quidem ſimplici cõmotione carnis vlterius nos inquietandos eſſe credamus, & per hoc velut qui non geſtemus corruptelam carnis in ſecretis conſcientiæ noſtræ fuerimus elati, ſuo nos rurſum quamuis quieto ac ſimplici viſitans fluxu humiliat ac retundit, nosq. homines eſſe ſuis ſtimulis admonet. Quodammodo enim cum in ceteris generibus vitiorum & quidem grauioribus magisq. noxijs indifferentius ſoleamus incurrere, nec tam facile in eorum compungamur admiſſu, in hoc peculiarius humiliatur conſcientia noſtra, quòd per hanc illuſionem neglectarum quoque paſſionum recordatione mordetur, euidenter intelligẽs immundam ſe factam naturalibus incentiuis, quæ cum eſſet immundior ſpiritalibus vitijs ignorabat, & recurrẽs protinus ad emendationem anterioris ignauiæ commonetur nec ſuper ſucceſſibus præteritæ puritatis debere confidere, quã ſe perſpicit puſillum quid declinantem a Domino perdidiſſe, nec poſſe huius purificationis donum niſi per ſolius Dei gratiam poſſidere, docentibus nos quodammodo ipſius rei experimentis, vt ſi integritatem cordis perpetuo conſequi delectamur, humilitatis ſtudeamus virtutem iugiter obtinere.

*De incentiuis carnis, quibus niſi humiliaremur, grauius rueremus. Cap. XVI.*

HVius igitur puritatis elationem pernicioſiorem futuram cunctis ſceleribus ac flagitijs, & ob hanc nihil nos emolumenti conſecuturos pro qualibet caſtitatis integritate, teſtantur illæ virtutes, quarum ſuperius mentionem fecimus, quæ cum nullas huiuſmodi titillationes carnis habuiſſe credantur, ob ſolam cordis elationem perpetua ruina de illa ſublimi cæleſtiq. ſtatione deiectæ ſunt. Eſſemus itaq. penitus abſque remedio tepidi, vtpote non habentes indicem negligentiæ noſtræ, vel in corpore noſtro aut in conſcientijs proprijs inſidentem, nec ſtuderemus ad perfectionis vmquam peruenire feruorem, ſed nec frugalitatis quidem diſtrictionem vel continentiæ teneremus, niſi nos hæc titillatio carnis increſcens humiliaret atque retunderet, aduerſus ſpiritalium quoque vitiorum purgationem ſolicitos redderet & intentos.



*De eunuchorum tepore. Cap. XVII.*

DEnique in his, qui ſpadones ſunt corpore, idcirco hũc animi teporẽ plerumq. ineſſe deprehendimus, quia velut ſoluti ab hac neceſſitate carnali, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione cordis ſe æſtimant indigere, & hac reſoluti ſecuritate, numquam perfectionem cordis, ſed nec ſpiritalium quidem vitiorum purgationẽ vel quærere in veritate vel poſſidere feſtinant. Qui ſtatus a carnali qualitate deſcendens, efficitur animalis, qui eſt proculdubio deterior gradus. Ipſe eſt enim, qui de frigido ad tepidum *Apoc. 3.* tranſiens deteſtabilior Domini voce ſignatur.

*Interrogatio quid interſit inter carnalem & animalem virum. Cap. XVIII.*

GERMANVS

DE vtilitate colluctationis, quæ inter carnem & ſpiritum ſuſcitatur, quantum videtur nobis, euidenter expreſſum eſt, ita vt eam ipſis quodammodo manibus noſtris palpabilem factam eſſe credamus. Et idcirco hanc quoque rationem nobis ſimiliter cupimus aperiri, quid interſit inter carnalem & animalem virum, vel quemadmodum animalis carnali poſſit eſſe deterior.

*Reſponſio de triplici animarum ſtatu. Cap. XIX.*

DANIEL

SEcundum definitionem ſcripturæ tres ſunt animarum ſtatus. Primus carnalis, ſecundus animalis, tertius ſpiritalis. Quos in Apoſtolo legimus deſignari. Nam de carnali dicitur: Lac vobis potum dedi, non eſcam: necdum *1. Cor. 3.* enim poteratis, ſed nec adhuc nunc poteſtis; adhuc enim carnales eſtis. Et iterum: Vbi enim eſt inter vos zelus & *Ibid.* contentio, nonne carnales eſtis? De animali quoque taliter commemoratur: Animalis autem homo non percipit ea *1. Cor. 1.* quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi. De ſpiritali ve-

ro: Spi-

*Ibid.* ro: Spiritalis autem examinat omnia, ipse autem a nemi-
*Galat. 6.* ne dijudicatur. Et iterum: Vos qui spiritales estis, instruite eos, qui eiusmodi sunt, in spiritu lenitatis. Itaque festinandũ est nobis, vt cum renuntiantes desierimus esse carnales, id est, a sæcularium cœperimus conuersatione seiungi, & ab illa manifesta carnis pollutione cessare, spiritalem sensum protinus apprehendere tota virtute nitamur, ne forte blandientes nobis quòd videmur secundum exteriorem hominem huic renuntiasse mundo, vel carnalium fornicationum deseruisse contagia, tamquam qui summam perfectionis per hoc apprehenderimus, remissiores deinceps erga emundationem ceterarum passionum lentioresq. reddamur, & inter vtraque detenti gradum spiritalis profectus assequi nequeamus, existimantes ad perfectionem nobis abunde sufficere, quòd exteriore homine videamur de conuersatione mundi huius ac voluptatibus segregati, vel quòd immunes simus a corruptela & commixtione carnali, & ita inuenti in illo tepido statu, qui deterior iudicatur, euomendos nos ex ore Domini secundum eius sententiam
*Apoc. 3.* nouerimus, ita dicentis: Vtinam calidus esses aut frigidus; nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Nec immerito eos Dominus, quos iam in viscer-
*al. noxia tepefactos.* ibus receperat charitatis, † noxios & tepefactos, cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronunciat; qui cum salutarem quodammodo ei potuissent præbere substantiam, auelli ab eius visceribus maluerunt, tanto deteriores effecti illis, qui numquam ori Dominico illati sunt, cibis, quanto id quod nausea compellente proijcimus, odibilius detestamur. Quidquid enim frigidum est, etiam ore nostro susceptum vertitur in calorem, & salutifera suauitate percipitur; quod autem semel vitio pernicioſi teporis abiectum est, non dicam labijs admouere, sed etiam eminus intueri sine ingenti horrore non possumus. Rectissime ergo pronunciatur esse deterior, quia faci-
*al. conuersionem.* lius ad salutarem † conuersationem ac perfectionis fastigium carnalis quis, id est, sæcularis vel gentilis accedit, quàm is qui professus monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinæ, ab illo semel spiritalis feruoris igne discessit. Ille namq. corporalibus saltem vitijs humiliatus, atque immundum se sentiens contagione carnali, ad fontem veræ purificationis ac perfectio-



fectionis culmen, quandoque compunctus, accurrit, & horrescens, illum in quo est, infidelitatis gelidissimum statum, spiritus ardore succensus, ad perfectionem facilius conuolabit. Nam qui semel, vt diximus, tepido exorsus initio monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate ac feruore, quo debuit iter huius professionis arripuit, infectus semel hac miserabili lue, & in ea quodammodo resolutus, nec ex sese vlterius perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri. Dicit enim in corde suo, secundum illam Domini sententiam: Quia diues sum & locuples, & *Apoc. 3.* nullius egeo. Cui illud quoque quod subsequitur consequenter aptabitur: Tu autem es miser & miserabilis, & *Ibid.* pauper & cæcus & nudus. in eo factus etiam sæculari deterior, quòd nec miserum se nec cæcum ac nudum, aut emendatione dignum, vel egere monitis alicuius aut institutione cognoscit, & ob hoc nec exhortationem quidem vllam verbi salutaris admittit, non intelligens ipso monachi se nomine prægrauari, ac deprimi opinione cunctorum, qua dum creditur ab omnibus sanctus, & velut Dei famulus colitur, necesse est, vt in futuro vehementiori iudicio pœneque subdatur. Postremo quid diutius immoramur in his, quæ nobis experimento satis comperta sunt ac probata? Frequenter enim vidimus de frigidis atque carnalibus, id est de sæcularibus ac paganis, ad spiritalem peruenisse feruorem; de tepidis atque animalibus omnino non vidimus. Quos etiam per prophetam ita legimus Dominum detestari, vt spiritalibus viris atque doctoribus præcipiatur, vt ab eis monẽdis docendisq. discedant, & nequaquam velut in sterili atque infructuosa terra noxijsq. sentibus occupata, semen verbi salutaris expendant, sed vt contemnentes, eam nouam potius excolant terram, id est, erga paganos ac sæculares omnem doctrinæ culturam ac verbi transferant salutaris instantiam, quod ita legitur: Hæc di-
cit Dominus viro Iuda & habitatoribus Hierusalem: No- *Hier. 4.*
uate vobis nouale, & nolite serere super spinas.

*De male abrenuntiantibus. Cap. XX.*

DEnique, quod pudet dicere, ita plerosque abrenũtiasse conspicimus, vt nihil amplius immutasse de anterioribus vitijs ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantummodo atque habitum sęcularem. Nam & acquirer pecunias gestiunt, quas nec antea possederũt, vel certe quas habue-

habuerunt, retinere non desinunt; aut (quod est lugubrius) etiam amplificare desiderant, sub hoc prætextu, quòd vel famulos suos semper exinde, vel fratres alere se debere iustum esse contendunt, vel certe sub obtentu congregandi cœtus reseruant, quem velut abbates instituere se posse præsumunt. Qui si in veritate viam perfectionis inquirerent, hoc potius tota virtute perficere niterentur, vt scilicet exuti non solum pecunijs, sed etiam affectionibus pristinis & distentionibus vniuersis, semetipsos singulares ac nudos ita sub seniorum imperio collocarent, vt curam non modo aliorum nullam, sed ne sui quidem gererent. Econtrario autem euenit, vt dum fratribus præesse festinant, nũquam senioribus ipsi subijciantur, & a superbia inchoantes dum alios instituere cupiunt, nec discere ipsi, nec age-
*Matt. 15.* re ea, quæ sunt docenda mereantur. Quibus necesse est, vt secundum Saluatoris sententiam, cæci duces cæcorum effecti, pariter in foueam cadant. Cuius superbiæ licet vnum sit genus, duplex tamen eius est species; vna quæ serietatem
*al. ementitur.* grauitatemq. iugiter † imitatur, alia quæ effrænata libertate in cachinnos fatuos risusq. dissoluitur. Et illa quidem taciturnitate congaudet, hæc vero dedignatur silentio coartari, nec confunditur passim proloqui etiam res incongruas & ineptas, dum erubescit vel inferior ceteris vel indoctior iudicari. Alia ob elationem clericatus ambit officium, altera despicit, vtpote iudicans illud aut dignitati pristinæ, aut vitæ, ac natalium suorum meritis incongruum vel indignum. Quarum quæ deterior pronuntianda sit, vniuscuiusque discutiat ac perpendat examen. Vnum sane arque idem inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otij desiderium senioris violare mandatum, tamque dispendiosum est pro somno quàm pro vigilantia monasterij statuta conuellere. Tantum denique est abbatis transire præceptum vt legas, quantum si contemnas vt dormias; nec alius superbiæ fomes est pro ieiunio fratrem quàm pro refectione contemnere; nisi quòd perniciosiora & a remedijs longinquiora sunt vitia, quæ sub specie virtutum & imagine spiritalium rerum videntur emergere, quàm illa, quæ ex aperto pro carnali voluptate gignũtur. Hęc enim velut palam expositi ac manifesti languores, & arguuntur cominus & sanantur; illa vero dum sub prætextu uirtutum teguntur, incurata perdurant, & deceptos quos-



quosque periculosius faciunt ac desperatius ægrotare.

### *De his qui contemptis magnis, occupantur in paruis. Cap. XXI.*

NAm illud ridiculum qualiter exprimetur, quod nonnullos post illum primæ renuntiationis ardorem, quo vel res familiares vel opes plurimas ac militiam sæculi relinquentes, semetipsos ad monasteria contulerunt, tanto cernimus studio in his, quæ penitus abscidi non possunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quamuis parua viliaq. sint, esse deuinctos, vt horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem? Quibus profecto non magne proderit maiores opes ac substantias contempsisse, quia affectus earum, ob quos illæ cõtemptæ sunt, in res paruas atque exiguas transtulerunt. Nam vitium cupiditatis & auaritię, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse sed commutasse se probant pristinam passionem. Nam nimia diligentia deuincti erga curam psiathij, sportellæ, † sagel- *al. saccelli.*
li, codicis, mattæ, aliarumq. similium rerum, quamuis *li.*
vilissimarum, eadem tamen qua antea libidine detinentur. Quæ etiam tanta æmulatione custodiunt, atque defendunt, vt pro ipsis aduersus fratrem commoueri, & (quod est turpius) etiam litigare non pudeat. In quibus adhuc ægritudine cupiditatis pristinæ laborantes, hæc eadem, quæ vsus corporis possidere monachum vel necessitas cogit, secundum numerum mensuramq. communem non sunt habere contenti, in hoc quoque sui cordis auaritiam designantes, cum vel ea, quibus vti necesse est, propẽsius studeant habere quàm ceteri, vel excedentes diligentiæ modum peculiarius ea attentiusq. custodiunt, & ab aliorum contrectatione defendunt, quæ vniuersis fratribus debent esse communia. Quasi verò differentia tantummodo metallorum, & non ipsa passio cupiditatis habeatur in noxa, & pro rebus quidem magnis irasci non liceat, pro vilioribus vero hoc ipsum fecisse sine culpa sit, & non idcirco pretiosiores abiecerimus materias, vt facilius disceremus viliora contemnere. Quid enim differt, vtrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species? nisi quòd in eo reprehensibilior iudicandus est, quòd qui maxima spreuerit, minimis

nis obligetur. Ideoq. perfectionem cordis abrenuntiatio ista non obtinet; quia cum censum habeat pauperis, non abijcit diuitis voluntatem.

## QVARTAE COLLATIONIS ABBAtis Danielis de concupiscentia carnis & spiritus Finis.

# COLLATIO QVINTA, QVÆ EST SERAPIONIS, DE OCTO PRINCIPALIBVS VITIIS.

### *Aduentus noster ad abbatis Serapionis cellam, & inquisitio de generibus & impugnatione vitiorum. Cap. I.*

IN illo cœtu antiquissimorum senum fuit vir nomine Serapion, apprime gratia discretionis ornatus, cuius collationem operæpretium reor litteris tradere. Ambientibus enim nobis, vt de impugnatione vitiorum aliqua disputaret, quibus origines eorum & causæ manifestius panderentur, ita exorsus est.

### *Narratio abbatis Serapionis de octo principalibus vitijs. Cap. II.*

OCto sunt principalia vitia, quæ humanum genus infestant, id est, Primum Gastrimargia, quod sonat ventris ingluuies. Secundum Fornicatio. Tertium Philargyria, id est, auaritia siue amor pecuniæ. Quartum Ira. Quintum Tristitia. Sextum Acedia, id est, anxietas siuæ tædium cordis. Septimum Cenodoxia, id est, iactantia seu vana gloria. Octauum Superbia.

De



### *De duobus vitiorum generibus, & efficientia eorum quadripartita. Cap. III.*

HOrum igitur vitiorum genera sunt duo. Aut enim naturalia sunt, vt Gastrimargia; aut extra naturam, vt Philargyria. Efficientia vero quadripartita est. Quædã enim sine actione carnali cõsummari non possunt, vt est Gastrimargia & Fornicatio; quædam vero etiam sine vlla corporis actione complentur, vt est Superbia & Cenodoxia; nonnulla commotionis suæ causas extrinsecus capiunt, vt est Philargyria & Ira; alia vero intestinis motibus excitantur, vt est Acedia atque Tristitia.

### *Recapitulatio de Gastrimargiæ & Fornicationis passione, & curatione earum. Cap. IV.*

ET vt hæc eadem non solum disputatione quantum possumus breui, sed etiam scripturarum testimonijs manifestiora reddamus; Gastrimargia & Fornicatio cum naturaliter nobis insint (nam nonnumquam etiam sine vllo animæ incitamento solius instigatione ac pruritu carnis oriuntur) materia tamen, vt consummentur, egent extrinsecus, & ita in effectum corporali actione perueniunt. Vnusquisque enim tentatur a propria concupiscentia; deinde cõcupiscentia cum fuerit concepta, parit peccatum: peccatum vero cum fuerit consummatum, generat mortem. Nam nec primus Adam per Gastrimargiam decipi potuit, nisi escæ materiam habens in promptu abusus ea fuisset illicite: nec secundus sine cuiusdam materiæ illicitatione tentatur, cum dicitur ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Fornicatio quoque quòd non nisi per corpus perficiatur, omnibus patet, ita de hoc spiritu dicente Deo ad beatum Iob: Ecce virtus eius in lumbis, & potestas eius super vmbilicum ventris. Ideoq. hæc specialiter duo, quæ ministerio carnis explentur, extra illam spiritalem animæ curam, egeat peculiarius etiam continentia corporali. Siquidem ad retundendos horum stimulos non sufficit sola mentis intentio (vt nonnumquam solet aduersus iram seu tristitiam ceterasq. fieri passiones, quas etiam sine vlla carnis afflictione sola expugnare nouit mentis industria) nisi etiã castigatio corporalis accesserit; quæ ieiunijs, vigilijs, & cordis contritione perficitur; hisq. fuerit remotio localis adiuncta, quia sicut amborum vitio, id est, animæ & corporis generantur, ita superari nisi vtriusque labore non pote-

*Iacob. 1.* *Gen. 3.* *Matth. 4.* *Iob. 40.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Galat. 5.* poterunt. Et licet beatus Apostolus omnia vitia generaliter pronuntiauerit esse carnalia, siquidem inimicitias, & iras, atque hæreses, inter cetera carnis opera numerauerit; nos tamen ad illorum curationes atque naturas diligentius colligedas, duplici ea diuisione distinguimus. Nam ex his, quædam dicimus esse carnalia, quædam vero spiritalia: & illa quidem carnalia, quæ specialiter ad fotum, & ad sensum pertinent carnis; quibus illa ita delectatur ac pascitur, vt quietas etiam inciter mentes, inuitasq. eas nonnumquam pertrahat ad suę voluntatis assensum De quibus beatus Apostolus: In quibus, ait, & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desiderijs carnis nostræ facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, sicut & ceteri. Spiritalia vero dicimus, quæ instinctu animæ solius orta, non solum nihil voluptatis conferunt carni, sed etiam grauissimis eam languoribus afficientia, miserrimæ iucunditatis pastu animam tantum nutriunt ægrotantem. Et idcirco hæc quidem simplici cordis indigent medicina; quæ autem carnalia sunt, non nisi duplici, quemadmodum diximus, ad sanitatem curatione perueniunt: Vnde puritati studentibus plurimum confert, vt harum carnalium passionum ipsas materias sibi primitus subtrahant, quibus potest vel occasio vel recordatio earundem passionum ægrotanti adhuc animæ generari. Necesse est enim vt morbo duplici duplex adhibeatur curatio. Nam corpori ne concupiscentia in effectum tentet prorumpere, necessario effigies & materia illiciens subtrahenda est; & animæ nihilominus ne eam vel cogitatione concipiat, attentior meditatio scripturarum, & solicitudo peruigil ac remotio solitudinis vtiliter apponenda. In ceteris autem vitijs humana consortia nihil obsunt, quinimo etiam plurimum conferunt his, qui carere eis in veritate desiderant, quia frequentia hominum magis arguuntur; & dum lacessita manifestantur crebrius, celeri medicina perueniunt ad salutem.

*Ephes. 2.*

*Quomodo Dominus noster solus absque peccato tentatus sit. Cap. V.*

IDeoq. Dominus noster Iesus Christus cum Apostoli pronuncietur sententia tentatus fuisse per omnia secundum similitudinem nostram, dicitur tamen: Absque peccato, id est, absque huius passionis contagio, nequaquam scilicet

*Hebr. 4.*



licet aculeos concupiscentiæ carnalis expertus, quibus nos necesse est etiam ignorantes inuitosq. compungi; quippe cui nulla inerat similitudo seminationis vel conceptionis humanæ, ita ratione conceptus eius archangelo nuntiante: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. *Luc. 1.*

*De oratione tentationis, quâ a diabolo tentatus est Dominus. Cap. VI.*

IN illis enim passionibus etiam ipse tentari debuit, incorruptam imaginem Dei ac similitudinem possidens, in quibus & Adam tentatus est, cum adhuc in illa inuiolata Dei imagine perduraret, hoc est, Gastrimargia, Cenodoxia, Superbia; non in quibus post præuaricationem mandati imagine Dei ac similitudine violata, suo iam vitio deuolutus inuoluitur. Gastrimargia namque est, qua interdicti ligni præsumit edulium. Cenodoxia, qua dicitur: Aperientur oculi vestri. Superbia, qua dicitur: Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. In his tribus vitijs etiam Dominum Saluatorem legimus fuisse tentatum. Gastrimargia, cum dicitur ei a diabolo: Dic vt lapides isti panes fiant. Cenodoxia: Si filius Dei es, mitte te deorsum Superbia, cum ostendens illi omnia regna mundi & eorum gloriam, dicit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me: vt ijsdem quibus ille tentationum lineis est appetitus, nos quoque quemadmodum tētatorem vincere deberemus, suo doceret exēplo. Ideoque & ille Adam dicitur, & iste Adam. Ille primus ad ruinam & mortem; hic primus ad resurrectionem & vitam. Per illum omne genus hominum condemnatur; per istum omne genus hominum liberatur. Ille de rudi atque intacta fingitur terra; hic de Maria virgine procreatur. † Huius ergo vt susciperе eum tentationes oportuit, ita excedere necessarium † non fuit. Nec enim qui Gastrimargiam vicerat, poterat Fornicatione tentari, quæ ex illius abundantia ac radice procedit; qua ne ille quidem primus Adam fuisset elisus, nisi ante generatricem eius passionem deceptus illecebris diabolo recepisset. Et ob hoc filius Dei non absolute in carne peccati venisse dicitur, sed in similitudine carnis peccati; quia cum esset in eo vera caro, manducans scilicet, & bibens, & dormiens, clauorum quoque confixionem in veritate susciperis, peccatum

*Gen. 3.* *Ibid.* *Matth. 4.* *Ibid.* *Ibid.* *1. Cor. 15.* *Gen. 2.* *Luc. 1.* *al. Huiusmodi.* *al. abest negatio.* *Rom. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tum eius quod præuaricatione contraxit, verum non habuit, sed imaginarium. Non enim ignitos aculeos concupiscentiæ carnalis expertus est, qui etiam nolentibus nobis natura iam administrante consurgunt, sed huius quandam similitudinem, naturam participando suscepit. Nam cum omnia, quæ officij nostri sunt, in veritate compleret, & vniuersas infirmitates gestaret humanas, consequenter huic quoque passioni putatus est subiacere; vt per has infirmitates etiam condicionem huius quoque vitij atque peccati videretur in sua carne portare. Denique in his eum tãtummodo vitijs diabolus tentat, in quibus illum primum deceperat, conijciens hunc quoque velut hominem similiter in ceteris illudendum, si cum in illis, quibus priorem deiecerat, sensisset elisum. Verum ei secundum iam morbum, qui de radice principalis vitij pullularat, primo certamine confutatus inferre non potuit. Videbat enim nullatenus eum initialem causam huius ægritudinis suscepisse, eratq. superfluum sperari ab eo fructum peccati, cuius eum semina vel radices nullo modo recepisse cernebat. Licet secundum Lucam, qui postremam tentationem illam
*Luc.4.* ponit, qua dicitur: Si filius Dei es, mitte te deorsum; hæc Superbiæ passio possit intelligi, ita vt illa superior, quam
*Matth.4.* Matthæus tertiam ponit, in qua iuxta prædictum Lucam Euangelistam, omnia ei regna mundi in puncto temporis ostendens diabolus repromittit, accipiatur passio Philargyriæ: quòd scilicet post Gastrimargiæ victoriam, Formicatione eum tentare non prævalens ad Philargyriam transierit, quam radicem esse malorum omnium nouerat; in
*1. Tim.6.* qua iterum superatus, nullum ei vitium ex his, quæ sequebantur eam ausus ingerere (quippe quæ nouerat de eius radice ac fomite pullulare) ad extremam Superbiæ transit passionem, qua nouerat etiam perfectos quosque deiectis omnibus vitijs posse pulsari: qua etiam vel seipsum cum esset vt lucifer, vel complures alios absque vllo illicitamento præcedentium passionum, de cælestibus meminerat corruisse. Iuxta hunc ergo quem prædiximus ordinem, qui ab Euangelista Luca describitur, etiam ipsa illicitatio & figura tentationum, quibus vel illum primum, vel istum secundum Adam callidissimus aggreditur inimicus, elegantissime congruit. Illi namque dicit: Aperientur oculi vestri: huic ostendit omnia regna mundi, & gloriam
*Gen.1.* *Matth.4.*



eorum. Ibi dicit: Eritis sicut dij; hic: Si filius Dei es.

### *De consummatione Cenodoxiæ & Superbiæ sine ministerio corporali. Cap. VII.*

ET vt de efficientijs ceterarum quoque passionum, quarum narrationem intercidere nos expositio Gastrimargiæ vel Dominicæ tentationis necessario compulit, eodem quo proposueramus ordine disseramus. Cenodoxia atque Superbia etiam sine vllo consummari solẽt ministerio corporali. In quo enim egent actione carnali, quæ pro conniuentia & voluntate sola conquirendæ laudis & humanæ gloriæ consequendæ abunde ruinam generant animæ captiuatæ? Aut quem effectum habuit corporalem prædicti luciferi illius antiqua superbia, nisi quòd eam tantummodo animo & cogitatione concepit, ita Propheta commemorante: Qui dicebas in corde tuo, in cælum conscen- *Esai.14.*
dam, super astra Dei ponam solium meum, ascendam super altitudinem nubium, ero similis altissimo? Qui sicut huius superbiæ neminem habuit incentorem, ita ei consummationem criminis ruinæq. perpetuæ cogitatio sola perfecit; & quidem cum affectatæ tyrannidis nulla fuerint opera subsecuta.

### *De Philargyria, quod extra naturã sit; & quid intersit inter ipsam & naturalia vitia. Cap. VIII.*

PHilargyria & Ira licet non sint vnius naturæ, (nã prior extra naturam est, sequens vero originale videtur in nobis seminarium possidere,) simili tamen oriuntur modo; extrinsecus siquidem causas commotionis plerumque concipiunt. Etenim frequenter hi, qui adhuc infirmiores sunt, vel irritatione, vel instinctu quorundam, in hæc se corruisse vitia conqueruntur, ac præcipitatos se vel ad Iracundiam vel ad Philargyriam aliorum prouocatione, causantur. Quod autem extra naturam sit Philargyria, hinc liquido peruidetur, quia nec originale probatur in nobis habere principium, nec de materia concipitur, quæ pertingit ad animæ vel carnis participationem, vitæq. substantiam. Nihil enim ad vsum vel necessitatem naturæ communis præter escam quotidianam ac potum certum est peruenire, reliquæ vero vniuersæ materiæ quantolibet studio atque amore seruentur, alienæ tamen ab humana indigentia etiam vsu vitæ ipsius approbantur, ideoq. hoc velut extra naturam existens non nisi tepidos ac male fun-

Universidad de Deusto
Biblioteca



datos monachos pulsat. Quæ autem naturalia sunt, etiam probatissimos monachorum & quidem in solitudine commorantes attentare non desinunt. Et intantum hoc verissimum comprobatur, vt etiam gentes nonnullas ab hac passione, id est Philargyria, liberas omnimodis agnoscamus, quia nequaquam vitij huius ægritudinem vsu & consuetudine receperunt; illum quoque priorem mundum, qui ante diluuium fuit, diutissime concupiscentiæ huius rabiem credimus ignorasse. Quæ etiam in vnoquoque nostrum recte abrenuntiante sine vllo labore probatur extingui, cum scilicet vniuersis quis substantijs abiectis, ita expetierit cœnobij disciplinam, vt ex eis ne vnum quidem denarium sibimet superesse patiatur. Cuius rei testes multa hominum milia possumus inuenire, qui cum sub momẽto breuissimo dispersis omnibus facultatibus suis ita hanc eradicauerint passionem, vt ne tenuiter quidem ab ea pulsentur vlterius; nihilominus omni tempore contra Gastrimargiam pugnãtes, nisi ingenti circumspectione cordis & abstinentia corporis dimicarint, securi esse non possunt.

### *Quod tristitia & Acedia nulla prouocatione extrinsecus generentur sicut alia vitia. Cap. IX.*

TRistitia & Acedia nulla, quemadmodum superiora diximus, accedente extrinsecus prouocatione generari solent. Nam solitarios † quoque & in eremo constitutos, *al. quosq.* nulliq humano cõmixtos consortio, frequenter atque amarissime vexare noscuntur: quod esse verissimum quisque fuerit in solitudine commoratus, & pugnas hominis interioris expertus, ipsis experimentis perfacile comprobabit.

### *De sex vitiorum concordia, & duorum ab eis dissidentium cognatione. Cap. X.*

HAec igitur octo vitia licet diuersos ortus ac dissimiles efficientias habeant, sex tamen priora, id est, Gastrimargia, Fornicatio, Philargyria, Ira, Tristitia, Acedia, quadam inter se cognatione, &, vt ita dixerim, concatenatione connexa sunt, ita vt prioris exuberantia sequentis efficiatur exordium. Nam de abundantia Gastrimargiæ Fornicationem, de Fornicatione Philargyriam, de Philargyria Iram, de Ira Tristitiam, de Tristitia Acediam necesse est pullulare; ideoque simili cõtra hæc modo atque eadem ratione



tione pugnandum est, & a præcedentibus semper aduersus sequentia oportet nos inire certamina. Facilius enim cuiuslibet arboris noxia latitudo ac proceritas exarescit, si antea radices eius quibus innititur, vel nudatæ fuerint vel succisæ. Et infestantes humores aquarum continuo siccabuntur, cum generator earum fons ac profluentes venæ solerti industria fuerint obturatæ. Quamobrem vt Acedia vincatur, ante Tristitia superanda est; vt Tristitia propellatur, Ira prius extrudenda est; vt extinguatur Ira, Philargyria calcanda est; vt euellatur Philargyria, Fornicatio compescenda est; vt Fornicatio subruatur, Gastrimargiæ vitium est castigandum. Residua vero duo, id est, Cenodoxia, & Superbia, sibi quidem similiter illa qua de superioribus vitijs diximus ratione iunguntur, ita vt incrementum prioris ortus efficiatur alterius. Cenodoxiæ enim exuberantia Superbiæ fomitem parit. Sed ab illis sex prioribus vitijs penitus dissident, nec simili cum eis societate fœderantur. Siquidem non solum nullam ex illis occasionem suæ generationis accipiunt, sed etiam contrario modo atque ordine suscitantur. Nam illis euulsis hęc vehementius fructificant, & illorum morte viuacius pullulant atque succrescunt. Vnde etiam diuerso modo ab his duobus vitijs impugnamur. In vnumquodque enim illorum sex vitiorum tunc incidimus, cum a præcedentibus eorum fuerimus elisi; in hæc vero duo, victores, & vel maxime post triumphos periclitamur incurrere. Omnia igitur vitia quemadmodum incremento præcedentium generantur, ita illorum diminutione purgantur. Et hac ratione vt Superbia possit excludi, Cenodoxia est præfocanda. Et ita semper prioribus superatis, sequentia conquiescent, & extinctione præcedentium, residuæ passiones absque labore marcescet. Et licet hęc quæ prædiximus octo vitia, illa qua commemorauimus ratione inuicem sibi connexa atque permixta sint, specialius tamen in quattuor cõiugationes & copulas diuiduntur. Gastrimargiæ namque Fornicatio peculiari consortio fœderatur; Philargyria Iræ; Tristitiæ Acedia, Cenodoxiæ Superbia familiariter coniugatur.

### *De origine & qualitate vniuscuiusque vitij. Cap. XI.*

ET vt singillatim nunc de vniuscuiusque vitij generibus disputemus, Gastrimargiæ genera sunt tria. Primum, quod ad refectionem perurget monachum ante horam statutam

tutam ac legitimam festinare. Secundum, quod expletione ventris & quarumlibet escarum voracitate lætatur. Tertium, quod accuratiores & delicatissimos desiderat cibos. Quæ tria non leui dispendio monachum feriunt, nisi ab omnibus istis pari studio atque obseruantia semetipsum expedire contenderit. Nam quemadmodum absolutio ieiunij ante horam canonicam nullatenus præsumenda est, ita & ventris ingluuies & escarum sumptuosa atque exquisita præparatio similiter amputanda. Ex his enim tribus causis diuersæ ac pessimæ valitudines animæ procreantur. Nam de prima monasterij odium gignitur, atque exinde horror, & intolerantia eiusdem concrescit, quam sine dubio mox discessio aut fuga velocissima subsequetur. De secunda igniti luxuriæ & libidinis aculei suscitantur. Tertia etiam inextricabiles Philargyriæ laqueos nectit cerui-
cibus captiuorum, nec aliquando monachum sinit perfecta Christi nuditate fundari. Cuius nobis passionis inesse
vestigia, isto quoque deprehendimus indicio, cum forte ad refectionem detenti ab aliquo fratrum, contenti non sumus eo sapore cibos sumere, quo ab exhibente conditi sunt, sed quiddam superfundi eis vel adijci importuna atque effrænata poscimus libertate. Quod fieri penitus non oportet, tribus de causis. Primo, quia mens monachi semper debet in omni tolerantiæ ac parcitatis exercitatione ver-
*Philip. 4.* sari, &, secundum Apostolum, discere in quibus est sufficiens esse: nullatenus enim poterit vel occulta vel maiora corporis desideria refrænare, quisquis deguſtatione modicæ insuauitatis offensus, ne ad momentum quidem delicias gutturis sui valuerit castigare. Secundo, quòd nonnumquam euenit vt ad horam desit illa species, quæ postulatur a nobis, & verecundiam necessitati vel frugalitati suscipientis incutimus, publicantes scilicet paupertatem eius, quam soli Deo cognitam esse maluerat. Tertio, quòd interdum solet sapor ille, quem nos adijci poscimus, alijs displicere, & inuenimur iniuriam multis, dum nostræ gulæ ac desiderio satisfacere cupimus, irrogare: propter quod omnimodis hæc in nobis est castiganda libertas. Fornicationis genera sunt tria. Primum, quod per commixtionem sexus vtriusque perficitur. Secundum, quod absque femineo
*Gen. 38.* tactu, pro quo Onan patriarchæ Iudæ filius a Domino percussus legitur, quod in scripturis sanctis immunditia nun-



cupatur, super quo Apostolus: Dico autem innuptis & *1. Cor. 7.*
viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut & ego: quòd si se non continent, nubant. melius est enim nubere quàm vri. Tertium, quod animo ac mente concipitur. de quo Dominus in Euangelio: Qui viderit mulierem ad concupiscendũ *Matth. 5.*
eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quæ tria genera beatus Apostolus pari modo extinguẽda pronuncians: Mor- *Coloss. 3.*
tificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem &c. Et iterum ad Ephe
sios de duobus: Fornicatio autem & immunditia nec no- *Ephes. 5.*
minetur in vobis. Et iterum: Illud autem scitote, quòd om- *Ibid.*
nis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Quæ tria vt a nobis pari obseruatione caueantur, simi lis nos eorum a Regno Christi atque vna deterret exclusio. Philargyrię genera sunt tria. Primum, quod renuntiantes diuitijs ac facultatibus suis spoliari non sinit. Secundum, quod ea quę a nobis dispersa sunt vel indigentibus distributa, resumere nos maiori cupiditate persuadet. Tertium, quod ea, quæ ne antea quidem possedimus, desiderari acquirive compellit. Iræ genera sunt tria. Vnum, quod exardescit intrinsecus, quod Græce θυμὸς dicitur. Aliud, quod in verbum & opus effectumq. prorumpit, quod ὀργὴ nuncupa
tur, de quibus & Apostolus: Nunc autem deponite, inquit, *Coloss. 3.*
& vos omnia, iram, indignationem. Tertium, quod non vt ille feruor ad horam digeritur, sed per dies & tempora reseruatur, quę μῆνις dicitur. Quę omnia æquali sunt a nobis horrore damnanda. Tristitię genera sunt duo. Vnum, quod vel iracundia desinente, vel de illato damno, ac desiderio præpedito cassatoq. generatur. Aliud, quod de irrationabili mentis anxietate seu desperatione descendit. Acedię genera sunt duo. Vnum, quod ad somnum precipitat æstuantes; aliud quod cellam deserere ac fugere cohortatur. Cenodoxia licet multiformis ac multiplex sit, & in diuersas species diuidatur, genera tamen eius sunt duo. Primum, quo pro carnalibus ac manifestis extollimur rebus; secundum, quo pro spiritalibus & occultis desiderio vanę laudis inflamur.

### *In quo sit vtilis Cenodoxia. Cap. XII.*

VNa re tamen Cenodoxia vtiliter ab incipientibus assumitur, ab his dumtaxat qui adhuc vitijs carnalibus

Universidad de Deusto
Biblioteca



instigantur, vt verbi gratia, si illo tempore, quo Fornicationis spiritu perurgentur, mente conceperint vel sacerdotalis officij dignitatem, vel opinionem cunctorum, qua sancti & immaculati esse creduntur, & ita immundos concupiscentiæ stimulos quasi turpes atque indignos vel existimationi suæ vel illi ordini iudicantes, hac saltem contemplatione declinent, minore malo id, quod maius est, retundentes. Satius est enim Cenodoxiæ vitio quemque pulsari, quàm incidere in fornicationis ardorem, vnde reparari aut nõ valeat, aut vix valeat post ruinam. Quem sensum ex persona Dei
*Esai.48.* vnus prophetarum eleganter expressit, dicens: Propter me longe faciam furorem meum, & laude mea infrænabo te ne intereas id est, vt dum Cenodoxiæ laudibus compediris, nequaquam ad inferni profunda procurras, & irreuocabiliter mortalium peccatorum consummatione mergaris. Nec mirum tantam passioni huic inesse virtutem, vt irruentem quempiam in fornicationis labem valeat refrænare, cum sit multorum experimentis sæpissime comprobatum, quòd ita eum, quem semel veneni sui peste corruperit, infatigabilem reddat, vt faciat, ab eo ne biduana quidem ieiunia vel triduana sentiri. Quod etiam nonnullos in hac eremo frequenter nouimus fuisse confessos, se in cœnobijs Syriæ constitutos, quinis diebus refectionem cibi sine labore toleras-
*al. tunc.* se, † nunc autem tanta se fame ab hora tertia perurgeri, vt vsque nonam vix queant quotidiana differre ieiunia. Super qua re pulchre abbas Macarius cuidam percunctanti cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur, qui in cœnobio hebdomadibus integris refectionem sæpe contemnens non sensisset esuriem, respondit: Quia nullus est hic ieiunij tui testis, qui te suis laudibus nutriat atque sustentet; ibi autem te digitus hominum & Cenodoxiæ refectio saginabat. Huius autem rei figura, qua diximus, superueniẽte Cenodoxia,
*4. Reg.24* vitium Fornicationis excludi, pulchre satis in Regnorum libro ac signanter exprimitur, vbi populum Israelem a Nechao rege Aegypti captiuatum ascendens Nabuchodonosor rex Assyriorum de finibus Ægypti ad suam transtulit regionem, non scilicet vt eos libertati pristinæ & genitali restitueret regioni, sed vt a suis abduceret terris, longius asportandos quàm in terra Aegypti fuerant captiuati. Quæ figura in hoc quoque competenter aptabitur. Licet enim tolerabilius sit Cenodoxiæ quàm Fornicationis vitio deseruire,



seruire, difficilius tamen a Cenodoxiæ dominatione discedit. Quodammodo enim lõgiore itineris spatio captiuus abductus laboriosius ad genitale solum & libertatem pristinam reuertetur; meritoq. ad eum increpatio illa prophetica dirigetur: Quare inueteratus es in terra aliena? Recte *Baruc. 3* siquidem inueteratus dicitur in terra aliena, quisquis a terrenis vitijs non † nouatur. Superbiæ genera sunt duo. Pri- *al. reuocæ* mum, carnale: secundum spiritale, quod etiam perniciosius *tur.* est. Illos namq. specialius impugnat, quos in quibusdã virtutibus profeciſse repererit.

*De varia oppugnatione omnium vitiorum. Cap. XIII.*

HÆc igitur octo vitia cum omne hominum genus pulsent, non tamen vno modo impetunt cũctos. In alio namque spiritus Fornicationis locum obtinet principalẽ, in alio superequitat Furor, in alio Cenodoxia vindicat tyrannidem, in alio arcem Superbia tenet. Et cum constet omnes ab omnibus impugnari, diuerso tamen modo & ordine singuli laboramus.

*De instituendo aduersum vitia certamine secundum ipsorum infestationem. Cap. XIV.*

QVamobrem ita nobis aduersus hæc arripienda sunt prœlia, vt vnusquisque vitium, quo maxime infestatur explorãs, aduersus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac solicitudinem erga illius impugnationem obseruationemq. defigens, aduersus illud quotidiana ieiuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria crebraq. gemituum tela contorquens, aduersus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinentes quoque orationum fletus ad Dominum fundens, & impugnationis suæ extinctione ab illo specialiter ac iugiter poscens. Impossibile namque est de qualibet passione triumphũ quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse, cum tamen vt valeat emundari, necesse sit eum die noctuq. in omni cura & solicitudine permanere. Cumque se ab ea sensserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, & excipiat sibi, quam inter reliquas perspexerit diriorem, atque aduersus eam specialius omnia spiritus arma commoueat, & ita semper validioribus

supe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



superatis celerem de residuis habebit facilemq. victoriam, quia & mens triumphorum processu redderur fortior, & infirmior pugna succedens promptiorem ei prouentum faciet prœliorum, vt fieri solet ab his qui coram regibus mũdi huius omnigenis congredi bestijs præmiorum contemplatione consuerunt, quod spectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur. Hi, inquam, feras quascumque fortiores robore; vel feritatis rabie conspexerint diriores, aduersus eas primæ congressionis certamen arripiunt, quibus extinctis, reliquas quę minus terribiles minusq. vehemẽtes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita & vitijs semper robustioribus superatis, atque infirmioribus succedentibus, parabitur nobis absque vllo discrimine perfecta victoria. Nec tamen putandum, quòd principaliter quis contra vnum dimicans vitium, & velut incautus aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari; quod nequaquam fiet. Impossibile namque est eum, qui pro cordis sui emundatione solicitus erga impugnationem vitij cuiuslibet intentionem suæ mentis armauerit, aduersus cetera quoque vitia generalem quendam horrorem & custodiam similem non habere. Quo enim modo vel de illa, qua absolui desiderat passione merebitur obtinere victoriam, qui se indignum purgationis præmio aliorum facit contagio vitiorum? Sed cum principalis nostri cordis intentio, velut specialem sibi pugnam aduersus vnam exceperit passionem, pro ipsa orabit attentius, peculiari solicitudine ac studio supplicans, vt eam diligentius obseruare, & per hoc celerem mereatur obtinere victoriam. Hũc namque nos ordinem prœliorum exercere debere, nec tamen de nostra virtute confidere, etiá legislator his docet verbis: Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus & terribilis, ipse consumet nationes has in cõspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris delere eas pariter, ne forte multiplicentur contra te bestię terræ. Dabitq. eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, & interficiet illos donec penitus deleantur.

*Pancarpũ. spectaculi genus.*

*Deut. 7.*

*Nihil nos posse aduersum vitia sine auxilio Dei, nec debere nos in eorum extolli victoria. Cap. XV.*

SEd neque debere nos in eorum extolli victoria similiter, admonet: Ne postquam comederis, inquit, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habue-

*Deut. 8.*



habuerisq. armenta boum, & ouium greges, argenti & auri, cunctarumq. rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis, & ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili. Salomon quoque in Prouerbijs: Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari; in supplantatione autem eius noli extolli, ne videat Dominus & non placeat ei, & auertat iram suam ab eo: id est, ne perspiciens elationem cordis tui ab eius impugnatione discedat, & incipias derelictus ab eo rursus ab illa, quam per Dei gratiam ante superaueras passione vexari. Non enim orasset Propheta, dicens: Ne tradas Domine bestijs animam confitentem tibi; nisi scisset propter inflationem cordis quosdam vt humilientur, eisdem rursum vitijs, quæ vicerant, tradi. Quamobrem certos nos esse conuenit, tam ipsis rerum experimentis quàm innumeris scripturæ testimonijs eruditos, nostris nos viribus, nisi Dei solius auxilio fulciamur, tãtos hostes superare non posse, & ad ipsum quotidie summam victoriæ nostræ referre debere; ita super hoc quoque per Mosen Domino commonente: Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eas Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas & æquitatem cordis tui tu ingrederis, vt possideas terras earum, sed quia illæ egerunt impie, te introeunte deletæ sunt. Rogo quid apertius potuit dici contra pernicioſam opinionem eorum, præsumptionemq. nostram, qua totum quod agimus, vel libero arbitrio, vel nostræ volumus industriæ deputare? Ne dicas, inquit, in corde tuo, cum deleuerit eas Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem. Nonne ijs, qui oculos animæ reseratos, & aures habent ad audiendum, euidenter expressit: Cum tibi, inquiens, prospere vitiorum carnalium bella succesſerint, & videris te de ipsorum cœno & conuersatione mundi istius liberatum, non tuæ id virtuti nec sapientiæ, prouentu pugnæ atque victoriæ inflatus, adscribas, credens te propter labores & studium tuum, & arbitrij libertatem, de spiritalibus nequitijs vel carnalibus vitijs obtinuisse victoriam. Quibus proculdubio in nullo penitus prævalere potuisses, nisi

*Prou. 24.*

*Psal. 72.*

*Deut. 9.*

*Ibid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nisi te Domini communisset ac protexisset auxilium.

*De significatione septem gentium quarum Israel accepit terras, & quare alibi septem & alibi multæ gentes esse dicantur. Cap. XVI.*

HÆ sunt septem gẽtes quarum terras egressis ex Ægypto filijs Israel daturum se Dominus repromittit.
1.Co. 10. Quæ omnia secundum Apostolum cum in figura contingerent illis, ad nostram commonitionem scripta debemus
Deut.7. accipere. Ita enim dicitur: Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te, Ethæum & Gergesæum & Amorrhæum & Chananæum & Pherezæum & Euæum & Iebusæum, septem gentes multo maioris numeri quàm tu es, & robustiores te, tradideritq. eas Dominus tibi, percuties eas vsque ad internecionem. Quòd vero multo maioris numeri esse dicuntur, hæc est ratio, quia plura sunt vitia quàm virtutes. Et ideo in catalogo quidem dinumerantur septem nationes, in expugnatione vero earum sine numeri adscriptione ponuntur. Ita enim dicitur: Et deleuerit
Ibid. gentes multas coram te. Numerosior enim est quàm Israel, carnalium passionum populus, qui de hoc septenario fomite vitiorum ac radice procedit. Exinde enim pullulant homicidia, contentiones, hæreses, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, comessationes, ebrietates, detractiones, ludicra, turpiloquia, mendacia, periuria, stultiloquia, scurrilitas, inquietudo, rapacitas, amaritudo, clamor, indignatio, contemptus, murmuratio, tẽtatio, desperatio, multaq. alia, quæ commemorare perlongum est. Quæ cum a nobis le
1. Co.10. uia iudicentur, quid de illis Apostolus senserit, vel quam super his sententiam tulerit, audiamus: Neque murmuraueritis, inquit, sicut quidam illorum murmurauerunt, & pe-
Ibid. rierunt ab exterminatore. Et de tẽtatione: Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt, & a serpen-
Prou. 20. tibus perierunt. De detractione: Noli diligere detrahere,
sec. lxx. ne eradiceris. Et de desperatione: Qui desperantes semetip-
Ephes. 4. sos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis erroris, in immunditiam. Quòd vero clamor, ficut ira & indi-
Ibid. gnatio & blasphemia condemnetur, eiusdem Apostoli vocibus manifestissime perdocemur, ita præcipientis: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia; aliaq. complura his



his similia. Quæ cum sint multo maioris numeri quàm virtutes, deuictis tamen illis octo principalibus vitijs, ex quorum natura eas certum est emanare, omnia protinus conquiescunt, ac perpetua pariter cum his internecione delentur. De Gastrimargia nãque nascuntur comessationes, ebrietates. De Fornicatione, turpiloquia, scurrilitas, ludicra, ac stultiloquia. De Philargyria, mendacium, fraudatio, furta, periuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentia, inhumanitas ac rapacitas. De Ira, homicidium, clamor & indignatio. De Tristitia, rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio. De Acedia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, peruagatio, instabilitas mentis & corporis, verbositas, curiositas. De Cenodoxia, contentiones, hæreses, iactantia, ac præsumptio nouitatum. De Superbia, contemptus, inuidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio. Quòd autem hæ pestes etiam robustiores sint, manifeste naturæ ipsius impugnatione sentimus. Fortius enim militat in membris nostris oblectatio carnalium passionum, quàm studia virtutum, quæ non nisi summa contritione cordis & corporis acquiruntur. Si autem & illas innumerabiles hostium cateruas spiritalibus oculis contempleris, quas beatus Apostolus enumerat, dicens: Non *Ephes.6.*
est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus: & illud quod de viro iusto in nonagesimo dicitur Psalmo: Cadent a latere tuo mille, & decem milia *Psal.90.*
dextris tuis; liquido peruidebis, quòd multo maioris sint numeri & validiores quàm nos, carnales scilicet atque terreni, quippe cum illis spiritalis atque aerea concessa substantia sit.

*Interrogatio de comparatione septem gentium & octo vitiorum. Cap. XVII.*

GERMANVS. QVomodo igitur octo sunt vitia, quæ nos impugnant, cum per Mosen septem sint gentes dinumeratæ, quæ aduersantur Israeli, vel quemadmodum terras vitiorum commodum nobis est possidere?

*Responsio. quomodo secundum octo vitia octo gẽtium numerus impleatur. Cap. XVIII.*

SERAPION. OCto esse principalia vitia, quæ impugnãt monachum, cunctorũ absoluta sententia est. Quæ figuraliter sub gẽ
tium

tium vocabulo nominata, idcirco nunc omnia non ponuntur, eo quòd egressis de Ægypto, & liberatis ab vna gente validissima, id est Ægyptiorum: Moses vel per ipsum Dominus in Deuteronomio loquebatur. Quæ figura in nobis quoque rectissime stare deprehenditur, qui de sæculi laqueis expediti, Gastrimargiæ, id est, ventris vel gulæ vitio caruisse cognoscimur. Et habemus iam contra has residuas septẽ gentes simili ratione conflictum: prima scilicet, quæ iam deuicta est minime cõputata. Cuius etiam terra in possessionẽ Israeli nõ datur, sed vt deserat eam perpetuo, & egrediatur ab ea, Domini præceptione sancitur. Et idcirco ita sunt moderanda ieiunia, vt non necesse sit per immoderationem continentiæ, quæ defectione carnis vel infirmitate contracta est, reuerti rursus ad Aegyptiorum terram, id est, pristinã gulæ & carnis concupiscentiã, quam cum mũdo huic abrenuntiaremus, abiecimus. Quod figuraliter illi perpessi sunt, qui egressi in solitudinem virtutum, rursus desideraverunt ollas carnium super quas sedebant in Aegypto.

*Deut. 7.*

*Exod. 3.*

*Exod. 16.*

*Num. 11.*

### *Cur vna gens quidem deseri, septem vero iubeantur extingui. Cap. XIX.*

QVod autem illa gens, in qua nati sunt filij Israel, non penitus extingui, sed tantummodo deseri eius terra præcipitur, hæ vero septem vsque ad internecionem iubentur extingui, hæc ratio est, quia quantolibet ardore spiritus succensi eremum virtutum fuerimus ingressi, vicinitate ac ministerio Gastrimargiæ & quodammodo quotidiano eius commercio nequaquam carere poterimus. Semper enim in nobis edulij & escarum, vt ingenitus ac naturalis viget affectus, licet amputare superfluos eius appetitus ac desideria festinemus, quæ sicut per omnia deleri non possunt, ita debent quadam declinatione vitari. De hac enim dicitur: Et carnis curam ne feceritis in desiderijs. Dũ huius ergo curæ quam præcipimur non per omnia abscidere, sed absque desiderijs exhibere, retinemus affectum, euidenter Aegyptiam nationem non extinguimus, sed ab ipsa quadam discretione separamur, non de superfluis seu lautioribus epulis cogitantes, sed secundum Apostolum victu quotidiano indumentoq. contenti. Quod ita figuraliter etiam in lege mandatur: Non abominaberis Aegyptium, quia fuisti incola in terra eius. Necessarius enim victus corpori, non sine ipsius pernicie vel animę scelere dene-

*Rom. 13.*

*1. Tim. 6.*

*Deut. 23.*



negatur. Illarum vero septem perturbationum velut omnimodis noxiarum, de recessibus animę nostrę penitus exterminandi sunt motus. De his enim ita dicitur: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. Et iterum: Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas. Possumus ergo horum, quæ naturæ superinducta sunt, radices abscidere vitiorum, vsum vero Gastrimargiæ nequaquam valebimus amputare. Non enim possumus quantumlibet profecerimus, id non esse quod nascimur. Quod ita esse tam nostra qui sumus exigui, quàm omnium perfectorum vita & conuersatione monstratur; qui cum reliquarum passionum reciderint stimulos, atque eremum toto mentis feruore & corporis expetierint nuditate, nihilominus quotidiani victus prouidentia & annui panis præparatione, nequeunt liberari.

*Ephes. 4.*

*Ephes. 5.*

### *De natura Gastrimargiæ ad similitudinem aquilæ comparatæ. Cap. XX.*

HVius passionis figura, qua necesse est quamuis spiritalem summumq monachum coartari, proprie satis aquilæ similitudine designatur. Quæ cum excelsissimo volatu vltra nubium fuerit altitudinem sublimata, seseq. ab oculis cunctorum mortalium, ac a facie terræ totius absconderit, rursus ad vallium ima submitti, & ad terrena descendere, ac morticinis cadaueribus implicari, ventris necessitate compellitur. Quibus manifestissime comprobatur Gastrimargiæ spiritum nequaquam posse, vt cetera vitia, resecari, vel per omnia semel extingui, sed aculeos eius ac superfluos appetitus virtute animi retundi tantum, ac cohiberi.

### *De perseuerantia Gastrimargiæ aduersus Philosophos disputata. Cap. XXI.*

NAm huius vitij naturam quidam senum cum philosophis disputans, qui eum pro simplicitate Christiana velut rusticum crederent fatigandum, sub hoc problematis figurans colore eleganter expressit. Multis, inquit, creditoribus pater meus me reliquit obnoxium, ceteris ad integrum soluens, ab omni sum eorum conuentionis molestia liberatus, vni satisfacere quotidie soluendo non possum. Cumque illi ignorantes vim propositæ quæstionis, absolutionem

Universidad de Deusto
Biblioteca



tionem eius precario postularent. Multis, ait, vitijs sui naturali condicione constrictus, sed inspirante Domino desiderium libertatis, cunctis illis tamquam molestissimis creditoribus renuntians huic mundo, & omnem substantiam, quæ mihi successione patris obuenerat, pariter a me abijciens satisfeci, atque ab eis sum omnimodis absolutus; Gastrimargiæ vero stimulis nullo modo carere prævalui. Nec enim quamuis eam in paruum modum vilissimamq. redegerim quantitatem, vim quotidianæ compulsionis euado, sed necesse est me perpetuis eius conuentionibus perurgeri, & interminabilem quandam solutionem iugi functione dependere, atque inexplebile indictionibus eius inferre vectigal. Tum illi hunc, quem velut idiotam ac rusticum ante despexerant, pronunciauerunt primas philosophiæ partes, id est, ethicam disciplinam, apprime comprehendisse, mirati admodum potuisse eum naturaliter assequi, quod nulla sæcularis eruditio contulisset, cum ipsi sudore multo longaq. doctrina hæc attingere nequiuissent. Hæc specialiter de Gastrimargia dixisse sufficiat. Nunc reuertamur ad disputationem, quam de generali vitiorum cognatione cœperamus exponere.

### *Cur Abrahæ prædixerit Deus decem gentes expugnandas a populo Israel. Cap. XXII.*

CVm ad Abrahã de futuris Dominus loqueretur, quod vos minime requisistis, non septem gentes legitur dinumerasse, sed decem, quarum terra semini eius danda promittitur. Qui numerus adiecta Idololatria, atque Blasphemia euidenter impletur, quibus ante notitiam Dei & gratiam baptismi, vel impia gentilium, vel blasphema Iudæorum multitudo subiecta est, donec in intellectuali Aegypto commoratur. Si autem abrenuntians quis & egressus exinde per Dei gratiam deuicta pariter Gastrimargia ad eremum peruenerit spiritalem, de impugnatione trium gentium liberatus, contra septem tantum, quę per Mosen dinumerantur bella suscipiet. *Gen. 15*

### *Quomodo vtile nobis sit vitiorum terras possidere. Cap. XXIII.*

QVod vero istarum pernicios arum gentium regiones salubriter possidere præcipimur, ita intelligitur. Habet vnumquodque vitium in corde nostro propriã stationẽ, quam sibi vindicans in animæ nostræ recessu exterminat Israelem,



Israelem, id est, contemplationem rerum summarũ atque sanctarum, eisq. semper aduersari non desinit. Non enim possunt virtutes cum vitijs pariter commorari. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Sed cum ab Israelis populo, id est, virtutibus contra se dimicantibus vitia fuerint superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel Fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas obtinebit: quem Furor cœperat, patientia vindicabit: quem Tristitia mortem operans occupauerat, salutaris & plena gaudio † lætitia possidebit: quem Acedia vastabat, incipiet excolere fortitudo: quem Superbia conculcabat, humilitas honestabit: & ita singulis vitijs expulsis, eorum loca, id est affectus, virtutes contrarię possidebunt. Quæ filij Israel, id est, animæ videntes Deum, non immerito nuncupantur, qui cum vniuersas cordis expulerint passiones, non tam alienas possessiones peruasisse quàm proprias recuperasse credendi sunt. *2. Cor. 6.* *al. tristitia.*

### *Quod terræ, de quibus expulsi sunt populi Chananæorum, semini Sem fuerint deputatæ. Cap. XXIV.*

ETenim, quantum docet vetus traditio, has easdem terras Chananæorum in quas introducuntur filij Israel, filij Sem fuerant quondam in orbis diuisione sortiti, quas deinceps per vim atque potentiam posteritas Cham peruasionis iniquitate possedit. In quo & Dei iudicium rectissimum cõprobatur, qui & illos de locis alienis, quę male occupauerãt expulit, & istis antiquam patrum possessionem, quæ prosapiæ eorum in diuisione orbis fuerat deputata, restituit. Quę figura in nobis quoque stare certissima ratione cognoscitur. Nam voluntas Domini possessionem cordis nostri non vitijs sed virtutibus naturaliter deputauit. Quæ post prævaricationem Adæ insolescentibus vitijs, a propria regione depulsæ, cum ei rursum per Dei gratiam diligentia nostra ac labore fuerint restitutæ; non tam alienas occupasse terras quàm proprias credendæ sunt recepisse.

### *Testimonia diuersa super significatione octo vitiorum. Cap. XXV.*

DE his octo vitijs & in Euangelio ita significatur: Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens *Matt. 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



inuenit vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit & assumit alios septem spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Ecce vt ibi septem gentes legimus, excepta Aegyptiorum, de qua egressi fuerant filij Israel, ita & hic septem introire spiritus dicuntur immundi, excepto eo, qui ab homine prius narratur egressus. De hoc septenario fomite vitiorum Salomon quoque in Prouerbijs ita describit:

*Prou. 26. sec. lxx.* Si te rogauerit inimicus magna voce, ne consenseris ei; septem enim nequitiæ sunt in anima eius. id est, si superatus Gastrimargiæ spiritus cœperit tibi sua humiliatione blandiri, rogans quodammodo, vt aliquid relaxans a cœpto feruore impertias ei, quod continentiæ modum & mensuram iustæ districtionis excedat, ne resoluaris subiectione eius, nec arridente impugnationis securitate, qua videris paulisper a carnalibus incentiuis factus quietior, ad pristinam remissionem vel præteritas gulæ concupiscentias reuertaris. Per hoc enim dicit spiritus ille, quem viceras: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et procedentes ex eo confestim septem spiritus vitiorum, erunt tibi acriores quàm illa passio, quæ in primordijs fuerat superata, quæ te mox ad deteriora perrahent genera peccatorum.

*Matt. 12.*

*Quod deuicta passione gulæ impendendus sit labor ad virtutes ceteras obtinendas. Cap. XXVI.*

QVapropter ieiunijs & continentiæ incubantibus nobis, festinandum est, vt superata gulæ passione, protinus animam nostram vacuam esse a necessarijs virtutibus non sinamus, sed eis vniuersos recessus cordis nostri studiosius occupemus, ne reuersus concupiscentiæ spiritus, inanes nos ab ipsis vacantesq. reperiat, & non sibi iam soli aditum parare contentus, introducat secum in animam nostram septenarium hunc fomitem vitiorum, & faciat nouissima nostra peiora prioribus. Turpior enim erit post hęc & immundior anima, ac supplicio grauiore plectetur, quæ se renuntiasse huic sæculo gloriatur, dominatibus sibi octo vitijs, quàm fuerat quondam in sæculo constituta, cum nec disciplinam monachi fuisset professa nec nomen. Nam & nequiores hi septē spiritus illo priores, qui egressus fuerat, idcirco dicuntur, quia desiderium gulæ, id est, Gastrimargia per sese non esset adeo noxia, nisi intromitteret graviores alias passiones, id est, Fornicationis, Philargyriæ, Iræ, Tristitiæ,



Tristitiæ, siue Superbiæ, quæ per semet noxia animæ ac peremptoria esse non dubium est. Et idcirco perfectionis puritatem numquam poterit obtinere, quisquis eam de hac sola continentia, id est, ieiunio corporali sperauerit acquirendam, nisi nouerit ob id se hanc exercere debere, vt humiliata carne ieiunijs, facilius aduersus alia vitia possit inire certamen, non insolescente carne saturitatis ingluuie.

*Quod non idem ordo prœliorum sit, qui ponitur in catalogo vitiorum. Cap. XXVII.*

SCiendum tamen non eundem esse in omnibus nobis ordinem prœliorum, quia sicut diximus, non vno modo impugnamur omnes, & oportet vnumquemque nostrū secundum qualitatem belli, quo principaliter infestatur, certationum lactamen arripere, ita vt alium necesse sit aduersus vitium quod tertium ponitur, primum exercere conflictum, alium contra quartum seu quintum, & ita prout ipsa vitia in nobis obtinent principatum, vtque impugnationis exigit modus, nos quoq. oportet ordinem instituere prœliorum, secundum quē prouentus quoque victorię triumphiq. succedens, faciet nos ad puritatem cordis & perfectionis plenitudinem peruenire. Hucusque abbas Serapion de natura octo principalium vitiorum nobis edisserens, latentium in corde nostro passionum genera, quarū causas atque affinitates, cum ab ipsis quotidie vastaremur, nec cognoscere penitus antea, nec discernere poteramus, ita lucide reserauit, vt eas quodammodo ante oculos positas, intueri nobis velut in speculo videremur.

## QVINTAE COLLATIONIS abbatis Serapionis de octo principalibus vitijs Finis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# COLLATIO SEXTA,

## QVÆ EST THEODORI ABBATIS,

## DE NECE SANCTORVM.

*Descriptio eremi, & inquisitio de nece sanctorum. Cap. I.*

Amos. 1. IN Palæstinæ partibus, iuxta Thecue vicum, qui Amos prophetam meruit procreare, solitudo vastissima est vsque Arabiam ac mare mortuum (quo ingressa deficiunt fluenta Iordanis, & cineres Sodomorum) amplissima extensione porrecta. In hac summæ vitę ac sanctitatis monachi diutissime commorantes, repente sunt a discurrentibus Saracenorum latrunculis interempti. Quorum corpora licet sciremus tam a pontificibus regionis illius quàm ab vniuersa plebe Arabum tãta veneratione prærepta, & inter reliquias martyrum condita, vt innumeri populi e duobus oppidis concurrentes grauissimũ sibi certamen indixerint, & vsque ad gladiorum conflictum pro sancta rapina sit eorum progressa contentio, dum pia inter se deuotione decertant, quinam iustius eorum sepulchra ac reliquias possiderent, alijs scilicet de vicina commorationis ipsorum, alijs de originis propinquitate gloriantibus: nos tamẽ vel nostra vel quorundam non mediocriter ex hac parte scãdalizantium fratrum offensione permoti, inquirentesq. cur tanti meriti ac tantarum virtutum viri ita sint a latrunculis interfecti, tantumq. Dominus passus fuerit erga suos famulos facinus perpetrari, vt viros cunctis mirabiles in manus traderet impiorum; mœsti ad sanctum Theodorum singularẽ in conuersatione actuali perreximus virum. Hic namq. morabatur in Cellis, qui locus inter Nitriã ac Scithin situs, & a monasterijs quidem Nitriæ quinque milibus distans, octoginta milium solitudine ab eremo Scithi in qua commorabamur interueniente discernitur. Cui cum de prędictorum virorum nece querimoniam fudissemus, admirantes tantam Dei patientiam, quòd viros scilicet illius meriti taliter interimi permisisset, vt qui alios quoque suę sanctitatis põdere de huiusmodi liberare tentatione debuerint, ne seipsos quidẽ prærripuerint de manibus impiorum: aut cur Deus admitti in seruos suos tantũ facinus † cõsensisset; beatus Theodorus respõdit.

† al. concessisset.



*Responsio abbatis Theodori ad propositam quæstionem. Cap. II.*

HAec quæstio illorum solet animos permouere, qui parum fidei vel scientiæ possidentes, merita sanctorum vel præmia, (quæ non in præsenti redduntur, sed reposita sunt in futurum) arbitrantur in huius temporalis vitæ breuitate restitui, Ceterum nos qui non sumus in hac vita tantum sperantes in Christo (ne, secundum Apostolum, miserabiliores simus omnibus hominibus, quia scilicet in hoc mundo nihil promissionum recipientes, etiam in futuro eas pro hac incredulitate perdamus) opinionibus eorum non debemus errare; ne ignorata veræ definitionis sententia titubantes, ac trepidi in tentationibus, cum eisdem nos quoque moueamur, vel iniustitiam scilicet, vel incuriam humanarum rerum Deo (quod dictu quoq. nefas est) adscribentes, quia sanctos viros rectęque viuentes in tentatione non protegat, nec bonis ea, quæ bona sunt, nec malis mala retribuat in præsenti, & cum illis damnari mereamur, quos Sophonias propheta castigans: Qui dicunt, inquit, in cordibus suis, non faciet Dominus bene, sed neque faciet male. vel certe cum illis inueniamur, qui huiusmodi querimonijs Deum blasphemare dicuntur: Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent; aut certe vbi est Deus iustitiæ? illam quoque blasphemiam quæ in subsequentibus describitur, similiter adiungentes: Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes. siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt. Quamobrem vt hanc ignorationem, quæ prauissimi huius erroris radix & causa est, possimus euadere, primum nosse debemus, quid vere sit bonum, quid malum, & ita demum super his non falsam vulgi, sed veram scripturarum definitionem tenentes, minime infidelium hominum decipiemur errore.

1. Cor. 15.

Sophon. 2.

Malac. 3.

Malac. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De tribus quæ in hoc mundo sunt, id est, bonis, malis, & medijs. Cap. III.*

TRia sunt omnia quæ in hoc mundo sunt, id est, bonũ malum, medium. Debemus itaque nosse quid proprie bonum, quid malum, quidve sit medium, vt nostra fides, vera scientia communita in cunctis tentationibus inconcussa perduret. Nihil igitur in rebus dumtaxat humanis principale bonum esse credendum est, nisi virtus animi sola, quæ fide sincera nos ad diuina perducens illi immutabili bono facit iugiter inhærere. Et econtrario nil malum esse dicendum est, nisi peccatum solum, quod a bono Deo nos separans, malo facit diabolo copulari. Media sunt, quæ in vtramq. partem pro affectu & arbitrio vtentis deriuari possunt, vt puta, diuitiæ, potestas, honor, robur corporis, sanitas, pulchritudo, vita ipsa, vel mors, paupertas, infirmitas carnis, iniuriæ, & cetera his similia, quæ pro vtentis qualitate & affectu, vel ad bonam possunt partem
*2.Tim.6.* proficere, vel ad malam. Nam & diuitiæ proficiunt frequenter ad bonum, secundum Apostolum, qui diuitibus huius mundi præcipit, vt facile tribuant, communicent indigentibus, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt per has apprehendant veram vitam. Et secundum
*Luc.16.* Euangelium bonæ sunt illis qui sibi amicos faciunt de iniquo mammona. Quę rursum retorquentur ad malum, cum ad reconcedendum tantummodo, vel ad luxuriam congeruntur, & non ad vsus indigentium dispensantur. Potestas quoque & honor, corporisq. robur ac sanitas, quàm sint media & vtrobiq. conuenientia, etiam ex hoc facile comprobatur, quòd multi sanctorum in veteri testamento potiti his omnibus, & in summis diuitijs & culmine dignitatum ac fortitudine corporis cõstituti, Deo quoque acceptissimi fuisse noscuntur. Et e diuerso qui his male abusi sunt, & ea ad ministerium suæ nequitiæ detorserunt, non immerito vel puniti sunt vel extincti; quod frequenter Regnorum liber indicat factum. De ipsa etiã vita ac morte, quòd mediæ sint, vel sancti Ioannis, vel Iudæ natiuitas protestatur. Vnius namque in tantum sibimet vita profuit, vt alijs quoque gaudium ortus eius contulisse dicatur, secũdum il-
*Luc.1.* lud: Et multi super eius natiuitate gaudebunt: de alterius
*Matt.26.* vero dicitur vita; Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. De morte etiam Ioannis, omniumque sanctorum dicitur



tur: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. *Psal.115.*
De Iudę autem similiumq. eius: Mors peccatorum pessima. *Psal.33.*
Infirmitas etiam carnis interdum quàm fit commoda, Lazari illius vlcerosi beatitudine demonstratur. Cuius cum *Luc.16.*
nulla alia virtutum merita scriptura cõmemoret, pro hoc solo quòd egestatem & infirmitatem corporis patientissime tolerauit, sinus Abrahæ requiem possidere beatissima sorte promeruit. Egestas quoq. ac persecutiones & iniuriæ, quæ mala esse totius vulgi opinione censentur, quàm sint vtiles ac necessariæ etiam ex hoc liquido comprobatur, quòd sancti viri nõ solum eas numquam vitare voluerunt, verum etiam virtute summa vel appetentes, vel fortiter tolerantes, amici Dei effecti, æternæ vitæ sint stipendia consecuti, beato Apostolo concinente: Propter quod placeo mihi *2. Cor.12*
in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cum enim infirmor, *Ibid.*
tunc potens sum; quia virtus in infirmitate perficitur. Et idcirco illi qui summis huius sæculi diuitijs & honoribus ac potestatibus extolluntur, non ex his principale bonum obtinuisse credendi sunt, quod in solis esse virtutibus definitur, sed medium quidam: quia sicut iustis recte ac necessarie vtẽtibus vtilia hæc esse reperiuntur & commoda, (occasionem namq. operis boni fructusq. in illius vitæ æternitate parturiunt,) ita illis qui male abutuntur inutiles sunt ac incommodæ, & occasionem peccati mortisq. concinnant.

*Quod malum nulli inuito ab alio possit inferri. Cap. IV.*

HAs itaque diuisiones fixas atque immobiles retinẽtes, scientesq. nihil esse bonum, nisi virtutem solam, quę ex timore Dei ac dilectione descendit, nec malum quidquam nisi peccatum solum, & separationem a Deo; diligenter nunc discutiamus, vtrum Deus vmquam sanctis suis, aut per se, aut per alium quempiam inferri permiserit malum: quod sine dubio nusquam omnino reperies. Nec enim potuit aliquando cuiquam nolenti ac resistenti malum peccati alter inferre, nisi illi soli qui illud in sese cordis ignauia & corrupta voluntate susceptit. Denique cum beato Iob diabolus adhibitis vniuersæ nequitiæ suæ ma- *Iob.1.*
chinis malum hoc peccati voluisset inferre, ac non solum cunctis eum facultatibus spoliasset, verumetiam post illum de morte septem filiorum tam atrocem tamq. inspera-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Iob.2.* tum orbitatis dolorem, vulnere eum pessimo a capitis vertice vsque ad plantam pedum, & intolerandis cruciatibus onerasset, nequaquam ei peccati maculam quiuit infligere, quia in cunctis immobilis perseuerans, nullum blasphemię accommodauit assensum.

*Obiectio, quemadmodum Deus dicatur creare mala.*

GERMANVS. *Cap. V.*

*Esai. 45.* FRequenter legimus in scripturis sanctis Deum creasse mala, vel hominibus intulisse, vt est illud: Quoniam absque me non est Deus, ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans
*Amos. 3. sec. lxx.* mala. Et iterum: Si est malitia in ciuitate, quam Dominus non fecit?

*Responsio super interrogatione proposita.*

THEODORVS. *Cap. VI.*

NOnnumquam solet scriptura diuina abusiue mala pro afflictionibus ponere; nō quia per naturā proprie mala sint, sed secūdum hoc quòd ab his sentiātur mala quibus vtiliter inferuntur. Cum hominibus enim disputans diuina censura, necesse est vt humanis verbis & affectibus eloquatur. Etenim sectio vel vstio salutaris, quæ illis qui vlcerum contagione putrefacti sunt, pie infertur a medico, mala a tolerantibus creditur, nec equo calcar, nec emendatio suauis est delinquenti. Omnes etiam disciplinæ his qui erudiuntur amaræ sentiuntur ad præsens, sicut Apostolus dicit: Omnis autem disciplina in præsenti non videtur esse gaudij sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum his, qui per se exercitati sunt, reddit iustitiæ. Et: Quē diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Quis enim est filius quem non corripit pater? Itaque mala nonnumquam poni pro afflictionibus solent, secundum illud: Et pœnituit Deum super malitiam quam locutus est vt faceret eis, & non fecit. Et iterum: Quia tu Domine misericors, & miserator, patiens & multum misericors, & pœnitens in malitijs; id est, super tribulationibus & ærumnis quæ nobis pro peccatorum nostrorū meritis inferre compelleris. Quas sciens vtiles esse nonnullis. ita alius propheta, vtique nō inuidens saluti eorum, sed consulens, imprecatur dicens: Adde illis mala Domine, adde mala glorioſis terræ. Et ipse Dominus: Ecce, inquit, inducam super eos mala; id est, dolores ac vastitates, quibus in præ-

*Hebr. 12.* *Ibid.* *Ibid.* *Hiere. 26.* *Ionæ 4.* *sec. lxx.* *Esai. 26.* *sec. lxx.* *Hiere. 11.*



præsenti salubriter castigati, ad me, quem in rebus prosperis contempserunt, reuerti tandem ac festinare cogantur. Ideoque hæc principalia esse mala non possumus definire; multis enim ad bonum proficiunt, & causas æternorum pariunt gaudiorum. Et idcirco vt ad quæstionem propositam recurramus, vniuersa quæ putantur mala nobis ab inimicis, vel a quibuscumq. alijs irrogari, non sunt credenda mala esse, sed media. Non enim talia inuenientur qualia putat esse ille, qui intulit animo furibundo, sed qualia senserit ille qui sustinet. Ideoque cum illata fuerit mors viro sancto, non ei malum illatum esse credendum est, sed medium quoddam. Quod cum peccatori malum sit, iusto requies & absolutio sit malorum: Mors enim viro requies, *Iob.3.* cuius via abscondita est. Et ideo nec vir iustus ex hac ali- *sec.lxx.* quod perpetitur detrimentum qui nihil pertulit noui, sed id quod ei accessurum fuerat necessitate naturæ, inimici nequitia non sine præmio vitæ perennis excepit, ac debitum mortis humanæ quod inexcusabili lege reddendum est, cum fructu vberrimo passionis, ac magnæ remunerationis mercede persoluit.

*Interrogatio, an reus sit, qui iusto intulit mortē, cum iustus hæ-*

GERMANVS *beat de morte mercedem. Cap. VII.*

ERgo si interemptus iustus non solum nihil mali perpessus est, sed etiam mercedem passionis assequitur, quomodo in reatum vocabitur, qui non nocuit mortem inferendo, sed profuit?

*Responsio ad præcedentem interrogationem.*

THEODORVS *Cap. VIII.*

NOs de proprietate boni malique, vel eius quod diximus esse medium disputamus, non de affectu eorum qui ista committunt. Nec enim quis impius vel iniquus idcirco impunitus erit, quia malitia sua iusto nocere non potuit. Tolerantia enim & virtus iusti non illi, qui mortem vel supplicia intulit, sed illi proficit ad mercedem, qui illata sibi patiēter excepit. Ideoque & hic merito punietur pro crudelitatis sæuitia, qua malum voluit inferre, & ille nihilominus nihil mali perpessus est, quia virtute animi sui patienter tentationes doloresq. sustentans, ea quæ malo proposito illata sunt, ad profectum melioris status, & æternæ vitæ fecit beatitudinem pertinere.

Exem-

*Exemplum beati Iob a diabolo tentati, & Domini a Iuda traditi: & quod iusto tam prospera quam aduersa proficiant ad salutem. Cap. IX.*

NEque,enim patientia Iob mercedē diabolo quia eum illustriorem suis tentationibus reddidit, sed illi ipsi qui eas viriliter pertulit,acquisiuit;nec Iudas æterni supplicij immunitate donabitur, quia proditio eius ad salutem generis profecit humani. Non enim prouentus considerandus est operis, sed operantis affectus. Quapropter hæc debet in nobis definitio immobiliter custodiri, quòd nulli malum ab alio possit inferri, nisi qui illud ignauia sui cordis ac pusillanimitate contraxerit; hanc eandem sententiā
*Rom. 8.* beato Apostolo vno versiculo confirmante: Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum. Dicens enim, Omnia cooperantur ad bonum, vniuersa non solum prospera, verum etiam quæ putantur aduersa pariter comprehendit. Per quæ & in alio loco idem Apostolus se transisse describit, cum dicit: Per arma iustitiæ, quæ sunt a dextris,& a sinistris, id est, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces, vt tristes, semper autem gaudentes, vt egentes, multos autem locupletantes, &c. Omnia ergo quæ prospe-
*2. Cor. 6.* ra reputantur, & dextræ dicuntur partis, quæ sanctus Apostolus gloriæ & bonæ famæ vocabulo designauit; illa etiam quæ existimantur aduersa, quæ per ignobilitatem & infamiam euidenter expressit, quæque a sinistris esse describit, efficiuntur viro perfecto arma iustitiæ, si illata sibi magnanimiter sustentauerit; quòd videlicet per hæc dimicans, & istis ipsis quibus impugnari putatur aduersis tamquam armis vtendo, eisque velut arcu & gladio scutoq. validissimo contra illos,qui hæc ingerunt communitus,profectum suæ patientiæ ac virtutis acquirat,glorioſum constantiæ triumphum ex ipsis quæ letaliter inferuntur capiens hostium telis,nec prosperis dumtaxat elatus,nec deiectus aduersis,sed itinere plano ac via regia semper incedens, ab illo tranquillitatis statu nequaquam lætitia superueniente quasi in
*Psal.118.* dexteram motus,nec aduersus ingruētibus,tristitiaq. dominante velut ad leuam rursus impulsus. Pax enim multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum. De illis vero qui per singulos incurrentes casus pro eorum qualitate
*Eccle.27.* ac varietate mutantur, ita dicitur: Stultus autem sicut luna mutatur: Vt enim de perfectis ac sapientibus dicitur: Diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum; ita de infirmis pronunciatur ac stultis: Omnia aduersa viro insipienti: nec prosperis enim rebus proficit,nec emendatur aduersis. Eiusdem namque virtutis est tristia fortiter tolerare, cuius etiam secunda moderari; & eum qui in vno eorum superatur,neutrum sufferre certissimum est. Facilius tamen quis elidi potest prosperis,quàm aduersis. Hæc enim interdum etiam inuitos retinent atq. humiliant, & compunctione saluberrima vel minus peccare faciunt, vel emendant: illa vero mollibus mentē ac perniciosis extollentia blandimentis, securos felicitatis suę prouentu ruina maiore prosternunt.



*Rom. 14.* *Prou. 14.* *sec. lxx.*

*De virtute viri perfecti, qui ambidexter figuraliter nuncupatur. Cap. X.*

ISti sunt ergo qui figuraliter in scripturis sanctis ἀμφοτερο-δέξιοι, id est, ambidextri nuncupātur, vt ille Aod in li-
*Iudic.3.* bro Iudicum fuisse describitur, qui vtraque manu vtebatur pro dextera. Quam virtutē ita poterimus nos quoque intellectualiter possidere, si ea, quæ aduersa sunt dexteraq. censentur,& ea, quæ aduersa sunt ac sinistra dicuntur, bono rectoque vsu ad partem dextram fecerimus pertinere. vt quęcumq. fuerint illata, fiant nobis, secundum Apostolum, arma iustitiæ. Duabus namq. partibus,& (vt ita dixerim) manibus interiorem hominem nostrum subsistere peruidemus; nec quisquam sanctorum carere hac sinistra, quam dicimus, potest, sed in hoc virtus perfecta discernitur, si vtramque in dexterā bene vtendo cōuertat. Et vt manifestius hoc quod dicimus possit intelligi, habet vir sanctus dexteram, successus videlicet spirituales, in qua tunc consistit, quando feruens spiritu, desiderijs & concupiscentijs omnibus dominatur, quando ab omni diabolica impugnatione securus absque vllo labore ac difficultate vitia carnis vel respuit vel abscidit, cū sublimatus a terra vniuersa præsentia atque terrena velut inanē fumum vmbramque vacuam contemplatur,& vt mox transitura cōtemnit, cum futura per excessum mentis, non solum ardentissime concupiscit, verum etiam clarius intuetur, cum efficacius spiritualibus pascitur theorijs, cum lucidius reserata sibi conspicit cælestia sacramēta, cum orationes purius atque alacrius emittit ad Deum, cum ita spiritus ardore succensus ad ea
*2. Cor. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad ea quæ inuisibilia sunt & æterna tota animi alacritate transmigrat; vt nequaquam se iam credat in carne cõsistere. Habet similiter & sinistram, cum tentationum turbinibus implicatur, cum ad desideria carnis incentiuorum ęstibus inflammatur, cum ad iracundiæ furorem perturbationum igne succenditur, cum superbiæ seu cenodoxiæ elatione pulsatur, cum tristitia mortem operante deprimitur, cum machinis acediæ & impugnatione concutitur, cumque omni spiritali feruore subtracto, quodam tepore atque irrationabili mœrore torpescit, vt non solum cogitationibus rectis ac feruentibus deseratur, sed etiam psalmus, lectio, oratio, cellæ remotio simul horreant, & intolerabili quodam terroq. fastidio vniuersa sordeant instrumenta virtutum, quibus cum pulsatur monachus, sinistris partibus se cognoscat vrgeri. Quisquis igitur in illis quæ dextræ partis esse prædiximus, minime fuerit subintrante gloria vanitatis elatus, & in istis quæ sinistræ partis sunt, viriliter dimicans, nulla desperatione conciderit, ac potius de contrarijs arma quædam patientię ad exercitium virtutis assumpserit, vtraque manu vtetur pro dextra, & in vtroque actu triumphator effectus, tam de sinistro statu quàm de dextro palmam victoriæ consequetur. Qualem beatum Iob legimus meruisse, qui vtique per dextrã coronabatur, quando septem filiorum pater opulentus ac dives incedens quotidiana pro eorum purificatione sacrificia Domino deferebat, non tam sibi eos quàm Deo susceptos ac familiares cupiens exhibere, quando ianua eius omni aduenienti patebat, quando erat pes claudorum, & oculos cæcorum, quando de velleribus ouium eius humeri calefiebant infirmorũ, quando erat orphanorum pater, & viduarum, quando nec corde quidem suo super inimici sui ruina gauisus est. Idemque rursus per sinistram partem sublimiore virtute de aduersitatibus triumphabat, cum septem filijs vno orbatus momento, non vt pater acerbo luctu conficiebatur, sed vt verus Dei famulus super creatoris sui voluntate gaudebat; cum ex locuplete pauperrimus, nudus ex diuite, ex valido tabidus, ex inclyto & glorioso ignobilis atque despectus, incorruptam animi fortitudinem retentabat; cũ denique omni substantia atq. opibus destitutus, sterquilinij factus erat habitator, & velut quidam corporis sui sæuissimus carnifex testa radebat saniem profluentem, atque ex omni parte membrorum glebas vermium mersis in profunda vulnerum digitis detrahebat. In quibus cunctis in nullã desperando blasphemiã est prolapsus, nec aduersus creatorem suum in aliquo murmurauit, quinimmo nequaquam tanta tentationũ mole atque acerbitate conterritus, ipsũ quoque quod ex omni pristina facultate suo corpori superfuerat indumẽtum, quodq. solum quia ipso vestiebatur, a diaboli potuerat vastatione saluari, rescindens atque abiiciens adiecit super illam quam dirissimus prædo intulerat spontaneam nuditatem. Comam quoque capitis, quæ sola de prioris gloriæ reliquijs intacta remãserat, vexatori suo proiecit abscisam, & amputans etiam id quod sæuiens reliquerat inimicus, illa cælesti aduersus eum voce tripudiat & insultat: Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, sic factum est: sit nomen Domini benedictũ. Ambidextrum etiam merito dixerim Ioseph, qui in prospe ris gratior patri, religiosior fratribus, acceptior Deo: in aduersis castus, domino fidelis, carceris mitissimus vinctis, iniuriæ immemor, beneficus inimicis; inuidis, & quantum in ipsis fuit interfectoribus fratribus non solum pius, sed etiam munificus inuenitur. Hi ergo eorumq. consimiles recte ἀμφοτερόδεξιοι, id est, ambidextri nuncupãtur. vtraq. enim manu vtuntur pro dextra, & inter hæc, quæ Apostolus dinumerat transeuntes, pariter dicunt: Per arma iustitiæ, quæ a dextris sunt, & a sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiã & bonam famam, &c. De qua dextera vel sinistra ita Salomon ex persona sponsæ loquitur in Cantico canticorum: Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Quas licet vtraq. vtiles esse significet, tamen leuam sub capite suo ponit, quia subiacere debent aduersæ partes principali. Ad hoc siquidem tantum vtiles sunt, vt pro tempore nos exerceant & erudiant ad salutem, ac perfectos ad patientiam reddant: dexteram vero ad confouendam se ac perpetuo conseruandam salutari amplexu sponsi sibimet cohærere, atque insolubiliter ei optat innecti. Erimus igitur ambidextri, quando nos quoque rerum præsentium copia vel inopia non mutarit, & nec illa nos ad voluptatis noxiæ remissionem impulerit, nec ista ad desperationem attraxerit, & querelam; sed similiter

*Eccli. 30.*
*Iob. 1.*
*Iob. 29.*
*Iob. 31.*
*Iob. 1.*
*Iob. 2.*



*Iob. 2.*
*Ibid.*
*Geneſ. cap. 37.*
*Gen. 39.*
*2. Cor. 6.*
*Cantic. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



liter Deo grates in vtroque referentes parem fructum de secundis aduersisq. capiemus, qualem se ille verus ambidexter doctor gentium fuisse testatur, dicens: Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. scio & humiliari, scio & abundare; vbique & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati; omnia possum in eo qui me confortat. *Philip. 4.*

*De duplici genere tentationum, quæ triplici modo inferuntur. Cap. XI.*

ERgo licet dixerimus tentationem bipartitam esse, id est, in rebus vel prosperis vel aduersis, sciendum est: tamen omnes homines triplici ratione tentari. Plerumque ob probationem, nonnumquam ob emundationem, interdum ob merita delictorum. Et ob probationem quidem, vt beatum Abraham, vt Iob, multosq. sanctorum quos tribulationes innumeras legimus pertulisse: vel illud quod in Deuteronomio dicitur ad populum per Mosen: Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te atque tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur, vtrum custodires mandata illius, an non. & illud quod in Psalmo dicitur: Probaui te apud aquam contradictionis. Ad Iob quoque: An putas me tibi aliter locutum, quàm vt appareres iustus? Ob emundationem vero, cum Dominus iustos suos pro paruis quibusdam leuibusq. peccatis, seu pro elatione suæ puritatis humilians diuersis tentationibus tradit: vt omnem sordem cogitationum, & vt verbis Prophetæ dicam: Scoriam quam in occultis eorum peruidet esse concretam, excoquens in præsenti, velut aurum purum futuro transmittat examini, nihil in eis residere permittens, quod scrutans post hæc iudicij ignis pœnali cruciatu expurgaturus inueniat, secundum illud: Multæ tribulationes iustorum. &: Fili, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo increparis. quē enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit. quis enim est filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulterini & non filij estis & in Apocalypsi: Ego quos amo, arguo & castigo. Ad quos etiam sub figura Hierusalem, ex persona Dei ita per Hieremiam sermo dirigitur: Faciam enim consummationem in cunctis gentibus in qui-

*Gen. 22.* *Iob. 1. et 2* *Deut. 8.* *Psal. 80.* *Iob. 40.* *Sec. lxx.* *Esai. 1.* *Psal. 33.* *Hebr. 12.* *Apoc. 3.* *Hiere. 30*



in quibus dispersi te, te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in iudicio, vt non tibi videaris innoxius. Pro qua salutari emundatione orat Dauid, dicens: Proba me Domine & tenta me; vre renes meos & cor meum. Hieremias quoque vtilitatē huius tentationis intelligens: Corripe, inquit, nos Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo. Et Esaias: Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Pro merito autem peccatorum plaga tentationis infertur, vt vbi plagas populo Israeli immissurum se Dominus comminatur, dicens: Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram. &: Frustra percussi filios vestros, disciplinam non recepistis. In Psalmis quoque: Multa flagella peccatoris. Et in Euangelio: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Inuenimus sane & quartam rationem, qua ob manifestandam solummodo gloriam & opera Dei inferri quibusdam aliquas passiones scripturarum auctoritate cognoscimus, secundum illud Euangelij: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Et iterum: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per ipsam. Sunt autem & alia vltionum genera, quibus nonnulli qui malitiæ supergressi sunt cumulum percutiuntur ad præsens, vt Dathan & Abiron siue Core legimus fuisse damnatos, & vel maxime illos, de quibus Apostolus dicit: Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum; quod etiam ceteris pœnis grauius iudicandum est. De ipsis namque Psalmista: In laboribus, inquit, hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Non enim merentur saluari visitatione Domini, nec temporalibus plagis consequi medicinam; qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis erroris in immunditiam: quiq. obdurationē cordis, & vsu ac frequentia delinquendi purgationem breuissimi huius æui & vltionem vitæ præsentis excedunt. Quibus per Prophetā sermo diuinus exprobrat: Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham, & facti estis sicut torris erutus de incendio, & nec sic redistis ad me, dicit Dominus. Et Hieremias: Interfeci & perdidi populum meum, & tamen a vijs suis non sunt reuersi. Et iterum:

*Psal. 25.* *Hiere. 10.* *Esai. 12.* *Deut. 32.* *Hiere. 2.* *Sec. lxx.* *Psal. 31.* *Iean. 5.* *Ioan. 9.* *Ioan. 11.* *Num. 16* *Rom. 1.* *Psal. 72.* *Ephes. 4.* *Amos. 4.* *Hiere. 15*

Per-

*Hiere. 5.* Percussisti eos & non doluerunt, attriuisti eos & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas super petram,& noluerunt reuerti. Erga quorum curationem,omnẽ temporis istius medicinam videns propheta incassum fuisse consumptam, desperans quodammodo iam de eorum
*Iiere. 6.* salute proclamat: Defecit sufflatorium, in igne consumptũ est plumbum,frustra conflauit conflator; malitiæ enim eorum non sunt consumptę,argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Hanc salutarem ignis purgationem circa eos qui prædurati sunt sceleribus suis, inaniter se Dominus adhibuisse sub figura ollæ concretæ
*Ezech.24* profunda rubigine peccatorum, ita conqueritur: Pone, inquiens, eam super prunas vacuam, vt incalescat & liquefiat æs eius; & confletur in medio eius inquinamentum eius,& consumatur rubigo eius: multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius,neque per ignẽ. Immunditia tua execrabilis; quia mundare te volui, & non es mundata a sordibus tuis. Quamobrem vt peritissimus medicus expensis omnibus salutaribus curis, nec vllum iam remedij genus,quod infirmitati eorum possit aptari Dominus supereſſe cõspiciens, quodammodo iniquitatum magnitudine superatur, ac discedere ab illa clementi sua
*Ezech.16* castigatione compellitur; itaque eis denunciat,dicens: Iam non irascar tibi: & zelus meus recessit a te. De alijs vero quorum non prædurauit cor frequentia peccatorum, nec illa seuerissima,& (vt ita dixerim) caustica indigent medicina, sed eruditio salutaris verbi sufficit ad salutem, dici-
*Osee.7.* tur: Emendabo eos in auditu tribulationis suæ. Non ignoramus alias quoque animaduersionum siue vltionum
*sec. lxx.* causas quæ inferuntur his qui grauissime deliquerunt, non ad expianda eorum crimina, nec ad abolenda merita peccatorum, sed ad emendationem metumq. viuentium. quæ
*3.Reg.14.* euidenter in Ieroboam filium Nabat; Baasa quoque filium
*3.Reg.16.* Ahiæ, & Achab atque Iezabel,illata cognoscimus, ita pro-
*3.Reg.21.* nunciante diuina censura: Ecce, ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israel: & dabo domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Ahiæ, quia egesti vt me ad iracundiam prouocares, & peccare feciſti Israel. canes etiam comedent Iezabel in agro Iezrael. si mortuus fuerit



rit Achab in ciuitate, comedent eum canes; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli. Et illud quod pro ingenti comminatione denuntiat: Non inferetur *3.Reg.13.* cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum; non quo vel illius tam profana commenta, qui vitulos aureos ad perpetuam præuaricationem plebis impiamq. a Domino separationem primus instituit,vel illorum tam innumera tamq. nefaria sacrilegiorum crimina hæc excoquere breuis ac momentanea pœna sufficeret, sed vt ceteris quoque qui futura vel negligentes vel penitus non credentes, consideratione tantummodo præsentium frangebantur, terror istarum quas metuebant vltionum, incuteretur exemplo, nec apud illam summi numinis maiestatem esse humanarum rerum & quotidianæ dispensationis incuriam documento huius seueritatis agnoscerent; ac retributorem Deum cunctorum actuum per hæc quæ grauissime formidabant manifestius peruiderent. Inuenimus sane etiam pro leuioribus culpis nonnullos eandem mortis ad præsens excepisse sententiam, qua sunt & illi puniti quos prædiximus extitisse sacrilegæ præuaricationis auctores, vt factum est in illo qui *Num.15.* sabbato ligna collegerat; vel in Anania & Sapphira, qui parum quid clam de substantia sua infidelitatis errore seruauerant: non quòd æqualia fuerint pondera peccatorum, sed quia nouæ transgressionis præsumptores reperti debuerunt præbere ceteris quemadmodum peccati, ita etiam pœnæ ac terroris exemplum, vt quisquis ea deinceps affectare tentasset, nosset sibi secundum eandem formam qua illi damnati sunt, etiam si in præsenti supplicium differatur, in futuri iudicij examinatione reddendum. Et quia videmur excessum quendam dum genera tentationum vel vltionum percurrere volumus, a proposita narratione feciſſe, qua dicebamus virum perfectum in vtraque tentatione manere semper immobilem, ad eandem nunc iterum reuertamur.

## *Quomodo vir iustus non ceræ, sed adamantino signatorio debeat esse consimilis.* Cap. XII.

ITaque mens viri iusti non debet esse similis cerę vel alterius cuiusque materiæ mollioris, quæ semper characteri signantium cedens pro eius forma atque imagine figuratur, quamque in se tamdiu retinet, donec alio rursus superimpresso signaculo reformetur; atque ita fit, vt numquã in

sua qualitate persistens, ad formam eorum, quæ imprimuntur, semper conuertatur ac transeat; quin potius debet velut quoddam esse adamantinum signatorium, vt inuiolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, vniuersa quæ incurrerint sibi ad qualitatem sui status signet atque transformet, ipsa vero insigniri nullis incursius possit.

*Interrogatio si possit mens iugiter in vna atque eadem qualitate durare. Cap. XIII.*

GERMANVS

POtest ne mens nostra vnum statum iugiter retinere, & in eadem semper qualitate durare?

*Responsio ad interrogantis propositionem.*

THEODORVS *Cap. XIV.*

2.Cor.4. NEcesse est, vt secundum Apostolum, aut renouatus quis spiritu mentis suæ per singulos dies proficiat, ad Philip. 3. ea se quæ in ante sunt semper extendens, aut si neglexerit, cõsequens est vt retro redeat atque in deterius relabatur. Et idcirco nullo modo poterit mens in vna atque eadem qualitate durare; velut si quis contra aquas violenti fluminis nauem subigere remorum impulsione conetur, necesse est eum aut virtute brachiorum torrentis aluei impetum desecantem ad superiora conscendere, aut remissis manibus ad præceps prono amne reuocari. Quapropter istud erit euidens nostri indicium detrimenti, si intellexerimus nos nihil amplius acquisisse; nec dubitemus retrorsum nos fuisse omnimodis reuocatos, qua die non senserimus ad superiora progressos: quia, vt dixi, nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere, nec in hac carne consistens, ita virtutum apicem possidebit quisquis ille sanctorum, vt immobilis perseueret. Necesse est enim aut aliquid adijci illis semper aut minui; nullaq. in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subiaceat passioIob.25. ni, secundum illud quod in libro beati Iob legitur: Quid est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mũdi in conspectu eius. Solum namque Deũ immutabilem confitemur, quem tantummodo sancti illius Psal.101. Prophetæ ita compellat oratio: Tu autem idem ipse es. Et Malac.3. ipse de se: Ego sum, inquit, Dominus, & non mutor. quia scilicet solus ipse sit naturaliter semper bonus, semper plenus, semperq. perfectus, cui nihil nec adijci possit aliquando, nec



nec minui. Ideoque debemus ad virtutum studia irremissa cura ac solicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsisq. nos iugiter exercitijs occupare, ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur. Vt enim diximus, in vno mens eodemq. statu manere non præualet; id est, vt nec augmenta virtutum capiat, nec detrimenta sustineat. Non acquisisse enim, minuisse est, quia desinens Proficiendi appetitus nõ aberit a periculo recidendi.

*Quod detrimentum sit discedentis e cella. Cap. XV.*

IDeoq. iugis cellæ commoratio retentanda est. Toties enim, etiam reuersus quis, velut nouus in ea & incipiens habitator titubabit atque turbabitur, quoties ab eadem fuerit euagatus. Illam namque quam in cella residens acquisierat intentionem animi, si fuerit relaxata, recuperare rursus non sine labore poterit ac dolore, & per hoc reductus retro non de amisso cogitabit profectu, quem superadijcere potuit si cella non fuisset excussus, sed gaudebit potius si illum statum de quo recidit, semetipsum sensserit recepisse. Nam sicut amissum ac præteritum tempus vlterius reuocari non potest, ita ne illa quidem quæ perierunt possunt emolumenta restitui. Quantumlibet enim post hæc animi intentio fuerit operata, instantis diei profectus & præsentis tẽporis quæstus est, non lucri semel perditi reparatio.

*De mutabilitate etiam supernarum cælestiumq. virtutum. Cap. XVI.*

MVtabilitati autem etiam supernas potestates, vt diximus, subiacere, declarant, illi qui de eorum numero voluntatis corruptæ vitio corruerunt. Vnde neque illi immutabilis naturæ esse putandi sunt, qui in illa qua creati sunt beatitudine perseuerant, eo quòd in contrariam partẽ non fuerint similiter depranati. Aliud namque est immutabilis naturæ esse, aliud virtutis industria boniq. custodia per immutabilis Dei gratiam non mutari. Quidquid enim per diligentiam vel acquiritur vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire. Ideoq. dicitur: Ne beatifices hominem ante exitum suum. quòd videlicet adhuc in colluctatione quis, & (vt ita dixerim) scammate constitutus, quamuis vincere soleat, ac frequentes palmas victoriæ consequatur, non potest tamen a metu ac suspicione incerti prouentus esse securus. Et idcirco Deus solus immutabilis vel bonus dicitur, qui bonitatem non industriæ studio, sed natu- Eccl.11.

raliter possidens, non potest aliud quid esse quàm bonus. Nulla igitur virtus potest immobiliter ab homine possideri, sed vt parta iugiter teneatur, necesse est eam semper illa qua acquisita est, sedulitate atque industria custodiri.

*Quod nemo ruina subitanea collabatur. Cap. XVII.*

LApsus vero quispiam nequaquam subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitijs increscen-
*Prou. 16. sec. lxx.* tibus casu miserabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit iniuria, & ante ruinam mala cogitatio; quemadmodum domus numquam subitaneo ad ruinam procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium desidia, stillicidijs primum paruissimis penetrantibus corrupta sensim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetustam negligentiam in maiorem modum patefactis atque collapsis, riuatim post hæc influit pluuia-
*Eccls. 10.* rum imbriumq. tempestas. In pigritijs enim humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum stillabit domus. Quod animæ spiritaliter euenire idem Salomon alijs verbis ita
*Prou. 27. ec. lxx.* designat: Stillicidia, inquiens, eijciunt hominem in die hiemali de domo sua. Eleganter ergo mentis incuriam domati comparauit tectoq. neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum: quæ si velut parua ac leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hęc influunt imbres largissimi vitiorum; per quos in die hiemali, id est, in tempore tẽtationis ingruente impugnatione diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens velut in domus propriæ possessione requieuerat. His itaque cõpertis infinitam spiritalis cibi percepimus voluptatẽ, ita vt ex hac collatione maiore animi gaudio repleremur, quàm ante tristitia super nece sanctorum fueramus affecti. Non solum enim de quibus hæsitabamus edocti sumus, verum etiam illa, quæ pro tenuitate sensus nostri minus inquirere noueramus, sub illius quæstionis interrogatione cognouimus.

*SEXTÆ COLLATIONIS ABBATIS Theodori de nece sanctorum Finis.*

COLLA-



# COLLATIO SEPTIMA,

## QVÆ EST PRIMA ABBATIS SERENI,

## DE ANIMÆ MOBILITATE, ET SPIRITALIBVS NEQVITIIS.

*De castitate abbatis Sereni. Cap. I.*

SVMMÆ sanctitatis & continentiæ virũ, nominisq. sui speculum abbatem Serenum, quem singulari sumus veneratione præ ceteris admirati, studiosorum mentibus insinuare cupientes, aliter arbitramur desiderium nostrum nos explere non posse, quàm si collationes eius nostris libellis tentauerimus inserere. Cui supra omnes virtutes quæ non solum in eius actu vel moribus, sed etiam in ipso vultu per Dei gratiam refulgebant, ita est peculiari beneficio donum castitatis infusum, vt iam se ne ipsis quidem naturalibus incentiuis inquietari vel in sopore sentiret. Ad quam tamen præcipuam puritatem quemadmodum gratia Dei adminiculante peruenerit, quoniam supra humanæ videtur condicionẽ naturæ, necessariũ reor primitus explicare.

*Interrogatio prædicti senis super statu cogitationum nostrarum. Cap. II.*

HIc igitur pro cordis atque animæ castitate nocturnis diurnisq. precibus, ieiunijs quoque ac vigilijs infatigabiliter insistens, cum vidisset orationum suarum obtinuisse se vota, cunctosq. æstus in corde suo concupiscentiæ carnalis extinctos, velut suauissimo gustu puritatis accensus, in maiorem sitim, zelo castitatis exarsit, & intentioribus cœpit ieiunijs atque obsecrationibus incubare, vt mortificatio passionis huius ad exteriorem etiam puritatem eatenus perueniret, vt ne ipso quidem simplici ac naturali motu, qui etiam in paruulis atque lactantibus excitatur, vlterius pulsaretur; indepti scilicet muneris experimento, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca



se nouerat non laborum merito, sed Dei gratia consecutũ, ardentius animatus ad hoc quoque similiter obtinendum, credens multo facilius hos stimulos carnis radicitus Deum posse conuellere, quos etiam humanæ artis industria nonnumquam solet quibusdam poculis vel medicamentis, seu ferri sectione detrahere; quandoquidem illam spiritus puritatem, quæ sublimior est, quamque impossibile est humano labore vel studio comprehendi, suo munere contulisset. Cumque petitioni cœptæ supplicatione iugi ac lacrymis indefessis insisteret, adueniens ad eum angelus in visione nocturna, eiusq. velut aperiens vterum, quandam ignitam carnis strumam de eius visceribus auellens atque proijciẽs, suisq. omnia vt fuerant locis intestina restituens: Ecce, inquit, incentiua tuæ carnis abscisa sunt, & obtinuisse te noueris hodierna die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter popoſcisti. Hæc de gratia Dei, quæ memorato viro peculiariter attributa est, breuiter dixisse sufficiat. Ceterum de illis virtutibus, quas cum reliquis summis viris communiter possidebat, aliquid commemorari superfluum puto, ne specialis super nomine huius ista narratio alijs demere videatur id, quod de isto singulariter fuerit prædicatũ. Hunc igitur summo desiderio collationis eius atque institutionis accensi, diebus quadragesimæ videre curauimus. Qui cum a nobis de qualitate cogitationum nostrarum & interioris hominis statu, tranquillissima compellatione quæsisset, vel quid nobis ad eius puritatem tanti temporis eremi habitatio contulisset, his eum querimonijs adorsi sumus.

*Responsio nostra super animæ mobilitate. Cap. III.*

SVpputatio temporum ac solitudinis habitatio, cuius cõtemplatione interioris hominis perfectionem nos consequi debuisse decet, hoc solummodo contulit nobis, vt disceremus quid esse nequeamus, non tamen fecit esse quod esse contendimus: nec tamen aut desideratæ puritatis fixam stabilitatem, aut robur aliquod firmitatis nos hac scientia nouimus assecutos, sed tantummodo confusionis ac pudoris augmenta. Etenim cum omnium disciplinarum meditatio ad hoc quotidianis studijs exerceatur atque proficiat, vt a trepidis rudimentis ad peritiam certam stabilemq. perueniens, incipiat nosse quæ primitus vel ambigue nouerat vel penitus ignorabat, & firmo (vt ita dixerim) gradu in illius



illius disciplinæ qualitate procedens, perfecte in ea ac sine vlla iam difficultate versetur; e contrario me in huius puritatis studio laborantem, id solummodo profecisse reperio, vt sciam quid esse non possim: ex quo nihil mihi aliud sentio quàm luctum tanta cordis contritione conferri, vt numquam scilicet desit materia lacrymarum, nec tamen esse desinam quod esse non debeo. Et idcirco quid profuit didicisse quod summum est, si cognitum nequeat apprehendi? Nam cum directionem cordis ad destinatum pertendere senserimus, insensibiliter mens inde reuoluta ad priores euagationes impetu vehementiori prolabitur, & ita quotidianis distensionibus occupata, innumeris captiuitatibus incessanter abducitur, vt propemodum iam desperetur a nobis desiderata correctio, & superflua hæc obseruantia videatur. Siquidem per momẽta singula lubricis discursibus animus euagatus, cum ad timorem Dei, vel contemplationem reducitur spiritalem, priusquam firmetur in ea, rursus fugacius euanescit. Cumque eum velut expergefacti deprehenderimus ab intentione proposita deuiasse, atque ad illam theoriam vnde discesserat reducentes, voluerimus eum tenacissima cordis intentione velut quibusdam vinculis obligare, in ipso conatu nostro ocius quàm anguilla de recessibus mentis elabitur. Ob quam rem quotidianis huiusmodi obseruationibus æstuantes, nec tamen ex ipsis aliquod nostro cordi stabilitatis robur accessisse cernentes, ad hanc opinionem fracti desperatione transducimur, vt non nostro iam, sed naturæ vitio has animæ peruagationes humano generi inesse credamus.

*Disputatio senis de statu animæ, ac virtute eius.*

SERENVS *Cap. IV.*

PEriculosæ præsumptionis est, necdum rebus recte discussis, nec certa ratione collectis, de natura cuiuslibet rei præpropere definire, ac de fragilitatis suæ cõsideratione capere coniecturam, non de statu & qualitate ipsius disciplinæ, vel de aliorum experientia, proferre sententiam. Nec enim si quis natandi ignarus, sciens pondus corporis sui ferri aquarum liquore non posse, experimento suæ voluerit imperitiæ definire, neminem penitus posse liquidis elementis solida carne circumdatum sustineri, idcirco vera eius opinio iudicanda est, quam secundum experientiam suam visus est protulisse, cum hoc non solum non esse im-

Universidad de Deusto
Biblioteca



possibile, sed etiam perfacile ab alijs fieri, ratione certissima & oculorum fide non dubia comprobetur. Νοῦς itaque, id est mens, ἀκατάκινητος καὶ πολυκίνητος, id est: semper mobilis, & multum mobilis definitur. Quod etiam in Sapientia, quæ dicitur Salomonis, alijs verbis ita describitur:

*Sap. 9.* Τὸ γεῶδες σκῆνος βρίθει νοῦν πολυφροντίδα, id est: Terrenum habitaculum aggrauat mentem multa cogitantem. Hæc igitur pro condicione naturæ numquam potest otiosa consistere, sed necesse est eam nisi prouisum habuerit vbi suos exerceat motus, & in quibus iugiter occupetur, propria mobilitate discurrere, & per omnia volitare, donec longo exercitio, vsuq. assuefacta diuturno, quod vos incassum dicitis laborare, experiatur & discat quas memoriæ suæ materias debeat præparare, erga quas circumagat indefessos volatus, & immorandi robur acquirat, & ita præualeat aduersas inimici suggestiones, quibus distrahebatur extrudere, atque in illo quem desiderat statu & qualitate durare. Non ergo hanc nostri cordis euagationem, vel humanæ naturæ, vel Deo creatori eius debemus adscribere.

*Eccl. 7.* Vera est enim scripturę sententia; quia Deus hominem fe-
*sec. lxx.* cit rectum, & ipsi quæsierunt cogitationes multas. A no-
*Prou. 19.* bis ergo earum qualitas pendet: quia cogitatio bona, in-
*sec. lxx.* quit, scientibus eam appropinquat, vir autem prudens inueniet eam. Quidquid enim vt inueniri possit, nostræ prudentiæ industriæq. subiectum est, si non fuerit inuentum, sine dubio nostræ desidiæ vel imprudentiæ, non naturæ vitio deputandum est. Cui sensui Psalmista quoque congruit,

*Psal. 83.* dicens: Beatus vir cuius est auxilium abs te Domine, ascensus in corde suo disposuit. Videtis ergo in nostra ditione cõsistere, vt siue ascensus, id est, pertingentes ad Deum cogitationes, siue descensus, ad terrena scilicet & carnalia corruentes in nostris cordibus disponamus. Quæ si non in nostra potestate consisterent, nec Pharisæos Dominus in-

*Matth. 9.* crepasset: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? nec
*Esai. 1.* per Prophetam præcepisset, dicens: Auferte malum cogita-
*Hiere. 4.* tionum vestrarum ab oculis meis. &: Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Nec in die iudicij earum qualitas quemadmodum operum exigeretur a nobis, ita per

*Esai. 66.* Esaiam Domino comminante: Ecce ego, inquit, venio vt congregem opera & cogitationes eorum, cum omnibus gentibus & linguis. Sed nec condemnari quidem earum testi-



testimonio vel defendi in illo terribili atque metuendo examine, secundum beati Apostoli sententiam mereremur, ita dicentis: Et inter se inuicem cogitationibus accusantibus, *Rom. 2.* aut etiam defendentibus, in die quum iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum.

*De perfectione animæ, ex similitudine euangelici Centurionis assumpta. Cap. V.*

HVius ergo perfectæ mentis figura per illum euangelicum Centurionem pulcherrime designatur, cuius virtus atque constantia, qua non quibuslibet ingruentibus cogitationibus abducebatur, sed pro suo iudicio vel admittebat bonas, vel contrarias absque vlla difficultate pellebat, hac tropica significatione descripta est: Nam & ego homo *Matth. 8.* sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Si igitur nos quoque viriliter aduersus perturbationes & vitia dimicantes, potuerimus ea ditioni nostræ, † discretioniq. subijcere, ac militantes in carne *al. districtioniq.* nostra passiones extinguere, vel instabilem cogitationum nostrarum cohortem rationis imperio subiugare, ac Dominicæ crucis salutari vexillo dirissimas aduersariarum potestatum turmas a terminis nostri pectoris propulsare, pro tantorum meritis triumphorum, ad spiritalis huius centurionis ordinem prouehemur, quem in Exodo quoque per Mosen mystice legimus designatũ: Cõstitue tibi χιλιάρχας *Exod. 18.* & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Et ita nos quoque dignitatis huius apice sublimati, habebimus hanc imperandi potestatem atque virtutem, qua non quibus nolumus cogitationibus abducamur, sed his quibus spiritaliter delectamur, immorari vel inhærere possimus, malis quidem suggestionibus imperantes, abite, & abibunt; bonis vero venite, & venient: seruo quoque nostro, id est corpori, ea quæ castitatis vel continentiæ sunt similiter iniungemus, & sine contradictione deseruiet, non iam suscitans nobis aduersos concupiscentiæ stimulos, sed omnem spiritui exhibens famulatum. Huius centurionis qualia arma sint, vel ad quæ præliorum exercitia præparentur, audi beatum Apostolum prædicantem: Arma, inquit, militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo. Dixit qua- *2. Cor. 10.* lia sint, id est, non carnalia nec infirma, sed spiritalia & po- *al. exercenda.* tentia Deo: deinde ad quos sint † exercenda conflictus consequen-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ibid.* sequenter insinuat: Ad destructionem munitionum cogitationes purgantes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & captiuantes omnem intellectum in obedientiam Christi, & præparati vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. Quæ quoniam singillatim percurrere sicut necessariū, ita etiam alterius temporis est; armorum tantummodo volo vobis genera proprietatesq. patefacere, quibus nos quoque si volumus

*1.Reg.18.* bella Domini præliari, & inter centuriones euangelicos

*Ephes.6.* militare, accincti iugiter debemus incedere: Sumite, inquit, scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita restinguere. Fides est ergo, quæ excipiens ardentissima libidinum tela, metu futuri iudicij & cęlestis regni

*1.Thes.5.* credulitate mortificat: Et loricam, inquit, charitatis. Ipsa nempe est quæ vitalia pectoris nostri circumdans atque cōmuniens, letalibus perturbationum obiecta vulneribus contratios retundit ictus, nec ad interiorem hominem nostrum

*2.Cor.12.* iacula diaboli penetrare permittit. Omnia enim suffert,

*1.Thess.5.* omnia patitur, omnia sustinet. Et galeam spem salutis. Galea munimen capitis est. Quia ergo caput nostrum est Christus, debemus istud semper spe futurorum bonorum velut inexpugnabili galea in cunctis tentationibus ac persecutionibus communire, & principaliter fidem eius illęsam atque integram custodite. Alijs enim membris truncatum quempiam, licet debilem, possibile tamen est vtcumque superesse: sine capite vero nemini vel breuis vitę spatium prorogatur. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Pe-

*Ephes.6.* *Hebr.4.* netrabilius namque est omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animę ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis; diuidens scilicet & abscidens quidquid in nobis carnale terrenumve repererit. Quibus armis quisquis fuerit cō munitus, ab hostium semper telis ac populatione defensus, non vt captiuus ac subditus ad hostilem cogitationum terram constrictus deprędantium vinculis abducetur, nec au-

*Baruc. 3.* diet per prophetam: Quare inueteratus es in terra aliena? sed tamquam triumphator ac victor in illa qua voluerit cogitationum regione consistet. Vis etiam ipsum robur ac fortitudinem centurionis huius, qui hęc arma, quę prędiximus non carnalia, sed potentia Deo, gestat, agnoscere? Audi ipsum regem viros fortes ad spiritalem militiam congregantem, quo eos dilectu signet ac probet: Infirmus, in-



quit, dicat: quia fortis sum ego. &: Qui patiēs est, sit pugnator. Videtis ergo bella Domini prælliari nisi patientes infirmosq. non posse: illa proculdubio infirmitate, qua fundatus ille noster centurio euangelicus cum fiducia loquebatur: Cum enim infirmor, tunc potens sum. Et iterum: Virtus enim in infirmitate perficitur. De qua infirmitate vnus prophetarum; Et erit, inquit, qui infirmatur inter eos, sicut domus Dauid. Patiens etiam hæc bella prælliabitur: nempe illa patientia de qua dicitur: Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, recipiatis remunerationem.

*Ioel.3.* *sec. lxx.* *Ibid.* *2.Cor.12.* *Ibid.* *Zach.12.* *sec. lxx.* *Hebr.10.*

*De perseuerantia erga cogitationum custodiam. Cap. VI.*

DEbere tamen ac posse nos Domino cohærere, & experientia propria deprehendemus, si mortificatas volūtates, ac desideria mundi huius habeamus abscisa; & illorum auctoritate docebimur, qui Domino colloquentes, fiducialiter dicunt: Adhæsit anima mea post te. &; Adhæsi testimonijs tuis Domine. &: Mihi autem adhærere Deo bonum est. &: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Nō ergo debemus his euagationibus animę fatigati ab hoc studio relaxari. Qui enim colit terram suam, saturabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate. Nec ab intentione huius obseruantiæ pernicioſa desperatione frangamur, quia: In omni solicito inest amplius: at qui suauis & sine dolore est, & in egestate erit. Et iterum: Vir in laboribus laborat sibi, & vim facit perditioni suæ. Nec non etiam: Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Nulla namque virtus sine labore perficitur; nec vlli possibile est ad istam quam cupitis stabilitatem mentis sine ingenti cordis contritione conscendere. Homo enim ad laborem nascitur. Qui vt in virum perfectum possit occurrere, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, maiori eum intentione necesse est semper esse peruigilem, iugiq. solicitudine desudare. Ad cuius tamen mensuræ plenitudinem nemo peruenier aliàs in futurum, nisi qui præmeditatus & imbutus ea fuerit in præsenti, eamq. adhuc in hoc sæculo positus prælibauerit, Christiq. membrum pretiosissimum designatus, arrham compaginis illius per quam corpori eius valeat copulari, in hac carne possedeit; vnum dumtaxat desiderans, vnum sitiens, ad vnum omnes non solum actus suos, verumetiam cogitationes sem-

*Psal.68.* *Psal.118.* *Psal.72.* *1.Cor.6.* *Prou.28.* *Prou.14.* *sec. lxx.* *Prou.16.* *sec. lxx.* *Matt.11.* *Iob.5.* *Ephes.4.*

per

Universidad de Deusto
Biblioteca



per intendens, vt illud quod in futurum dicitur de beata cõuersatione sanctorum, iam subarrhatum teneat in præsenti,
1.Cor.15. id est; vt sit ei Deus omnia in omnibus.

*Interrogatio de mobilitate animæ & impugnatione nequitiarum cælestium. Cap. VII.*

GERMANVS

POsset forsitan hæc volubilitas mẽtis aliquatenus coerceri, si eam non tantus aduersariorum numerus circũuallans, ad ea quæ non vult, immo quo illam suæ quoque naturę mobilitas rapit, indesinenter impelleret. Quam cum tam innumerabiles, tam potentes, tamq. terribiles circumagant inimici, resisti illis, ab hac præsertim fragili carne, impossibile crederemus, nisi ad hanc opinionem vestris sententijs velut cælestibus animaremur oraculis.

*Responsio super Dei adiutorio & liberi arbitrij potestate. Cap. VIII.*

SERENVS

ADuersarios nobis quidem iugiter insidiari, quicumque interioris hominis experti sunt pugnas, dubitare non possunt. Sed ita dicimus hos nostris profectibus aduersari, vt eos tantummodo incentores malorum, non etiam impulsores esse credamus. Ceterum nullus hominum posset omnino vitare peccatum quodcumque illi cordibus nostris
al. inurere. †ingerere voluissent, si eis quemadmodum ad suggerendum, ita & ad compellendum facultas violenta suppeteret. Quamobrem sicut in illis est instigationis copia, ita & in nobis virtus respuendi, siue acquiescendi libertas est attributa. Quorum tamen potentiam & impugnationes si pertimescimus, etiam protectiones atque adiutoria Dei ecõ
1.Ioan.4. trario conferamus, de quo dicitur: Maior est enim qui in vobis est, quàm qui in mundo. Cuius auxilia multo vehementiore militant virtute pro nobis, quàm aduersum nos illorum multitudo consligit. Nam bonarum rerum non tãtum suggestor, sed etiã fautor atque impulsor est Deus: ita vt nonnumquam nos etiam inuitos & ignorantes attrahat ad salutẽ. Constat ergo neminem posse a diabolo decipi, nisi illi qui præbere ei maluerit suę voluntatis assensum. Quod
Eccls. 8. sec. lxx. Ecclesiastes his verbis euidẽter expressit: Quia enim non fit contradictio ab his qui faciunt malũ cito, ideo repletum est cor filiorũ hominum in ipsis, vt faciant malũ. Ergo manifestũ est hinc vnumquẽque delinquere, quòd ingruentibus cogitationibus prauis non eis confestim repulsam contradi-
Iacob. 4. ctionis obijciat. Nam: Resistite ei, inquit, & fugiet a vobis.

In-



*Interrogatio super animæ ac dæmonum coniunctione.*

GERMANVS *Cap. IX.*

QVod istud quæso est animæ cum istis spiritibus nequã tam indiscretum permixtumq. consortium, quo sic eidem non dicam iungi, sed vniri possint & alloqui eam insensibiliter, & inseri, atque inspirare illi quæcumque voluerint, & ad ea quæ placuerint eam valeant instigare, eiusq. cogitationes ac motus videant atque perlustrent; tantaq. inter ipsos ac mentem vnitas fiat, vt sine Dei gratia quid ex illorum incitamento, quid ex nostra voluntate procedat, discerni pene non possit?

*Responsio in quem modum immundi spiritus humanis mentibus copulentur. Cap. X.*

SERENVS

NOn mirum est posse spiritum spiritui insensibiliter cõiugari, & occultam suadendi vim ad ea, quę libita fuerint exercere. Est enim inter eos, sicut inter homines, quædam substantiæ similitudo atque cognatio. Siquidem definitio, quę de natura animæ assumitur, etiam illorum substantiæ similiter coaptatur. Altrinsecus vero eos sibi inseri vel vniri, ita vt capax alter alterius esse possit, omnimodis impossibile est. Hoc namque solummodo deitati, quæ sola incorporea simplexq. natura est, rectissime tribuetur.

*Obiectio vtrum possint immundi spiritus eorum quos supplenerint animabus inseri vel vniri.*

GERMANVS *Cap. XI.*

HVic rationi satis arbitramur esse contrariũ illud quod videmus in arreptitijs fieri, cum afflati spiritibus immundis loquuntur & agunt ea quæ nesciunt. Quomodo ergo animas illorum spiritibus illis non credamus vniri, quorum videmus illas velut organum factas, & derelicto naturali statu ad illorum motus affectusq. transire; ita vt iam non suas, sed illorum voces & gestus voluntatesq. depromant?

*Responsio quemadmodum energumenis immundi spiritus dominentur. Cap. XII.*

SERENVS

PRædictæ definitioni nostræ non est contrarium id quod dicitis in energumenis fieri, cum spiritibus immundis arrepti loquuntur, vel agunt ea quæ nolunt, vel ea quæ ignorant proferre coguntur. Non enim vno modo istam eos infusionem spirituum sustinere certissimum est. Quidam enim sic afflantur, vt nequaquam ea quæ gerunt vel

loquun-

loquuntur intelligant; quidam vero norunt, & postea recordantur. Quod fieri per infusionem spiritus immundi non ita putandum est, vt animæ ipsius penetrans substantiam, & velut vnitus ei, & quodammodo indutus ea, sermones ac verba per os patiētis emittat. Nullo namque modo istud ab eis fieri posse credendum est. Nec enim per aliquam animæ diminutionem, sed per corporis debilitatem hoc euenire manifesta ratione deprehenditur; cum scilicet in illis mēbris, in quibus vigor animæ continetur, immundus spiritus insidens, eisq. importabile atque immensum pondus imponens, obscuritate teterrima intellectuales eius obtuit & intercipit sensus. Quod nonnumquam etiam vini febrisq. vitio, seu nimij frigoris, alijsq. valitudinibus extrinsecus superuenientibus videmus accidere. Quod ne beato Iob diabolus, qui carnis eius acceperat potestatem, moliretur inferre, præcepto Domini prohibetur, dicentis: Ecce trado eum in manus tuas, tantum animam eius custodi; id est, tantummodo eum amentem ne facias debilitato animæ domicilio, & obruas intellectum ac sapientiam resistentis, principali scilicet cordis eius tuo pondere præfocato.

*Iob. 2.*

*Quod spiritus spiritui penetrabilis esse non possit, sed incorporeo soli Deo. Cap. XIII.*

NEque enim si crassæ huic solidæq. materiæ, id est carni, spiritus admiscetur, quod fieri facillime potest, idcirco & animæ, quæ itidem spiritus est, ita vniri posse creditur, vt eam quoque similiter suæ reddat naturæ capacem. Quod soli est possibile Trinitati, quæ sic vniuersæ intellectualis naturæ efficitur penetratrix, vt non solum circumplecti eam atque ambire, sed etiam illabi ei, & velut incorporea corpori possit infundi. Licet enim pronuntiemus nonnullas esse spiritales naturas, vt sunt angeli, archangeli, ceteræq. virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aer iste subtilis; tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet multo tenuius quàm nos. Nam sunt corpora, secūdum Apostoli sententiam ita dicentis: Et corpora cælestia, & corpora terrestria. Et iterum: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Quibus manifeste colligitur, nihil esse incorporeum, nisi solum Deum, & idcirco ipsi tantummodo penetrabiles omnes spiritales atque intellectuales esse sub-

*1. Cor. 15.*

*Ibid.*



substantias, eo quòd solus, & totus, & vbique, & in omnibus est, ita vt & cogitationes hominum, & internos motus, atque abdita mentis vniuersa conspiciat atque perlustret. De ipso siquidem solo pronuntiauit beatus Apostolus, dicens: Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior super omnem gladium ancipitem, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarū, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est creatura inuisibilis in conspectu eius. Et Beatus Dauid: Qui fingit, inquit, singillatim corda eorum. Et iterum: Ipse enim nouit occulta cordis. Salomon quoque: Quia tu solus nosti corda filiorum hominum.

*Hebr. 4.*

*Psal. 32.*

*Psal. 43.*

*3. Reg. 8.*

*Obiectio, qua dæmones credi debent cogitationes hominum peruidere. Cap. XIV.*

GERMANVS

HAc ratione qua dicis, nec cogitationes quidem nostras intueri isti spiritus possunt, quod existimare valde putamus absurdum, dicente scriptura: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te. Et iterum: Cum diabolus misisset in cor Simonis Iscarioth, vt traderet Dominum. Qui ergo credi potest non patere eis cogitationes nostras, quarū seminarium, pro parte maxima, ipsis immittentibus atque instigantibus oboriri sentimus?

*Eccl. 10.*

*Ioan. 13.*

*Responsio quid possint dæmones in cogitationibus hominum, quidve non possint. Cap. XV.*

SERENVS

NVlli dubium est, quòd possint immundi spiritus cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indicijs eas sensibilibus foris ecus colligentes, id est, ex nostris dispositionibus, aut verbis, & studijs in quæ propensius nos conspexerint inclinari. Ceterum illas, quæ necdum de internis animæ prodierunt, adire omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes quas ingerunt, vtrum susceptæ vel quemadmodum susceptæ sint, non per ipsius animæ naturam, id est, per illum interiorem motum in medullis (vt ita dixerim) latitantem, sed ex motibus atque indicijs exterioris hominis deprehendunt; vtputa cum suggesserint gastrimargiam, si viderint monachum ad fenestram oculos aut ad solem curiosius erexisse, vel de hora solicitius inquisisse, cognoscunt desiderium gulæ fuisse susceptum. Si fornicationem ingerentes senserint eum patienter telum libidinis suscepisse, seu viderint carne commotum, aut certe non vt oportuit aduersus suggestionis immundæ suspi-

rasse

rasse lasciuiam, intelligunt in penetralibus animæ libidinis iaculum fuisse defixum. Si incitamenta tristitiæ, si iræ, si furoris admouerint, vtrumnam cordi insederint, gestu corporis, & sensibili commotione dinoscunt; scilicet cum vel infremuisse tacitum, vel cum quadam indignatione suspirasse, seu vultum considerauerint quodam pallore aut rubore mutasse, & ita subtiliter quisnam cui sit vitio deditus deprehendunt. Illo namque vnumquemque nostrum delectari certa ratione cognoscunt, ad cuius instigationem mox quodam nutu vel motu corporis consensum conniuentiamq. ab eo præstitam fuisse peruiderint. Quæ ab illis aereis virtutibus ita deprehendi non mirum est, cum hoc a prudentibus quoque viris sæpissime fieri videamus, vt scilicet interioris hominis statum de figura & vultu seu qualitate exterioris agnoscant. Quanto ergo certius hæc ab eis poterunt deprehendi, quos vtique vt spiritalis naturæ, multo subtiliores ac sagaciores hominibus esse non dubium est?

*Similitudo qua immundi spiritus cogitationes hominum doceantur agnoscere. Cap. XVI.*

QVemadmodum enim nonnulli latronum in his domibus, quas furtim aggredi cupiunt, occultas hominũ solent explorare substantias, qui per terras noctis tenebras cauta spargentes manu minutias arenarum, reconditas opes, quas visu peruidere non possunt, tinnitu quodam ad earum lapsum respondente deprehendunt, ac sic ad certissimam rei vel metalli cuiusq. notitiam, quadam elicitæ vocis proditione perueniunt; ita hi quoque vt thesaurũ nostri cordis explorent, velut arenas quasdam, suggestiones nobis noxias inspargentes, cum secundum illarum qualitatem affectum corporeum viderint emersisse, velut quodam de intimis conclauibus prodeunte tinnitu, quid sit reconditum in abditis interioris hominis recognoscunt.

*Quod non singuli quique dæmones vniuersas hominibus ingerant passiones. Cap. XVII.*

HOc tamen nosse debemus non omnes dæmones vniuersas hominibus inferre passiones, sed vnicuique vitio certos spiritus incubare: & alios quidem immunditijs ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemijs, alios iræ furoriq. peculiarius imminere, alios pasci tristitia, alios cenodoxia, superbiaq. mulceri; & vnumquẽque illud vitium



vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet inserere: sed nec cunctas pariter suas ingerere prauitates, sed vicissim prout temporis, vel loci, vel suscipientis opportunitas prouocarit.

*Interrogatio, an inter dæmones impugnationis ordo ac vicissitudinis disciplina seruetur. Cap. XVIII.*

GERMANVS

ERgo credendum est inter eos ordinatam, & (vt ita dixerim) disciplinatam esse nequitiam, vt quidam vicissitudinis ab eis ordo seruetur, ac rationabilis geratur impugnationis incursio, cum constet nec modum nec rationem nisi inter bonos atque honestos posse subsistere; secundum illam scripturæ sententiam: Quæres sapientiam apud malos, & non inuenies. & : Inimici nostri insensati. Illud etiam: Non est sapientia, non est fortitudo, non est consilium apud impios? *Prou. 14. sec. lxx. Deut. 32. sec. lxx. Prou. 21. sec. lxx.*

*Responsio, in quem modum consensio dæmonum super vicissitudinis impugnatione subsistat. Cap. XIX.*

SERENVS

NOn esse inter malos perpetuam in omnibus consensionem, nec posse perfectam stare concordiam etiam in illis ipsis vitijs, quibus communiter oblectantur, certa definitio est. Numquam enim poterit, quemadmodum dixistis, in rebus indisciplinatis disciplina modusq. seruari. In nonnullis tamen, vbi scilicet vel operationis communio, vel necessitas exigit, seu cuiusdam lucri inuitat consortium, necesse est eos temporalem commodare consensum. Quod esse in hac militia nequitiæ spiritalis manifestissime peruidemus, vt non solum tempora inter se vicissitudinesq. custodiant, sed etiam locis quibusdam specialiter inhærere, eaq. iugiter obsidere noscantur. Nam quia necesse sit eos immutatis tentationibus certisq. vitijs atque temporibus exercere impugnationes suas, hinc liquido cõprobamus, quia nullus potest simul cenodoxiæ vanitate deludi, & concupiscentia fornicationis exuri: nec potest tumida inflari elatione spiritalis superbiæ, & carnalis gastrimargiæ pariter humilitate submitti. Nec potest quis cachinnis fatuis risuq. dissolui, & iracundiæ sub eodem tempore stimulis incitari, seu certe edacis tristitiæ mœrore suppleri: sed necesse est vnumquemque spiritum ita singillatim impugnationem mentis arripere, vt cum aut victus abscesserit, alij eam spiritui cedat acrius impugnandam, aut certe si victor extiterit, alij nihilominus tradat similiter illudendam.

*Quod non sint vnius fortitudinis contrariæ potestates, nec tentandi facultas in eorum sit arbitrio collocata. Cap. XX.*

ILlud etiam nequaquam ignorare debemus, non esse omnes eiusdem ferocitatis & desiderij, sed ne vnius quidem fortitudinis atque nequitiæ; & incipientibus quidem atque infirmis non nisi infirmiores spiritus in certamine comparari, & his nequitijs spiritalibus superatis gradatim semper aduersus athletam Christi robustior pugna succedit. Pro comparatione siquidem virium ac profectus humani, etiã difficultas colluctationis augetur. Nullo enim modo quilibet sanctorum sufficeret talium tantorumq. hostium sufferre nequitiam, vel insidijs eorum posset occurrere, sed nec crudelitatem quidem ac sæuitiam sustinere, si non certamini nostro clementissimus arbiter atque agonotheta præsidens Christus, & exæquaret colluctantium vires, & im-
2. Cor. 10. moderatos eorum repelleret ac refrænaret incursus, faceretq. cum tentatione & exitum, vt sustinere possimus.

*Quod dæmones cum hominibus non sine suo labore confligant. Cap. XXI.*

HAnc autem illos colluctationem non sine suo credimus labore conficere. Habent namque etiam ipsi in suo conflictu quandam anxietatem atque tristitiam, & maxime cum fuerint validioribus æmulis, id est, viris sanctis perfectisq. congressi. Alioquin iam non conflictus nec colluctatio, sed simplex tantum, &, vt ita dixerim, secura illis esset hominum attributa deceptio. Et quomodo staret il-
Ephes. 6. lud Apostoli quod dicit: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Illud quo-
1. Cor. 9. que: Sic pugno non quasi aerem verberans. Et iterum: Bo-
2. Tim. 4. num agonem certaui. Vbi enim agon dicitur, & certa-
al. vtrinque. men, & pugna, seu colluctatio, necesse est † vtrorumq. sudor, & labor, & solicitudo subeatur, & æqualiter illos vel superdeiectione maneat dolor atque cõfusio, vel de victoria gaudium consequatur. Vbi vero alio cum sudore luctante, alius cum otio ac securitate confligit, & ad diiciendum æmulum sola pro viribus vtitur voluntate, non pugna dicenda est, nec colluctatio, neque certamẽ, sed iniqua quædam & irrationabilis oppugnationis impressio. Sed plane al-



ne laborant & ipsi non minus impugnantes humanum genus, & desudant, vt præualeant de vnoquoque illam quam cupiunt obtinere victoriam, & retorquetur in eos illa confusio, quę nos manebat si ab ipsis fuissemus elisi, secundum illud: Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. &: Conuertetur dolor eius in caput eius. & iterum: Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio, quam abscondit apprehendat eum, & in laqueo cadat in ipso; scilicet quem super hominum deceptione molitur. Dolent igitur etiam ipsi non minus, & quemadmodum nos elidunt, ipsi quoque similirer eliduntur, nec victi sine confusione discedunt. Quas eorũ ruinas atque cõflictus, ille qui sanos interioris hominis oculos possidebat, quotidie cernẽs, vidensq. eos supergaudere ruinis & casibus singulorum, ac timens ne de se quoque eueniret eis ista lætitia, Dominũ deprecatur: Illumina, inquiens, oculos meos ne vmquã obdormiã in morte; ne quando dicat inimicus meus: præualui aduersus eum. qui tribulant me exultãbunt, si motus fuero. &: Deus meus ne supergaudeant mihi, ne dicant in cordibus suis: euge euge animę nostræ, neque dicãt: deuorauimus eũ. &: Frenduerunt super me dentibus suis. Domine quãdo respicies? Insidiatur enim in abscondito, vt leo in cubili suo. insidiatur vt rapiat pauperem; & quærat a Deo escam sibi. Qui rursum cunctis expensis conatibus, cum deceptionem nostram non potuerint obtinere, super cassõ labore suo necesse est vt confundantur, & erubescant, qui quærunt animas nostras, vt auferant eas; induantur confusione & pudore, qui cogitant nobis mala. Hieremias quoque: Confundantur, inquit, illi, & non confundar ego: paueant illi, & nõ paueam ego: induc super eos irã furoris tui, & duplici contritione contere eos: Nulli etenim dubium est, cũ a nobis fuerint superati, cõtritione eos duplici conterendos. Primum quòd hominibus experentibus sanctitatem, illi eam possidentes amiserint, causaque extiterint perditionis humanę. Deinde quòd spiritales substantiæ fuerint a carnalibus terrenisq. deiectæ. Has igitur ruinas hostium suasq. victorias intuens vnusquisque sanctorum, cũ exultatione proclamat: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. conteram illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Contra quos etiam orans idẽ Propheta: Iudica, inquit, Domine nocentes me:

Psal. 139.
Psal. 7.
Psal. 34.
Psal. 12.
Ibid.
Psal. 9.
Psal. 103.
Psal. 39.
Psal 34.
Hiere. 17.
Psal. 17.
Psal. 34.

expugna impugnantes me. apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi. effunde framеam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me, dic animæ meæ: salus tua ego sum. Quos cum subditis & extinctis vniuersis passionibus vicerimus, merebimur illam benedictionis
Miche. 5. vocem consequenter audire: Exalterur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt. Hæc igitur omnia, & his similia sacris voluminibus inserta legentes siue canentes, nisi contra istas nequitias spiritales, quę nobis insidiantur diebus ac noctibus acceperimus fuisse conscripta, non modo ex eis ædificationem nullam lenitatis ac patien-
al. penitus tiæ consequemur, sed etiam dirum† quēdam atque contrarium euangelicæ perfectioni concipiemus affectum. Non
Matt. 5. solum enim docebimur non orare pro inimicis nostris, nec diligere eos, sed etiam detestari illos implacabili odio prouocabimur, & maledicere eis, atque orationem aduersus eos indesinenter effundere. Quæ tali spiritu prolocutus fuisse viros sanctos & amicos Dei intelligere perquam scelestum est ac profanum; quibus ante aduentum Christi idcirco non est lex posita, eo quòd transcendentes mandata eius, euangelicis parere præceptis, & apostolicæ perfectioni studere, præuenientes dispensationem temporis, maluerunt.

### *Quod non sit potestas nocendi in arbitrio dæmonum collocata. Cap. XXII.*

Iob. 2. NOn habere autem eos potestatem quemquam hominum lædendi, exemplum beati Iob manifesta ratione demonstrat, vbi non amplius eum tentare audet inimicus, quàm diuina ei dispensatione conceditur; & confessio eorundem spirituum euangelicis monimentis inserta testa-
Matth. 8. tur, dicentium: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Qui multo magis credendi sunt in nullo hominum, qui ad
Genes. 2. imaginem Dei creati sunt introire pro arbitrio suo posse, cū in animalia muta ac immunda ingrediendi absque Dei permissu non habuerint potestatem. Ceterum nemo posset, nō dicam iuuenum, quos videmus in hac eremo cōstantissime commorari, sed nec perfectorum quidem tantis taliumq. hostium agminibus circumseptus in eremo singulariter habitare, si in ipsis esset pro voluntate sua nocendi vel tentandi facultas atque libertas. Quod euidentius etiam Domini ac Saluatoris nostri confirmat sententia, quam pro humilitate



militate hominis assumpti protulit ad Pilatum, ita dicentis: Non haberes in me potestatem vllam, nisi datum tibi Ioan. 19.
fuisset desursum.

### *De imminuta dæmonum potestate. Cap. XXIII.*

SAtis tamen nobis est & experientia, & seniorum relatione compertum, non eandem vim habere nunc dæmones, quam anteriore tempore inter anachoretarum dumtaxat principia, in quibus adhuc raritas monachorum in eremo commanebat. Tanta namque erat eorum feritas, vt vix pauci, & admodum stabiles atque ætate prouecti, tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem in ipsis cœnobijs in quibus commorabantur octo vel decem, ita eorum atrocitas grassabatur, & frequentes ac visibiles sentiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim alijs degustantibus somnum, alij, vigilias celebrantes, psalmis & orationibus seu lectionibus inhærebant. Cumq. illos ad soporem naturæ necessitas inuitaret, expergefactis alijs ad eorum qui dormituri erant custodiam similiter excubiæ tradebantur. Vnde dubitari non potest, hanc securitatem vel confidentiam quæ nunc non solum nobis qui videmur pro experientia senectu tis aliquatenus roborati, sed etiam iunioribus ætate confertur, vnum esse e duobus. Aut enim virtute crucis etiam deserta penetrāte, & vbique eius gratia coruscante, retunsa est nequitia dæmonum; aut negligentia nostra illos ab impugnatione pristina reddidit lentiores, dum dedignantur aduersum nos illa intentione confligere, qua tunc contra illos probatissimos Christi milites sæuiebant, hac scilicet nos fraudulentia † visibilium tentationum cessatione di- al. inuisibilium tērius elidentes. In tantum enim teporem videmus corruisse tationum dirius.
nonnullos, vt necesse sit eos etiam remissioribus monitis appalpari: modo ne desertis cellulis suis ad perniciosiores inquietudines reuoluantur; & circumeuntes ac vagi crassioribus (vt ita dixerim) vitijs implicentur: magnusq. fructus ab eis obtineri credatur, si solummodo se etiam cum qualibet ignauia valeant in solitudine continere; ac pro ingenti remedio soleat eis a senioribus dici: Sedete in cellulis vestris, & quantum libitum fuerit manducate, & bibite, atque dormite, dummodo in eis iugiter perduretis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Qua ratione dæmones sibi in eorum corpora quos arrepturi sunt aditum parent. Cap. XXIV.*

CONstat ergo immundos spiritus non aliter posse in illos, quorũ obtenturi sunt corpora penetrare, nisi prius eorum mentes cogitationesq. possederint. Quos cum timore ac memoria Dei vel spiritali meditatione nudauerint. velut exarmatos omni præsidio ac munitione diuina, facile vincendos audenter inuadunt, domicilium deinceps in eis, velut in possessione sibi tradita, præsumentes.

*Quod miserabiliores sunt hi qui a vitijs, quam qui ab ipsis dæmonibus possidentur. Cap. XXV.*

LIcet multo illo grauius constet vehementiusq. vexari, qui cum corporaliter ab ipsis suppleri minime videantur. animo tamen perniciosius possidentur, eorum scilicet vitijs ac voluptatibus inuoluti. Secundum Apostoli namque
2.Petr. 2. sententiam, a quo quisque superatur, ei & seruus addicitur. Nisi quòd isti in hoc desperatius ægrotant, quòd cum sint eorum mancipia, nec impugnari se ab illis, nec dominatum eorum ferre cognoscunt. Ceterum corporaliter traditos satanæ, vel infirmitatibus magnis etiam viros sanctos nouimus pro leuissimis quibusque delictis; cum in illis ne tenuissimum quidem næuum aut maculam in illo iudicij die patiatur inuenire diuina clementia, omnem cordis eorum scoriam, secundum prophetæ, immo Dei sententiã, excoquens in præsenti, vt eos tamquam aurum vel argentum ignitum, ad illam perpetuitatem, nulla indigentes pœ
Esai. 1. nali purgatione, transmittat: Et excoquam, inquit, ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum; &
Prou. 17. post hoc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Et iterum: Si-
Sec. lxx. cut probatur argentum & aurum in camino, ita eligit cor-
Eccli. 2. da Dominus. Et iterum: Aurum & argentum probat ignis, vir autem probatur in fornace humiliationis. Illud quoque:
Hebr. 12. Quem enim diligit Dominus corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.

*De nece prophetæ seducti, & infirmitate abbatis Pauli, quam pro sua emendatione promerunt. Cap. XXVI.*

QVod in illo propheta atque homine Dei, in tertio Regnorũ libro manifeste videmus impletũ; qui pro culpa vnius inobedientiæ, quam tamen non de industria nec vitio propriæ voluntatis, sed alterius circumuentione contraxit,



traxit, confestim a leone conteritur, ita de eo scriptura narrante: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tra- 3.Reg.13.
didit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit eum iuxta verbum Domini quod locutus est ei. In quo facto & solutionem delicti præsentis atque erroris incauti, & iustitiæ merita, pro quibus prophetam suum temporaliter Dominus tradidit vexatori, parcitas ipsa & continentia prædatoris ostendit, quia nihil penitus audet voracissima bestia de tradito sibi cadauere degustare. Cuius rei nostris quoque tẽporibus satis euidens contigit & aperta probatio in abbate Paulo vel Mose, qui habitauit locũ huius solitudinis, qui Calamus nũcupatur. Nam prior commoratus est in eremo, quæ adiacet Panephysi ciuitati; quam solitudinem nos olim factam aquæ salsissimæ inundatione cognouimus. Quæ quotiens flauerit spiritus aquilonis de stagnis impulsa, ac superfusa adiacentibus terris, ita omnem illius superficiem contexit regionis, vt antiquos ibidem vicos, qui olim hac ipsa de causa omni sunt habitatore deserti, faciat velut insulas apparere. Hic igitur abbas Paulus in tantam cordis puritatem quiete solitudinis silentioque profecerat, vt non dicam vultum femineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri. Nam cum eidem pergenti ad cuiusdam senioris cellam vna cum abbate Archebio eiusdem solitudinis accola, casu mulier obuiasset, offensus occursu eius, tanta fuga ad suum rursus monasterium (prætermisso quod arripuerat piæ visitationis officio) recucurrit, quanta nullus a facie leonis vel immanissimi draconis aufugeret, ita vt ne memorati quidem abbatis Archebij reuocantis eum clamore ac precibus flecteretur, vt ad requirendum senem, quemadmodum proposuerant, cœpto itinere tenderent. Quod licet zelo castitatis & puritatis ardore sit factum, tamen quia nõ secundũ scientiã præsumptũ est, sed obseruantia disciplinæ, iustæq. districtionis excessus est modus (non enim solam familiaritatem quę vere est noxia feminarum, sed ipsam quoque figuram sexus illius credidit execrandã) tali confestim correptione percussus est, vt eius vniuersum corpus paralyseos valitudine solueretur, nullumq. in eo membrum penitus explere suum præualeret officium. Siquidem non solum pedes ac manus, sed etiam linguæ motus, quo elocutio vocis exprimitur, ipsæq. aures ita audi-

tus proprij amiserant sensum, vt in eo nihil amplius ex homine, quàm immobilis tantum atque insensibilis figura remaneret. Eo autem redactus est, vt infirmitati eius nullo modo virorum diligentia deseruire sufficeret, nisi sola ei muliebris sedulitas ministrasset. Nam delato ad cœnobium sanctarum virginum, cibus ac potus, quem ne nutu quidem petere poterat, femineo ingerebatur obsequio, explendisq. omnibus naturæ necessitatibus, eadem illi diligentia per annos ferme quattuor, id est, vsque ad vitę suę terminũ seruiebat. Qui cum tanta esset omnium membrorum debilitate constrictus, vt nulli in eo artus viuacem motum aut sensibilem retentarẽt, nihilominus tanta ex eo virtutum gratia procedebat, vt cum de oleo quod cadauere suo potius quàm corpore contigisset, vngerentur infirmi, confestim cunctis valitudinibus curarentur, ita vt super hac eius valitudine, etiam ipsis infidelibus euidenter aperteq. clarescceret, & debilitatem membrorum omnium dispensatione atque amore Domini contributam, & sanitatum gratiam pro testimonio puritatis ac manifestatione meritorum, ei Spiritus sancti virtute præstari.

*De tentatione abbatis Mosi. Cap. XXVII.*

SEcundus vero, quem diximus in hac eremo commoratum, cum ipse quoque singularis & incomparabilis vir esset, ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra abbatem Macarium disputans paulo durius protulit, quadam scilicet opinione præuentus, tam diro confestim est traditus dæmoni, vt humanas egestiones ori suo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius atque auctore remedij demonstrauit. Nã continuo abbate Macario in oratione submisso, dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.

*Quod sperni non debeant hi, qui spiritibus traduntur immundis. Cap. XXVIII.*

EX quo manifeste perpenditur, non debere eos abominari vel despici, quos videmus diuersis tentationibus
*Ephes.6.* siue istis nequitiæ spiritalibus tradi: quia duo hæc credere immobiliter nos oportet. Primo quòd sine Dei permissu nullus ab eis omnino tentetur. Secundo quòd omnia, quæ nobis a Deo inferuntur, siue tristia ad præsens, seu læta videantur, velut a pijssimo patre, clemẽtissimoq. medico pro nostris



nostris vtilitatibus irrogentur, & idcirco eos velut pædagogis traditos humiliari, vt discedentes ex hoc mundo, vel purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leuiore plectantur, qui, secundum Apostolum, traditi sunt in prę- *1.Cor.5.*
senti satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi.

*Obiectio cur hi, qui spiritibus vexantur immundis, a commu-*
GERMANVS *nione Dominica separentur. Cap. XXIX.*

ET quomodo eos non solum despici ab hominibus vel horreri, sed etiam a communione Dominica in nostris prouincijs perpetuo vidimus abstinere, secundum illam Euangelij sententiam: Nolite sanctum dare canibus, neque *Matth.7.*
mittatis margaritas vestras ante porcos; cum de illis, quemadmodum dicis, ita credendum sit, quòd eis purgationis vel vtilitatis obtentu, huius tentationis humiliatio tribuatur?

*Responsio super proposita quæstione.*
SERENVS *Cap. XXX.*

SI habuerimus hanc sententiam, immo fidem, quam superius comprehendi, vt & omnia per Deum fieri, & pro vtilitate animarum dispensari vniuersa credamus, non solum nequaquam despiciemus eos, sed etiam pro ipsis, tamquam pro membris nostris, incessanter orabimus, eisq. totis viscceribus ac pleno compatiemur affectu (cum enim *1.Cor.12.*
patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra) scientes nos absque illis, vtpote membris nostris, omnimodis consummari non posse, quemadmodum legimus ne anteriores quidem nostros sine nobis repromissionis summam consequi potuisse, ita de illis Apostolo pronuntiante: Et hi omnes testimonio fidei comprobati, non accepe- *Hebr.11.*
runt repromissiones, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, ne sine nobis consummarentur. Communionẽ vero eis sacrosanctam a senioribus nostris numquam meminimus interdictam, quinimmo si possibile esset etiam quotidie eis impertiri eam debere censebant. Nec enim secundum Euangelij sententiam, quam incongrue huic sensui coaptastis: Nolite sanctum dare canibus; ad † dęmonis escã *al.damnæ*
sacrosancta communio, & non potius ad purgationem ac *tionẽ hãc.*
tutelam corporis animæq. peruenire credenda est; quæ ab homine percepta, eum qui in membris eius insidet spiri- *al. cognotum, scitur.*
seu in ipsis latitare † conatur, velut exurens fugat incendio

Universidad de Deusto
Biblioteca



cendio Hoc namque modo curatum & abbatem Andronicum nuper aſpeximus, aliosq. quamplures. Magis namque ac magis inimicus inſultabit obſeſſo, cum eum a cæleſti medicina viderit ſegregatum; tantoq. dirius ac frequentius attentabit, quanto eum ab ſpiritali remedio longius ſenſerit abdicatum.

*Quod miſerabiles ſint hi, qui ſubdi temporalibus iſtis tentationibus non merentur. Cap. XXXI.*

CEterum illi ſunt vere miſeri ac miſerabiles iudicandi, qui cum ſe vniuerſis criminibus flagitijsq. contaminent, non ſolum nullum viſibiliter in eis ſignum diabolicæ ſuppletionis oſtenditur, ſed nec aliqua quidem operationibus eorum condigna tentatio, nec vllum flagellum correptionis infertur. Non enim merentur celerem expeditamq. iſtius temporis medicinam, quorum duritia & impœnitentes cor pœnam vitæ præſentis excedens, theſaurizat ſibi iram & indignationem in die iræ & reuelationis *Rom. 2.* iuſti iudicij Dei; in quo vermis eorum non morietur, & *Eſai. 66.* ignis eorum non extinguetur. Contra quos Propheta velut anxius pro afflictione ſanctorum, videns eos ærumnis varijs ac tentationibus ſubiacere, & econtra peccatores non ſolum abſque vllo humiliationis flagello curſum iſtius mundi tranſire, ſed etiam affluentia d uitiarum ac ſumma rerum omnium proſperitate gaudere, intolerabili zelo, ac *Pſal. 72.* ſpiritus ſui feruore ſuccenſus, exclamat: Mei autem pene moti ſunt pedes, paulominus effuſi ſunt greſſus mei: quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns: quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum: in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ſcilicet in futuro cum dæmonibus puniendi, qui in præſenti non meruerunt in ſorte ac diſciplina filiorum cum hominibus flagellari. Hieremias quoque cum Deo ſuper hac impiorum proſperitate diſceptans, licet nequaquam dubitare ſe de iuſtitia Domini profiteatur, di- *Hiere. 12* cens: Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: cauſam tamen huius tantæ inæqualitatis inquirens, ſubiungit, *Ibid.* & dicit: Verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur; bene eſt omnibus qui præuaricantur, & inique agunt? plantaſti eos & radicem miſerunt, proficiunt & faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum. Quorum ruinam defiente Domino per prophetam,



am, & ad eorũ curationẽ medicos atque doctores ſolicite dirigente, & quodãmodo eos ad planctum ſimilem prouocante ac dicente: Subito cecidit Babylon, contrita eſt, vlu- *Hiere. 18* late ſuper eam, tollite reſinam ad dolorem eius, ſi forte ſanetur. reſpondent deſperantes angeli, quibus ſalutis humanæ cura commiſſa eſt; vel certe propheta ex perſona Apoſtolorum ſeu ſpiritualium virorum atque doctorum videntium duritiam mentis eorum & impœnitens cor: Curaui- *Ibid.* mus Babylonem, & non eſt ſanata; relinquamus eam, & amus vniuſquiſque in terrã ſuam; quoniã peruenit vſque ad cælos iudicium eius, & eleuatum eſt vſque ad nubes De iſtorum igitur deſperato languore, ex perſona Dei loquitur Eſaias ad Hieruſalem: A planta pedis vſque ad verticem *Eſai. 1.* non eſt in eo ſanitas. vulnus; & liuor, & plaga tumens; non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

*De diuerſitate ſtudiorum ac voluntatum, quæ in aereis poteſtatibus ſunt. Cap. XXXII.*

TOt autem eſſe in immundis ſpiritibus quot in hominibus ſtudia non dubie comprobatur. Nam nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita ſeductores ac ioculatores eſſe manifeſtum eſt, vt certa quæque loca ſeu vias iugiter obſidentes, nequaquam tormentis eorum quos potuerint prætereuntes decipere, delectentur; ſed deriſu tantummodo & illuſione contenti, fatigare eos potius ſtudeant quàm nocere: quoſdam ſolummodo innocuis incubationibus hominum pernoctare: alios ita eſſe furori ac truculentiæ deditos, vt non ſint contenti illorum tantummodo corpora, quos ſuppleuerint, attroci dilaceratione vexare, ſed etiam irruere ſuper eminus tranſeuntes, atque affi- *Matth. 8.* cere illos ſæuiſſima cæde feſtinent; quales illi in Euangelio deſcribuntur, ob quorum metum per viam illam tranſire iam nullus audebat, quos eorumq. conſimiles bellis quoque & ſanguinis effuſione, pro inſatiabili feritate gaudere non dubium eſt. Alios ita eorum corda, quos cepe-rant, inani quodam tumore vidimus infeciſſe, quos etiam Bacuceos vulgus appellat, vt ſemetipſos vltra ſui proceritatem corporis erigentes, nunc quidem ſe in quoſdam faſtus geſtusq. ſuſtollerent, nunc vero velut acclines ad quẽdam ſe tranquillitatis & adfabilitatis ſtatum communes blandosq. ſummitterẽt, ſeſeque velut illuſtres & circumſpe-

ctabi-

*Al. hominibus.* ctabiles † omnibus æstimantes, nunc quidem adorare se potestates sublimiores corporis inflexione monstrarent, nunc vero ab alijs se crederent adorari; & omnes motus quibus vera officia, aut superbe, aut humiliter peraguntur, explerent. Alios reperimus non solum studere mendacijs, sed etiam blasphemias hominibus inspirare. Cuius rei etiã nos testes sumus, qui audiuimus apertissime dæmonem confitentem, per Arium & Eunominum se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Quod etiam in tertio Regnorum libro vnum ex eisdem ipsis manifeste legimus prædicantem: Egrediar, inquit, & ero spiritus mendax in ore omniũ prophetarum eius. De quibus Apostolus arguens illos, qui ab ipsis decipiuntur, ita infert: Attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium. Esse autem & alia dæmonum genera, id est, mutorum atque surdorum, Euangelistę testantur. Incentores etiam libidinum atque luxuriæ quosdam spiritus esse propheta commemorat: Spiritus, inquiens, fornicationis decepit eos, & fornicati sunt a Deo suo. Nocturnos quoque, siue diurnos, ac meridianos dæmones similiter scripturarum auctoritas docet. De quorum diuersitate per lõgum est, si volumus omnia scripturarum volumina perscrutantes singillatim percurrere; qui per prophetam onocentauri, qui pilosi, qui sirenæ, qui lamiæ, qui vlulæ, qui struthiones, qui eritij designantur; qui aspis, qui basiliscus in psalmo, qui leo, qui draco, quive scorpius in Euangelio nuncupetur; qui princeps mundi huius, qui rectores tenebrarum harum, quive spiritalia nequitiæ ab Apostolo nominentur. Quæ vocabula non casu nec fortuitu indita illis debemus accipere, sed significatione istarum ferarum quæ apud nos vel minus noxiæ vel magis pernicioſæ sunt, illorum feritates rabiesq. distingui; & ex similitudine nequitiæ virulentæ, seu principatus, quem istis inter ceteras feras siue serpentes quædam excellentia malitiæ suæ confert, illos quoque eorũ vocabulis nuncupari; vt scilicet alius quidem ob vehementiam furoris & rabiem feritatis suæ, leonis appellationem, alius basiliſci ob illud mortiferum virus, quod priusquam sentiatur interimit, alius vero ob teporem malitiæ suæ onocentauri, aut eritij nomen, struthionisve sortitus sit.

*Psal.90.* *Marc.9.* *Luc.11.* *Oſee.4.* *3.Reg.22.* *1.Tim.4.* *Eſai.13. & 34.* *Pſal.90.* *Luc.10.* *Ioan.14.* *Epheſ.6.*

*Inter-*



*Interrogatio vnde differentia nequitiarum cælestium tanta*
GERMANVS *processerit. Cap. XXXIII.*

NOn quidẽ ambigimus illos quoque ordines quos Apostolus enumerat, ad istos referri: Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, cõtra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Volumus tamen nosse vnde sit hęc tanta inter eos differentia, vel quemadmodum tanti nequitiæ extiterint gradus. An ad hoc creati sint, vt hos ordines militiæ sortiretur, & quodammodo huic nequitiæ militarent? *Epheſ.6.*

*Dilatio super absolutione propositæ quæstionis.*
SERENVS *Cap. XXXIV.*

QVamquam propositiones vestræ totum tempus nocturnæ quietis ita nostris furentur obtutibus, vt appropinquantis auroræ nequaquam viciniam sentiamus, & vsque ad ortum solis insatiabiliter collationis huius verba contexere prouocemur; tamen quoniam absolutio propositæ quęstionis cum cœperit indagari, in quoddam amplissimum ac profundissimum nos educet quæstionũ pelagus, quod præsentis horæ breuitas transmeari non sinet, cõmodius reor, vt eam futuræ noctis indagini reseruemus, quo & mihi sub huius quæstionis occasione, de vestro propensiori colloquio lætitia spiritalis ac fructus vberior conferatur, & propositarum quæstionum sinus, præbente nobis Spiritu sancto prosperos flatus, liberius penetrare possimus. Quamobrem soporis modicum degustantes discutiamus obrepentem oculis nostris, vicina iam luce, torporem; ac deinceps pariter ad ecclesiam procedentes, quoniam nos hoc facere Dominicæ diei solemnitas commonet, reuersi post synaxin, ea quæ Dominus ad instructionem communem pro desiderio vestro largitus fuerit, duplicato gaudio conferemus.

PRIMÆ COLLATIONIS
*abbatis Sereni de animæ mobilitate, & spiritalibus nequitijs, Finis.*

COLLA-

# COLLATIO OCTAVA,

## QVÆ EST SECVNDA ABBATIS SERENI,

## DE PRINCIPATIBVS, SEV POTESTATIBVS.

*De humanitate abbatis Sereni. Cap. I.*

Consummatis, quæ diei solemnitas exigebat, & ecclesiæ congregatione dimissa reuersi ad cellam senis, refecti primum lautissime sumus. Nam pro muria quæ superiecta olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuit, & olei quiddam solito propensius superfudit. Nam illam olei guttam ob hoc vnusquisq. quotidie refecturus instillat, non vt eius ex hoc guttur quandã suauitatẽ percipiat (quippe cuius tantus est modus, vt vix ipsius gutturis ac faucium meatus non dicam lenire, sed pertransire sufficiat) sed vt hoc vsu iactantiam cordis, quæ pro abstinentia districtiore blande solet ac latẽter irrepere, & stimulos elationis obtundat: quia quanto abstinentia ipsa occultius exercetur, nulloq. hominum teste perficitur, tanto subtilius occultatorem suum tentare non desinit. Deinde appositus est salem frictum, oliuas ternas, quibus post hæc superintulit canistrum habens cicer frictum, quod illi trogalia vocant, ex quibus quina tantum sumpsimus grana, myxaria bina, caricas singulas: hunc enim numerum in illa eremo quemquam excessisse culpabile est. Qua refectione transacta, repromissam quæstionis absolutionem cum reposcere cœpissemus: Proferte, inquit senex, interrogationem vestram, cuius in hanc horam distuleramus indaginem.

*Propositio de diuersitate nequitiarum cælestium.*

GERMANVS *Cap. II.*

*Ephes. 6.* VNde, quęsumus, tanta varietas aduersariarum potestatum contra hominem ac diuersitas ista processit, quã beatus Apostolus ita dinumerat: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus mundi rectores tenebrarum horum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Et iterum: Neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Vnde ergo tantæ militiæ æmula nobis emersit aduersitas? An ad hoc potestates istas a Domino conditas esse credendum est, vt his contra hominem gradibus atque ordinibus militarent?

*Rom. 8.*



*Responsio de multiplici esca scripturarum sanctarum.*

SERENVS *Cap III.*

DIuinarum scripturarum auctoritas, de his in quibus nos voluit erudire, quædam etiam his qui acumine ingenij carent tam lucide & euidenter effata est, vt non solum nulla occultioris sensus obscuritate velentur, sed nec vllo quidem patrocinio interpretationis indigeant, in superficiæ vocis ac litteræ suos intellectus ac sententias præferentia: quędam vero ita contecta, & quibusdam obscurata mysterijs, vt in eorũ discussione & intellectu immensum nobis exercitij campum ac solicitudinis reseruaret. Quam rem multas ob causas Deum dispensasse, manifestũ est: primum, ne sacramenta diuina nullum habentia spiritalis intellectus velamen obductum, cunctis hominibus, id est, tam fidelibus quàm profanis, æquali scientia & notitia panderẽtur, & per hoc inter inertes ac studiosos nulla esset virtutis prudentiæq. distantia: tum vt etiam inter ipsos domesticos fidei, dum intellectuũ spatia corã eis immensa tenduntur, esset in quibus & desidiosorũ argueretur ignauia, & studiosorũ alacritas atque industria probaretur. Ideoque satis proprie scriptura diuina agro opimo ac fertili cõparatur, qui cum multa gignat ac proferat, quæ ad hominũ victum sine aliqua ignis coctione proficiant, quædam nisi prius flammæ calore mollita atque mitigata omnem asperitatem suæ deposuerint cruditatis, vel incongrua humanis vsibus vel noxia sentirentur. Nonnulla vero ita vtrique vsui apta† nascuntur, vt nec incocta sua cruditate displiceant vel offendant, & tamen ignis calore † lenita salubriora reddantur. Plura quoque ad escam tantum modo irrationabiliũ proferuntur cibis hominum minime profutura, quæ etiam in sua asperitate manentia absque vlla ignis coctione vitalem iumentis conferunt satietatem. Quam rationem satis euidenter aspicimus in hoc vberrimo spiritalium scripturarum

*al. noscuntur.*

*al. decocta.*

rarum paradiso contineri, in quo ita quædam significatione litteræ plana ac luculenta resplendent, vt cũ sublimiore interpretatione non egeant, simplici tantum litteræ sono abunde pascant ac nutriant audientes; vt est illud: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Et: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Quædam autem si allegorica explanatione extenuata non fuerint, & spiritalis ignis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem interioris hominis cibũ sine corruptionis labe peruenient, magisq. ex eorum perceptione læsio quàm vtilitas aliqua subsequetur, vt est illud: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardẽtes, &: Qui non habet gladium, vendat tunicam suam, & emat sibi gladium. &: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Quod quidam districtissimi monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, easq. iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Nonnulla vero ad vtramque perceptionem, id est, tam historicam quàm allegoricam ita cõmode ac necessarie capiuntur, vt vtraque explanatio vitales animæ succos subministret, vt est illud: Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram: Cum persequẽtur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. &: Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Producit sane & fœnum iumentis, quibus pabulis omnes scripturarũ repleti sunt campi, simplicem nempe puramq. narrationem lectionis historicæ, qua simpliciores quiq. ac minus capaces perfectę atque integræ rationis (de quibus dicitur: Homines & iumenta saluabis Domine,) secundum status, ac mensuræ suæ condicionem, ad opus tantum & laborem actualis vitæ vegetiores robustioresq. reddantur.

Deut. 6. Ibid. & Matt. 22. Luc. 12. Luc. 22. Matt. 10. Rom. 10. Matth. 5. Matt. 10. Matt. 19. Psal. 103. Psal. 35.

### *De gemina sententia super intellectu scripturarum sanctarum. Cap. IV.*

QVamobrem de his quæ aperta explanatione prolata sunt, nos quoque cõstanter possumus definire, audenterq. nostram proferre sententiam. Ea vero quę meditationi & exercitio nostro reseruans obtecta sanctis scripturis spiritus diuinus inseruit, quibusdam ea volens indicijs & opinionibus colligi, ita pedetentim debent cauteq. conferri, vt sit eorum assertio seu confirmatio in disputantis uel suscipientis arbitrio collocata. Nonnumquam enim cum super una re diuersa promatur sententia, potest utraque rationabilis iudicari, & sine detrimento fidei uel fixe uel medie susci-



pi, id est, ut ei nec plena credulitas, nec absoluta refutatio deputetur; prioriq. sequens opinio derogare non debeat, cum neutra earum fidei inueniatur obsistere; quale est illud, quòd Elias uenerit in Ioanne, & iterum sit aduentum Domini præcessurus; & de abominatione desolationis, quòd steterit in loco sancto per illud simulachrum Iouis quod Hierosolymis in templo positum legimus, & iterum stare habeat in Ecclesia per aduentum Antichristi, illaq. omnia, quę in Euangelio sequuntur, quę & impleta ante captiuitatem Hierosolymorum, & in fine mundi huius intelliguntur implenda, e quibus neutra opinio impugnat aliam, nec sequentem prior intellectus euacuat.

Matt. 11. Matt. 24. 2. Mac. 6.

### *Quod proposita quæstio inter illa, quæ medie tenenda sunt debeat accipi. Cap. V.*

ET idcirco proposita a vobis quęstio licet non satis uideatur nec frequenter inter homines uentilata, nec apud plurimos pateat, & ex hoc ipso apud aliquos ea, quę proferemus forsitan uideantur ambigua, ita debemus nostram temperare sententiam, quoniam fidei Trinitatis nihil pręiudicant, ut inter illa habeantur quæ medie sunt tenenda, quamquam non tali opinione qualis suspicionibus tantum & coniecturis colligi solet, sed manifestis scripturarum testimonijs omnia comprobentur.

### *De eo quod nihil a Deo malum creatum sit. Cap. VI.*

ABsit ergo ut Deum quidquam creasse confiteamur, quod substãtialiter malum sit, dicente scriptura: Omnia quæ fecit Deus bona sunt ualde. Si enim a Deo tales isti creati sunt, uel ad hoc facti, ut hos malitiæ gradus teneant, ac semper deceptionibus & ruinis hominum uacent, contra prædictæ scripturæ sententiam infamabimus Deum uelut creatorem atque inuentorem malorum, quòd scilicet pessimas uolũtates ac naturas ipse cõdiderit, ad hoc eas creans, ut semper in nequitia perseuerantes numquam transire possint in bonæ uoluntatis affectum. Hanc igitur rationem diuersitatis huius traditione patrum de sanctarum scripturarum fonte percepimus.

Genes. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De initio principatuum seu potestatum. Cap. VII.*

ANte conditionem huius visibilis creaturæ spiritales cælestesq. virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso quòd scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio creatoris ex nihilo fuisse productas, perpetuas ei gratias referentes indesinenter eius laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat. Nec enim existimare debemus creationis & opificij sui principia ab huius mundi constitutione Deum primitus inchoasse, quasi in illis anterioribus atque innumeris sæculis, ab omni prouidentia & dispensatione diurna fuerit otiosus, ac tamquam non habens in quos bonitatis suæ beneficia exerceret, solitarius, atque ab omni munificentia alienus fuisse credatur; quod de illa immensa ac sine principio & incomprehensibili maiestate satis humile est incongruumq. sentire, ipso Domino de illis potestatibus
*Iob. 38. sec. lxx.* hæc dicente: Quando facta sunt simul sidera, laudauerunt me voce magna omnes angeli mei. Qui ergo interfuerunt creationi siderum, ante istud principium, in quo factum di-
*Gen. 1.* citur cælum & terra, creati fuisse manifestissime comprobantur; quippe qui pro istis omnibus visibilibus creaturis, quas videbant ex nihilo processisse, creatorem magna voce referuntur & admiratione laudasse. Ante istud ergo tempo-
*Ibid.* rale principium quod a Mose ponitur, quodq. mundi huius secundum historicum, immo Iudaicum sensum signat ætatem, saluo scilicet nostro sensu, quo nos interpretamur omnium rerum Christum esse principium, in quo etiam
*Ioan. 1.* omnia creauerit pater, secundum illud: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: ante istud, inquam, Geneseos temporale principium, omnes illas potestates cælestesq. virtutes Deum creasse non dubium est. Quas Apo-
*Coloss. 1.* stolus per ordinem numerans, ita describit: Quia in Christo creata sunt omnia, siue quæ in cælis, siue quæ in terra sunt, visibilia & inuisibilia, siue angeli, siue archangeli, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.

*De lapsu diaboli & angelorum. Cap. VIII.*

DE istorum itaque numero nonnullos principes fuisse collapsos lamentatio Ezechielis siue Esaiæ manifestissime docet, in quibus principem Tyri, aut illum Lucifer, qui mane oriebatur, flebili planctu cognoscimus lamen-
*Ezech. 28* tari. Et de illo quidem ita Dominus ad Ezechiel: Fili hominis,



nis, leua planctum super principem Tyri, & dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & berrillus, sapphyrus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. perfectus in vijs tuis a die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti; & eieci te de monte Dei, & perdidi te o Cherub protegens de medio lapidum ignitorum. Eleuatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam a decore tuo, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te, vt cernerent te. in multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. Esaias quoque de alio: Quomodo cecidisti de cælo *Esai. 14.* lucifer qui mane oriebaris? corruisti in terram qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei † exaltabo solium meum, sedebo in *al. ponã.* monte testamenti, in lateribus Aquilonis. ascendam super altitudinem nubium, ero similis altissimo. Quos tamen nõ solos ex illo beatissimæ stationis apice corruisse scriptura commemorat, dicens: Tertiam partem stellarum draco- *Apoc. 12.* nem illum pariter pertraxisse. Vnus quoque Apostolorum euidentius dicit: Angelos vero qui non seruauerunt suum *Iudas in epist.* principatum, sed reliquerunt domicilium suum, in iudicio magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit. Illud etiam quod ad nos dicitur: Vos autem sicut homines mo- *Psal. 81.* riemini, & sicut vnus de principibus cadetis; quid aliud quàm multos principes cecidisse significat? Quibus indicijs ratio diuersitatis huius ista colligitur, has differentias ordinum, quas instar sanctarum cælestiumq. virtutum aduersæ potestates habere dicuntur, vel ex illius anterioris ordinis gradu, in quo vnaquæque creata fuerat, nunc etiam retentare; vel certe de cælestibus deuolutas ad similitudinem illarum virtutum, quæ ibidem perseuerant, pro nequitiæ suæ merito in qua vnaquęque in malum † profecit, hos *al. creuit.* inter se gradus & ordinum vocabula in parte contraria vindicasse.

Universidad de Deusto Biblioteca



*Obiectio quod ruina diaboli a deceptione Eue principium*
GERMANVS *sumpserit. Cap.* IX.

NOs hactenus credebamus causam atque initium ruinæ seu præuaricationis diaboli, qua de angelica statione deiectus est, inuidiam specialiter extitisse, quando
*Gen. 3.* Adam & Euam liuida calliditate decepit.

*Responsio de initio lapsus diaboli.*
SERENVS *Cap.* X.

NOn esse istud præuaricationis illius seu deiectionis initium, Geneseos lectio manifestat, quæ ante illorum deceptionem serpentini nominis eum nota credidit inurendum, ita dicens: Serpens autem erat sapientior, siue, vt Hebraici exprimunt libri, callidior cunctis bestijs terræ, quas
*Ibid.* fecit Dominus Deus. Intelligitis ergo quòd ante illam circumuentionem primi hominis, de angelica discesserat sanctitate, ita vt non solum nominis huius insigniri mereretur infamia, sed etiã in nequitiæ tergiuersatione ceteris præferretur bestijs terræ. Non enim tali vocabulo scriptura bonũ angelum designasset, nec de his qui in illa beatitudine per-
*Ibid.* seuerant diceret: Serpens autem erat sapientior omnibus bestijs terræ. Nam hoc cognomen non solum Gabrieli siue Michaeli nullo modo posset aptari, sed ne bono quidem cuiquam homini conueniret. Apertissime itaque & serpentis vocabulum, & comparatio bestiarum non sonat angeli dignitatem, sed præuaricatoris infamiam. Denique liuoris ac seductionis materia, qua vt hominem deciperet instigatus est, de anterioris ruinæ extitit causa, quòd scilicet de li-
*Gen.* mo terræ nuperrime figuratum, ad illam eum gloriam cerneret euocandum, vnde cum esset vnus de principibus se meminerat corruisse. Et idcirco priorem eius lapsum, quo superbiendo corruerat, quo etiam serpens meruerat nuncupari, secunda ruina per inuidiam subsecuta est, quæ inueniens eum adhuc aliquid in sese erectum habentem, ita vt etiam cuiusdam colloquij atque consilij cum homine posset habere consortium, sententia Domini vtiliter in ima deiectus est, vt non iam sicut ante sublime aliquid intuens, & excelsus incederet, sed vt solo cohærens reperet potius, &
*Gen. 3.* humiliatus super ventrem terrenis vitiorum escis & operibus pasceretur, occultum deinceps publicans inimicum, ac ponens inter ipsum & hominem vtiles inimicitias, salutaremq. discordiam; vt dum cauetur tãquam hostis noxius,



xius, amicitijs fraudulentis vlterius homini nocere non posset.

*De eius qui decipit siue decipitur pœna. Cap. XI.*

IN quo tamen & illud nos præcipue debet instruere, vt a malis consilijs declinemus, quòd licet deceptionis auctor congrua pœna & condemnatione plectatur, ne ille quidem qui seducitur supplicio careat, licet aliquantulo leuiore, quàm ille qui auctor deceptionis extiterit. Quod hic expressum pleniſſime cernimus. Adam namq. qui seductus est, immo (vt Apostoli verbis eloquar) qui seductus non est, *1. Tim. 2.*
sed seductæ acquiescens, in exitiabilem videtur accessisse consensum, sudore vultus ac labore tantummodo condem- *Gen. 3.*
natur: qui tamen illi nõ per suam, sed per terræ maledictionem sterilitatemq. decernitur. Mulier vero quæ huius rei
persuasor extitit, multiplicatione gemituum ac dolorum *Ibid.*
atque tristitiæ premitur, perpetuo pariter iugo subiectionis addicta. Serpens autem, qui primus incentor huius offensæ fuit, perenni maledictione multatur. Quamobrem summa solicitudine & circumspectione cauendum est a consilijs prauis; quia sicut auctorem puniunt, ita deceptum nec peccato faciunt carere, nec pœna.

*De cõstipatione damonum & inquietudine, quam in hoc aere semper exercent. Cap. XII.*

TAnta vero spirituum densitate constipatus est aer iste, qui inter cælum terramq. diffunditur, in quo nõ quieti otioſiq. peruolitant, vt satis vtiliter humanis aspectibus eos prouidentia diuina subtraxerit. Aut enim terrore concursus eorum vel horrore vultuum, in quos se pro voluntate sua cum libitum fuerit transformant atque conuertũt, intolerabili formidine consternarentur homines atque deficerent, nequaquam valentes hæc carnalibus oculis intueri; aut certe nequiores quotidie redderentur, exemplis eorum iugibus & imitatione vitiati; & per hoc inter homines & immundas atque aereas potestates fieret noxia quædam familiaritas, ac pernicioſa coniunctio, quia hæc flagitia quæ nunc inter homines admittuntur, vel parietum septis, vel locorum interuallo, & quadam verecundiæ confusione cælantur, si aperta iugiter visione conspicerent, ad maiorem furoris incitarentur insaniam, nullo scilicet interueniente temporis puncto, quo ab istis sceleribus eas cernerent desinentes: quippe quas nulla lassitudo carnalis, seu occupa-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tio rei familiaris, ac distentio quotidiani victus, quemadmodum nos, a cœptis intentionibus etiam inuitissimos nõnumquam cessare compellunt.

*Quod impugnationem, quam erga homines aereæ potestates impendunt, etiam aduersum se commoueant. Cap. XIII.*

HAs namq. impugnationes, quibus homines impetunt, etiam contra se inuicem ipsas affectare certissimum est. Nam discordias atque conflictus super nonnullis gentibus pro quadam sibi nequitiæ vernacula familiaritate susceptis, indefesso certamine similiter exercere non desinunt. Quod etiam in visione Danielis prophetæ manifestissime legimus figuratum, angelo Gabriele ita narrante:

*Dan. 10.* Noli timere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum. Veni autem vt docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus. Quem principem regni Persarum aduersariam potestatem esse, quæ fauebat genti Persarum inimicæ populo Dei, minime dubitandum est; quique ad impediendam vtilitatem, quam videbat per absolutionem quæstionis pro qua propheta Dominum

*al. libens.* exorauerat, ab archangelo ministradam, † liuens semetipsum, ne ocius ad Danielem salutaris angeli consolatio perueniret, Deiq. populum cui Gabriel archangelus præerat, confortaret, obiecit. Qui tamen ait, ne tunc quidem ob impugnationis illius vehementiam se ad eum peruenire potuisse, nisi in adiutorium sibi Michael archangelus aduenisset, & occurrens principi regni Persarum, seseq. conflictui eius interserens & opponens, eumq. ab ipsius impugnatione defendens, ad instructionem prophetæ post vicesimum & vnum diem peruenire fecisset. Et post pauca:

*Ibid.* Et ait, inquit, angelus: Numquid scis quare venerim ad te? Et nunc reuertar vt prælier aduersus principem Persarum. Cum enim ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis. Et nemo est adiutor meus in his om-

*Dan. 12.* nibus, nisi Michael princeps vester. Et iterum: In tempore illo



illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui. Legimus ergo Græcorum quoque principem similiter alium nuncupari, qui vtique fauens genti sibi subditæ, tam populo Israeli, quàm nationi Persarum videbatur aduersus. Ex quo liquido peruidetur, quòd discordias gentium & conflictus ac simultates, quas inter se istis instigantibus gerunt, etiam contra se aduersæ exerceant potestates, & illatum vel victoria gaudeant, vel diminutione crucientur; & ob hoc non possunt inter se esse cõcordes, dum vnusquisque pro his, quibus præest, contra alterius gentis præsulem inquieta semper æmulatione contendit.

*Vnde factum sit vt potestatum seu principatuũ nomina spiritales nequitiæ sortirentur. Cap. XIV.*

HOs ergo præter illas, quas superius exposuimus opiniones, etiam idcirco dici principatus vel potestates, euidenti possumus ratione colligere, quòd scilicet vel diuersis gentibus dominentur ac præsint, vel certe quòd in inferiores spiritus atque dæmonia (de quibus etiam Euangelia, *Luc 8.* legiones esse propria ipsorum confessione testantur) suos exerceant principatus. Non enim dominationes dici possunt, nisi habeant in quos ditionem suæ dominationis exerceant; nec potestates aut principatus vocari queunt, nisi fuerint in quos sibi vindicent principatus. Quod etiam in Euãgelio designari calumniãtibus Pharisæis manifestissime reperimus: In Beelzebub principe dæmoniorum hic eijcit dæ- *Luc. 11.*
mones. Nam & rectores tenebrarum harum legimus appel- *Epheſ. 6.*
lari, & alium mundi huius principem nuncupari. Quos ta- *Ioan. 14.*
men gradus beatus Apostolus in futurum, cum omnia fuerint Christo subiecta, asserit euacuandos: Cum tradiderit, *1. Cor. 15.*
inquiens, regnum Deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & dominationem. quod vtique nõ aliter fiet, nisi fuerint de ipsorum ditione sublati, in quos in hoc sæculo potestates seu dominationes vel principatus administrare noscuntur.

*Quod non sine causa sanctis cælestibusq. virtutibus angelorũ siue archangelorum sint nomina indita. Cap. XV.*

NAm quia bonæ partis eorundẽ ordinum vocabula non sine ratione causave sint indita, sed officiorũ vel meritorum seu dignitatum sint nomina, nulli dubium est. Etenim de officio nuntiandi Angelos, id est, nuntios appellari manifestũ est: & Archãgelos, eo quòd ipsis angelis præsint,

Universidad de Deusto
Biblioteca



nominis ipsius proprietas docet: Dominationes etiam ab eo quòd quibusdam dominentur: Principatus quoque quòd habeant quorum sint principes: & Sedes, quòd ita scilicet Deo cohæreant, & domesticæ sint ei ac familiares, vt in ipsis velut in quadam sede diuina maiestas peculiarius requiescat, & quodammodo in eis firmius reclinetur.

*De subiectione dæmonum, quam suis principibus præbent.*
*Cap. XVI.*

REgi autem immundos hos spiritus a nequioribus potestatibus, eisq. subditos esse, præter illa scripturarum testimonia, quæ in Euangelijs quoque calumniantibus Pha- *Luc. 11.*
risæis, Domini legimus responsione descripta: Si ego in Beelzebub principe dæmoniorum eijcio dæmones; etiam perspicuæ visiones & experimenta sanctorum multa nos edocent. Nam cum vnus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, aduesperascente iam die, antrum quoddam reperiens, ibidem substitit, vespertinam volens in eo synaxin celebrare. Vbi dum psalmos ex more decantat, tempus mediæ noctis excessit. Cumq. finita solemnitate refecturus lassum corpus paululum, resedisset, repente cœpit cateruas dæmonum vndique confluentium innumerabiles intueri, quæ infinita constipatione atque ordine longissimo procedentes, aliæ præibant principem suum, aliæ suo agmine sequebantur. Qui tandem aliquando & magnitudine procerior cunctis, & aspectu terribilior aduenit: ac posito solio cum in tribunali quodam sublimissimo consedisset, vniuscuiusque actus diligenti cœpit examinatione discutere, illosq. qui necdum se circumuenire æmulos suos potuisse dicebant, velut inertes ignauosq. a conspectu suo cum nota & iniuria iubebat expelli, spatia temporis tanti, & opus inaniter ab eis expensum cum fremitu & indignatione furoris exprobrans. Illos vero qui se nuntiabant consignatos sibimet decepisse, summis laudibus cum exultatione ac fauore cunctorum, vt fortissimos bellatores ad exemplum cunctorum gloriosissimos coram omnibus emittebat. In quorum numero cum quidam nequissimus spiritus, vtpote quendam triumphum sublimissimum delaturus, lætior aduenisset, nomen monachi optime cogniti designauit, asserens se post quindecim annos quibus eum iugiter obsedisset, tandem aliquando præualuisse, vt eum eadem ipsa nocte ruina fornicationis elideret: nam cum quadam sacra puella non solum impulisse vt stupri crimen incurreret, sed etiam persuasisse vt eam sibi iure coniugij retentaret. Super cuius † prosecutione cum immane cunctorum gaudium fuisset exortum, summis a principe tenebrarum laudibus eleuatus, magnisq. præconijs coronatus abscessit. Aurora itaq. superueniente, cum omnis ab oculis euanuisset dæmonum multitudo, dubitans frater de immũdi spiritus assertione, magisq. id ratus, quòd inolita consuetudinis suæ fallacia sibi voluisset illudere, & innocenti fratri inurere crimen incesti; memor euangelicæ sententiæ, *Ioan. 8.*
quòd in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cum loquitur mẽdacium, de proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius; Pelusium petijt, vbi illum quem immundus spiritus asseruit esse deiectum, nouerat commorari; (erat siquidem illi etiam notissimus frater.) Quem cum requisisset, reperit quòd eadem nocte, qua teterrimus ille dæmon ruinam eius suæ cohorti & principi renuntiauerat, monasterio pristino derelicto, vicum petisset, & cum designata puella fuisset lapsu miserabili deuolutus.

*Quod singulis hominibus duo semper angeli adhæreant.*
*Cap. XVII.*

NAm quòd vnicuique nostrum duo cohæreant angeli, id est, bonus & malus, scriptura testatur. Et de bonis quidem Saluator: Ne contemnatis, inquiens, vnum ex pu- *Matt. 18.*
sillis istis, dico enim vobis, quòd angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est. Illud quoque: Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & *Psal. 33.*
eripiet eos. Necnon etiam quod in actibus Apostolorum de Petro dicitur: Quia angelus eius est. De vtrisque vero, liber *Act. 12.*
Pastoris plenissime docet. Si autem consideremus & illum, *Liber Pa-*
qui beatum Iob expetijt, apertissime instruemur illum fuisse, qui semper insidiatus ei, nũquam eum ad peccatum po- *storis.*
tuerit incitare, & ideirco potestatem a Domino poposcisse, *Iob. 2.*
velut qui non virtute illius, sed Domini defensione, qui illum semper protegeret, vinceretur. De Iuda quoque dicitur: *Psal. 108.*
Et diabolus stet a dextris eius. *cuius par-*

*Differẽtia nequitiæ, quæ aduersis spiritibus inest, per duos phi-* *tem S. Pe-*
*losophos approbata. Cap. XVIII.* *trus de Iu-*

DE differentijs sane dæmonum etiam per illos duos *da inter-*
philosophos, qui quondam magicis artibus vel inertiam eorum, vel fortitudinem sæuamq. nequitiam fuerant *pretatur.*
*Act. 1.*
frequen-

Universidad de Deusto
Biblioteca



frequenter experti, multũ cognitionis accepimus. Hi namq. despicientes beatum Antonium velut imperitum ac sine litteris virum; volentesq. eum (si nihil amplius lædere potuissent) saltem de cella sua magicis præstigijs & circumuentione dæmonum proturbare, spiritus ei nequissimos immiserunt, ad impugnationem hanc morsu liuoris adducti, eo quòd maximæ hominum turbæ ad eum veluti famulum Dei quotidie conuenirent. Cumq. illo nunc quidem imprimente pectori suo frontiq. signaculum crucis, nunc vero orationi suppliciter incubante, ne approximare quidem dirissimi dæmones eidem prorsus auderent, atque ad illos qui eos direxerant absque vllo reuerterentur effectu, & alios illi in nequitia vehementiores rursus immitterent, itidemq. ipsis incassum suas expendentibus vires, atque inaniter redeũtibus, potẽtiores nihilominus aduersus militem Christi victorem iterum destinati, nihil penitus prævalerent: eo quidem profecerunt tales tantæq. eorum insidiæ tota magica arte quæsitæ, vt per hæc euidentissime comprobarent, magnam professioni Christianorum inesse virtutem, quibus illæ tam sæuæ & tam potentes vmbræ, quas æstimabant solem lunamq., si ad eas directæ fuissent, obducere potuisse, hunc non solum nil lædere, sed ne ad punctum quidem de monasterio suo valuerint proturbare.

*Quod dæmones nihil aduersus homines prævaleant, nisi eorũ prius mentes obsederint. Cap. XIX.*

CVmq. pro hac admiratione confestim veniẽtes ad abbatem Antonium, impugnationum suarum magnitudinem, & causas atque insidias patefecissent liuoris occulti, Christianos se fieri protinus poposcerunt. requisito autem ab illis proditæ impugnationis die, asseruit se amarissimis cogitationum stimulis tunc fuisse pulsatum. Quo experimẽto sententiam nostram, quam hesterno die in collatione protulimus, probauit ac definiuit beatus Antonius: nullatenus dæmones posse mentem cuiusquam vel corpus inuadere, nec habere facultatem in cuiuslibet animam penitus irruendi, nisi eam primo destituerint omnibus cogitationibus sanctis, ac spiritali contemplatione vacuam nudamq. reddiderint. Sciendum tamen duobus modis immũdos spiritus hominibus obedire. Aut enim sanctitati fidelium diuina gratia ac virtute subduntur; aut sacrificijs impiorum seu quibusdam carminibus deliniti, velut familiaribus adulantur. Qua opinione Pharisæi quoque decepti, arbitrati sunt etiam Dominum Saluatorem hac arte dæmonijs imperasse, dicentes: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmones: secundum illam scilicet consuetudinem, qua nouerant suos magos vel maleficos per inuocationem illius nominis, ac ritu sacrificiorũ, quo eũ delectari & gaudere cognoscunt, velut domesticos eius habere etiam in dæmones ei subditos potestatem. *Luc. 11.*

*Interrogatio de apostatis angelis, qui in Genesi cũ filiabus hominũ concubuisse dicuntur. Cap. XX.*

GERMANVS

QVia Geneseos lectio paulo ante in medium Dei dispẽsatione prolata est, quæ nos oportune commonuit, vt id quod semper discere cupiebamus, nunc possimus congrue scisciatari; quid etiam de illis apostatis angelis sentiendum sit, optamus agnoscere, qui se cum filiabus hominum miscuisse dicuntur, vtrum hoc possit spiritali naturæ secundum literam conuenire. Illud quoque Euangelij testimonium, quod de diabolo paulo ante dixisti: Quia mẽdax est, & pater eius; similiter desideramus audire, quinam eius pater intelligendus sit. *Gen. 6.* *Ioan. 8.*

*Solutio propositæ quæstionis.*

SERENVS *Cap. XXI.*

DVas quæstiones non mediocres pariter protulistis, de quibus quantũ possumus, eodẽ quo proposuistis ordine respondebo. Nullo modo credendũ est spiritales naturas coire cũ feminis carnaliter posse. Quòd si aliquãdo hoc secundum litteram fieri potuisset, quomodo nunc quoque idipsum non vel raro cõtingeret, vt absque semine vel coitu viri aliquos nasci similiter de mulieribus conceptu dæmonũ cerneremus? cũ præsertim constet eos libidinũ sordibus admodũ delectari; quas proculdubio per semetipsos exercere quàm per homines mallent, si id vllo modo posset impleri, Ecclesiaste quoque idipsum pronuntiante: Quid est quod fuit? ipsum quod futurũ est: & quid est quod factũ est? ipsum quod fiet: & nõ est omne recẽs sub sole quod loquatur & dicat: ecce hoc nouũ est; iã fuerunt in sæculis, quæ fuerunt ante nos. Sed ita quæstio huius propositionis absoluitur. Post necẽ Abel iusti, ne a fratricida & impio omne hominũ genus exordium sumeret, in locũ fratris extincti nascitur Seth, qui non solũ posteritati, sed etiã fraternæ iustitiæ pietatiq. succederet. Cuius progenies patris secuta iustitiam, *Eccl. 1.* *Gen. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſtitiam, a ſocietate & coniunctione cognationis illius quæ ex Cain ſacrilego deſcendebant, ſemper diuiſa permanſit, ſicut etiam genealogiæ diſcretio manifeſte declarat, ita dicens: Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainam, Cainam autem genuit Malaleel, Malaleel autem genuit Iared, Iared genuit Enoch, Enoch autē genuit Mathuſalem, Mathuſalem genuit Lamech, Lamech genuit Noe.

*Gen. 5.*
*1. Para. 1*

*Gen. 4.*

Item genealogia Cain ita diuiſa deſcribitur: Cain genuit Enoch, Enoch genuit Irad, Irad genuit Mauiael, Mauiael genuit Mathuſael, Mathuſael genuit Lamech, Lamech genuit Iubal. Itaq. illa generatio quæ de Seth iuſti propagine deſcendebat, ſuæ lineæ iugiter agnationiq. permixta, in patrum atque ataui ſanctitate longa ætate durauit, nequaquā ſcilicet ſacrilegijs ac malitia nequiſſimæ prolis infecta, quæ in ſemet impietatis germen velut auita traditione retinebat inſertum. Donec ergo perſeuerauit inter illos generationis eorum iſta diſcretio, ſemen illud Seth, vtpote de optima radice procedens, pro merito ſanctitatis angeli Dei, ſiue, vt diuerſa exemplaria continent, filij Dei vocati ſunt: & econtrario illi propter impietatem vel ſuam vel patrum ſuorum & opera terrena, filij hominum nuncupantur. Cum eſſet ergo inter ipſos vſque ad illud tempus hæc vtilis ſanctaq. diuiſio, videntes poſt hæc filij Seth, qui filij Dei erant, filias eorum, qui de Cain progenie naſcebātur, deſiderio pulchritudinis earum accenſi, acceperunt ſibimet de ipſis vxores, quæ viris ſuis parentum ſuorum nequitias infundentes, ab illa eos ingenita ſanctitate ac ſimplicitate paterna protinus corruperunt. Ad quos ſatis congrue directum eſt illud eloquium: Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis. Quippe ab illa vera phyſicę philoſophię diſciplina tradita ſibi a maioribus exciderunt, quam primus homo ille, qui vniuerſarum naturarum inſtitutionem e veſtigio ſubſecutus potuit euidenter attingere, ſuisq. poſteris certa ratione tranſmittere. Quippe qui mundi ipſius infantiam adhuc teneram, & quodammodo palpitantem rudemq. conſpexerat; & in quem tanta fuit non ſolum ſapientiæ plenitudo, ſed etiam gratia prophetiæ, diuina illa inſufflatione tranſfuſa, vt vniuerſis animantibus nomina rudis adhuc mundi huius habitator imponeret, ac non ſolum omnigenum beſtiarum atque ſerpentium furores virusq. diſcerneret, ſed etiam

*Pſal. 81.*

*Gen. 2.*



etiam virtutes herbarū, arborum lapidumq. naturas ac tēporum necdum expertorum viciſſitudines partiretur; ita vt potuerit efficaciter dicere: Dominus dedit mihi eorum, quæ ſunt, ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem & medietatem temporum, viciſſitudinum mutationes, & dimenſiones temporum, annorum curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ſpirituum, & cogitationes hominum, differentias arborum, & virtutes radicum, & quæcumque ſunt abſcondita & in promptu cognoui. Hanc ergo ſcientiam omnium naturarum per ſucceſſiones generationum ſemen Seth paterna traditione ſuſcipiens, donec diuiſum a ſacrilega propagine perdurauit, quemadmodum ſancte perceperat, ita etiā vel ad Dei cultum, vel ad vtilitatem vitæ communis exercuit. Cum vero impiæ generationi fuiſſet admixtum, ad res profanas ac noxias, quæ pie didicerat inſtinctu quoque dæmonum deriuauit, curioſasq. ex ea † maleficiorum artes, atque præſtigias, ac magicas ſuperſtitiones audacter inſtituit; docens poſteros ſuos vt ſacro illo cultu diuini nominis derelicto, vel elementa hæc, vel ignem, vel aereos dæmones venerarentur & colerent. Hæc igitur quam diximus curioſarum rerum notitia, quomodo in diluuio non perierit, ac ſuperuenientibus ſæculis innotuerit, licet hoc minime abſolutio propoſitæ quæſtionis expoſcat, tamen quia nos occaſio huius expoſitionis admonuit, perſtringendum breuiter puto. Quātum itaque antiquæ traditiones ferunt, Cham filius Noe, qui ſuperſtitionibus iſtis & ſacrilegis ac profanis fuerat artibus inſtitutus, ſciens nullum ſe poſſe ſuper his memorialem librum in arcam prorſus inferre, in qua erat vna cum patre iuſto ac ſanctis fratribus ingreſſurus, ſceleſtas artes ac profana commenta diuerſorum metallorum laminis, quæ ſcilicet aquarum corrumpi inundatione non poſſent, & duriſſimis inſculpſit lapidibus. Quæ, peracto diluuio, eadem qua cælauerat curioſitate perquirens, ſacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ ſeminarium tranſmiſit in poſteros. Hac itaque ratione illa opinio vulgi, qua credunt angelos vel maleficia vel diuerſas artes hominibus tradidiſſe, in veritate completa eſt. De illis ergo, quemadmodum diximus, filijs Seth & filiabus Cain nequiores filij procreati ſunt, qui fuerunt robuſtiſſimi venatores, violentiſſimi ac

*Sap. 7.*

*al. maleſi corum.*

trucu-

truculentissimi viri; qui pro enormitate corporum, vel crudelitatis atque malitiæ, gigãtes nuncupati sunt. Hi nãque † finitimos populari, ac rapinas inter homines † exercere primi cœperunt, præda potius exigere vitam suam, quàm sudore operis sui ac labore contenti; & quorum vsque eo scelera supercreuerãt, vt expiari mundus aliàs nisi diluuij inũdatione non posset. Ita ergo filijs Seth libidinis instigatione transgressis illud mandatum, quod ab exordio mundi huius naturali instinctu diutissime fuerat custoditum, necesse fuit per litteram legis postea reparari: Filiam tuam nõ dabis filio eius vxorem, nec de filiabus eorum accipies filio tuo, quia seducent corda vestra, vt discedatis a Deo vestro, & sequamini deos earum, ac seruiatis eis.

Gen.6. al. fines inuadere. al. agere. Deut. 7. Exod. 34. 1.Reg.11.

*Obiectio quemadmodum generi Seth cum filiabus Cain profana commixtio ante interdictum legis potuerit imputari.*

GERMANVS *Cap. XXII.*

MErito potuisset illis ex hac præsumptione vel nouitate coniugij crimen transgressionis adscribi, si data fuisset illis ista præceptio. At cum seiunctionis istius obseruantia necdum aliqua fuisset constitutione præfixa, quemadmodum illis permixtio generis ad noxam debuit imputari, quæ nullo fuerat interdicta mandato? Lex enim non præterita solet crimina, sed futura damnare.

*Responsio quod naturali legi ab initio homines iudicio seu pœnæ fuerint obnoxij.*

SERENVS *Cap. XXIII.*

DEus hominem creans omnem naturaliter ei scientiam legis inseruit, quæ si fuisset ab homine secundum propositum Domini, vt cœperat, custodita, non vtique necessarium fuisset aliam dari, quam litteris postea promulgauit. Erat enim superfluum extrinsecus offerri remedium, quod adhuc intrinsecus vigebat insertum. Sed quia hæc, vt diximus, penitus corrupta iam fuerat libertate vsuq. peccandi, velut huius executor ac vindex, &, vt ipsis scripturæ verbis eloquar, adiutrix apposita est Mosaicæ legis seuera districtio, vt vel metu pœnæ præsentis non penitus bonum scientiæ naturalis extinguerent, secundum prophetæ sententiam dicentis: Legem dedit in adiutorium; quæ etiam secundum Apostolum, pædagogus velut paruulis data fuisse describitur, erudiens scilicet eos atque custodiens, ne ab illa disciplina

Esai.8. sec.lxx. Galat. 3.



plina in qua naturaliter fuerant instituti, quadam obliuione discederent. Nam quia sit homini omnis scientia legis ab initio creationis infusa, hinc manifeste probatur, quòd mãdata legis absque litteræ lectione ante legem, immo ante diluuium omnes sanctos obseruasse cognoscimus. Quẽadmodum enim scire potuit Abel, necdum lege mandante, quòd de primitiuis ouium suarum, & de adipe ipsarum ad sacrificium Deo deberet offerre, nisi per insitam sibi legem naturaliter fuisset edoctus? Quẽadmodum Noe quod mundum vel quod immundum esset animal discreuisset, nondũ hæc legali distinguente mandato, nisi scientia naturali fuisset instructus? Vnde Enoch didicit ambulare cum Deo, nullam legis illuminationem ab aliquo consecutus? Vbi Sem & Iaphet legerant: Turpitudinem patris tui non reuelabis; vt incedentes retrorsum, patris verenda velarent? Vnde monitus Abraham spolijs hostium, quæ sibi offerebantur, ne retributionem laboris sui conseqveretur, abstinuit: vel decimas sacerdoti Melchisedech, quæ Mosaica lege præcipiuntur, exsoluit? Vnde idem ipse Abraham, vnde Lot, transeuntibus ac peregrinis humanitatis iura & ablutionẽ pedum, necdum euangelico coruscante mandato, supplicitèr obtulerunt? Vnde † Iob tantam deuotionem fidei, tantam castimoniæ puritatem, tantam humilitatis, mansuetudinis, misericordiæ, humanitatis scientiam consecutus est, quantam nunc ne ab illis quidem, quæ Euangelia memoriter retinent videmus impleri? Quem sanctorum legimus ante legem vllum legis non obseruasse mandatum? Quis illorum non custodiuit: Audi Israel, Dominus Deus tuus † Dominus vnus est? Quis non impleuit illorum: Non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem eorum, quæ in cœlo sunt, siue quæ in terra, vel eorum quæ sunt in aquis sub terra? Quis eorum non obseruauit: Honora patrem tuum & matrem tuam: vel illa quæ in Decalogo subsequuntur: Non occides, non adulterabis, nõ facies furtum, non falsum testimonium dices, non concupisces vxorem proximi tui, aliaq. his multo maiora, quibus non solum legis, sed etiam Euangelij præuenere mandata?

Gen.4. Gen.7. Gen.5. Leuit.18. Gen.9. Gen.14. Exod.22. Gen.18. & 19. Ioan. 13. al.Ioseph. Deut. 6. al.Deus. Exod. 20. Ibid.

*De eo quod iuste puniti sunt hi, qui ante diluuium peccauerunt. Cap. XXIV.*

ITa ergo intelligimus ab initio Deum omnia creasse perfecta, nec fuisse quod ordinationi eius principali velut impro-

improuidæ & imperfectæ necesse esset adiungi, si in illo statu ac dispositione, qua ab ipso creata sunt, vniuersa mansissent. Et idcirco in eos qui ante legem, immo ante diluuium peccauerunt, iusto iudicio Deum animaduertisse probabimus, quia transgressi naturalem legem, sine vlla meruerunt excusatione puniri. Nec in illorum incidemus blasphemias calumniamq., qui ignorantes hanc rationem, derogant Deo veteris testamenti, ac detrahentes nostræ fidei subsannantesq. respondent: Quid ergo placuit Deo vestro, vt post tot annorum milia legem voluerit promulgare, tanta sæcula passus sine lege transire? Quòd si postea melius aliquid adinuenit, apparet eum in primordio mundi inferiora vel deteriora sapuisse, & post hæc velut experimentis edoctum, cœpisse rectiora prospicere, ac principales ordinationes suas in melius emendare. Quod immensæ præscientiæ Dei penitus conuenire non potest, nec sine ingenti blasphemia hęc de ipso ab hęretica insania proferuntur, dicente Ecclesiaste: Cognoui quoniam omnia quæ fecit Deus ab initio ipsa erunt in æternum. Super illa non est quod addatur, & ab illis non est quod auferatur. Et idcirco iustis lex non est posita, iniustis autem & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis. Illi namque habentes naturalis illius atque insitæ legis sanam atque integram disciplinam, nequaquam lege hac extrinsecus adhibita litterisq. descripta, quęque in adiutorium illi naturali data est, indigebant. Ex quibus apertissima ratione colligitur, nec legem istam perscriptam litteris dari ab initio debuisse, (erat enim superfluum hoc fieri stante adhuc naturali lege, nec ad integrum violata;) nec euangelicam perfectionem tradi ante legis potuisse custodiam. Non enim poterant audire: Qui te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram; qui contenti non erant talionis æqualitate iniurias proprias vlcisci, sed letales calces ac telorum vulnera pro alapa leuissima rependebant, & pro vno dente, percutientium animas expetebant. Sed nec dici poterat illis: Diligite inimicos vestros; in quibus magnus fructus & vtilitas ducebatur, ut amicos suos diligerent, declinarent uero inimicos, & solo ab eis odio dissiderent, nec opprimere illos & interficere festinarent.

*Eccl.3. sec.lxx.*
*1.Tim.1.*
*Esai.8. sec.lxx.*
*Matt.5.*
*Ibid.*

Quo



*Quomodo intelligendum sit, quod in Euangelio dicitur de diabolo: Quia mendax est, & pater eius. Cap. XXV.*

ILlud vero quod vos de diabolo mouerat: Quia mendax est, & pater eius; quòd videlicet tam ipse quàm pater suus mendax pronuntiari videatur a Domino, satis absurdum est hoc vel leuiter opinari. Vt enim paulo ante diximus, spiritus spiritum non generat, sicut nec animam quidem potest anima procreare, licet concretionem carnis non dubitemus humano semine coalescere; ita de vtraque substantia, id est, carnis & animæ, quæ cui adscribatur auctori, Apostolo manifestius distinguente: Deinde patres, inquit, carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur; non multo magis subijciemur patri spirituum, & viuemus? Quid hac diuisione clarius potuit definiri, vt carnis quidem nostræ patres homines pronuntiaret, animarum vero Deum solum esse patrem constanter exprimeret? Quamquam & in ipsa corporis huius concretione ministerium tantummodo sit hominibus adscribendum, summa vero conditionis Deo omnium creatori, dicente Dauid: Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me. Et beatus Iob: Nonne sicut lac, inquit, mulsisti me, & coagulasti me vt caseum, ossibus & neruis † inseruisti me? Et Dominus ad Hieremiam: Priusquam te formarem in vtero noui te. Ecclesiastes vero vtriusque substātiæ naturā atque originem, examinatione ortus atque initij, ex quo videlicet vnaquęque processit, & cōsideratione finis, ad quē vnaquęque cōtendit, satis euidenter ac proprie colligens, pariterq. de corporis huius atque animę separatione disceptās, ita disseruit: Priusquam cōuertatur puluis in terram sicut fuit, & spiritus reuertatur ad Deum qui dedit eum. Quid apertius dicere potuit, quàm vt materiam carnis quā puluerem nominauit, quia de hominis semine sumit exordium, eiusq. videtur ministerio seminari, velut e terra sumptam iterum reuerti pronuntiaret ad terram; spiritum vero, qui non per commixtionem sexus vtriusque generatur, sed peculiariter a Deo solo tribuitur, ad auctorem suum redire signaret? Quod etiam per illā Dei insufflationē, qua Adam primitus animauit, euidenter exprimitur. Itaq. his testimonijs manifeste colligimus, patrē spirituum neminē dici posse nisi Deum solum, qui eos ex nihilo cum voluerit facit; homines vero carnis nostræ patres tantummodo nominari.

*Ioan.8.*
*Hebr.12.*
*Psal.118.*
*Iob.10.*
ἐνείρας
*Hiere.1.*
*Eccle.12.*
*Gen.2.*

Igitur & diabolus secundū hoc quod vel spiritus vel angelus bonus creatus est, patrem neminem habuit nisi Deum conditorem suum. Qui cum superbia fuisset elatus, & dixisset in corde suo: Ascendam super altitudinem nubium, ero similis altissimo; factus est mendax, & in veritate non stetit, sed de proprio nequitiæ thesauro mendacium proferens, non solum mendax, sed etiam pater ipsius mendacij factus est, quo deitatem homini repromittens ac dicens: Eritis sicut dij; in veritate non stetit, sed ab initio factus est homicida, vel Adam in cōdicionem mortalitatis inducēs, vel Abel instigatione sua per manum fratris interimens. Sed iam disputationem nostram duarum ferme noctium lucubratione confectam subsequens aurora concluſit, ac de profundissimo quæstionum pelago cymbam huius collationis ad tutissimum silentij portum compendium nostræ rusticitatis attraxit. In quo quidem profundo quanto nos interius flatus diuini spiritus introduxerit, tanto diffusior præcedens oculorum aciem semper aperietur immensitas, ac secundum sententiam Salomonis, longius fiet a nobis magis quàm erat; & alta profunditas, quis inueniet eā? Quamobrem Dominum deprecemur, vt in nobis vel timor eius, vel charitas, quę cadere nescit, immobilis perseueret; quæ nos & sapientes in omnibus faciat, & a diaboli telis protegat semper illæsos. His etenim custodibus impossibile est, quempiam laqueos † eius incurrere. Inter perfectos autem & imperfectos ista distantia est, quòd in illis quidem fixa, & (vt ita dixerim) maturior charitas tenacius perseuerans, firmius eos ac facilius facit in sanctitate durare; in his vero velut infirmius collocata, ac facilius refrigescens, cito ac sæpius eos peccatorū compellit laqueis implicari. Quibus auditis ita nos collationis huius sermo flāmauit, vt maiore mentis ardore abeuntes a cella senis, quàm antea venientes, doctrinę eius plenitudinē sitiremus.

*Esai. 14.*

*Gen. 3.*

*Gen. 4.*

*Eccli. 7. sec. lxx.*

*1. Cor. 13.*

*al. mortis*

## COLLATIONIS SECVNDAE Abbatis Sereni de Principatibus, & Potestatibus Finis.





# COLLATIO NONA, QVÆ EST PRIMA ABBATIS ISAAC, DE ORATIONE.

### *Proœmium collationis.*

DE perpetua orationis atque incessabili iugitate, quod in secundo institutionū libro promissum est, collationes huius senis, quem nunc in medium proferemus, id est abbatis Isaac, Domino fauente complebunt. Quibus explicatis, & præceptis beatissimæ memoriæ Papæ Castoris, & desiderio vestro, o beatissime Papa Leonti, & sancte frater Helladi, satisfeciſſe me credo; voluminis amplitudine primitus excusata, quæ studentibus nobis non solum sermone succincto narranda perstringere, sed etiam plurima silentio præterire, in maiorem modum quàm disposueramus extensa est. Præmissa namq. super diuersis institutis disputatione copiosa, quam nos studio breuitatis resecare maluimus, hæc ad extremum beatus Isaac intulit verba. *Cap. 1.*

### *Verba abbatis Isaac super orationis qualitate. Cap. I.*

OMnis monachi finis, cordisq. perfectio, ad iugem atque indiruptam orationis perseuerātiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis ac perpetuam nititur puritatem. Ob quam omnem tam laborem corporis, quàm contritionem spiritus indefesse quærimus, & iugiter exercemus, & est inter alterutrum reciproca quædam inseparabilisq. coniunctio. Nam sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi huius culmine hæc omnia fuerint colligata atque compacta, nullo modo firma poterunt vel stabilia perdurare. Quemadmodum enim sine illis acquiri vel consummari non potest hæc, de qua loquimur, perpetua orationis iugisq. tranquillitas, ita ne illæ quidem virtutes, quæ hanc præstruunt, absque huius

possunt assiduitate compleri. Et ideo nec recte tractare
*al. effectu* de orationis † affectu, nec ad eius principalē finem, qui vni
uersarum virtutum molitione perficitur, subitanea disputatione poterimus intrare, nisi prius vniuersa, quę illius ob-
*Luc. 14.* tentu vel abscidenda sunt vel paranda, per ordinē dinumerata fuerint ac discussa; & secundum euangelicæ parabolæ disciplinam, ea quæ ad spiritalis ac sublimissimæ illius extructionem pertinent turris, supputata fuerint ac diligenter ante congesta. Quæ tamen nec proderunt præparata, nec recte superponi sibimet excelsa culmina perfectionis ad-
*al. nisi egesto prius omni &c. al. effusis succidijs.* mittent, † quia nec superposita poterūt molem tantæ celsitudinis sustinere, nisi prius, vt cōmuni vsus verbo proprius aliquid exprimam, diligenter egesto omni repurgio vitiorum, & † effossis succiduis mortuisq. ruderibus passionum, viuæ (vt aiunt) ac solidæ terræ pectoris nostri, immo illi
*Luc. 6.* euangelicæ petræ superiecta fuerint simplicitatis & humilitatis firmissima fundamēta, quibus hæc turris spiritalium virtutum molitionibus extruenda, & immobiliter valeat stabiliri, & ad summa cęlorum fastigia confidentia proprię
*Matth. 7.* firmitatis attolli. Fundamentis etenim talibus innitentem, quamuis passionū imbres largissimi profundantur, quamuis ei persecutionum violenti torrentes instar arietis illidantur, quamuis irruat & incumbat aduersariorum spirituum sæua tempestas, non solum ruina non diruet, sed nec ipsa aliquatenus vexabit impulsio.

*Quemadmodum pura ac sincera pariatur oratio. Cap. II.*

ET idcirco vt eo feruore ac puritate, qua debet, emitti possit oratio, hæc sunt omnimodis obseruāda. Primum solicitudo rerum carnalium generaliter abscidenda est, deinde nullius negotij causæve non solū cura, sed ne memoria quidem penitus admittenda, detractiones, vaniloquia seu multiloquia, scurrilitates quoque similiter amputandæ, iræ præ omnibus siue tristitiæ perturbatio funditus eruenda, concupiscentiæ carnalis ac philargyriæ noxius fomes radicitus euellendus; & ita his ac similibus vitijs extrusis penitus & abscisis, quæ hominum possunt patere conspectibus, taliq. vt diximus, repurgij emundatione præmissa, quæ simplicitatis & innocentiæ puritate perficitur, iacienda sunt primum profundæ inconcussa humilitatis fundamina, quæ scilicet turrem cælos pulsaturam valeant sustinere, deinde superponenda virtutum spiritalis extructio, & ab omni discursu atque euagatione lubrica animus inhibendus, vt ita paulatim ad contemplationem Dei ac spiritales intuitus incipiat sublimari. Quidquid enim ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est vt orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Ex præcedenti enim statu mens in supplicatione formatur, eorumdemq. actuum procumbentibus nobis ad precem, verborū quoque vel sensuum ante oculos imago prędudēs, aut iracsci nos secundum præcedentem qualitatem, aut tristari, aut concupiscentias causasve præteritas retractare, aut risu fatuo (quod etiam pudet dicere) cuiusquam scurrilis dicti vel facti titillatione pulsari, aut ad priores faciet volitare discursus. Et idcirco quidquid orantibus nobis nolumus vt irrepat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere festinemus, vt apostolicum illud possimus implere: Sine intermissione orate. &: In omni loco leuantes *1. Thess. 5.* puras manus sine ira & disceptatione. Aliàs namque man- *1. Tim. 2.* datum istud perficere non valebimus, nisi mens nostra ab omni vitiorum purificata contagio, virtutibus tantum velut naturalibus bonis dedita, iugi omnipotentis Dei contemplatione pascatur.



*De mobilitate animæ plumæ vel pennulæ cōparatæ. Cap. III.*

VT enim qualitas animæ non inepte subtilissimæ plumæ seu pennæ leuissimæ comparatur, quæ si humoris cuiuspiam extrinsecus accidentis corruptione vitiata non fuerit vel infusa, mobilitate substantiæ suæ tenuissimi spiritus adiumento, velut naturaliter ad sublimia cælestiaq. sustollitur; sin vero humoris cuiusquam aspergine vel infusione fuerit prægrauata, non modo in nullos aereos volatus naturali mobilitate raptabitur, sed etiam ad ima terræ cōcepti humoris pondere deprimetur: ita mens quoque nostra si accedentibus vitijs curisq. mundanis aggrauata non fuerit, noxiæve libidinis humore corrupta, velut naturali puritatis suæ beneficio subleuata, leuissimo spiritalis meditationis afflatu sublimabitur ad superna, & humilia deserens atque terrena, ad cælestia & inuisibilia transferetur. Vnde proprie satis præceptis Dominicis admonemur: Videte nequando grauentur corda vestra in crapula & *Luc. 21.* ebrietate, & curis sæcularibus. Et idcirco si volumus ora-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tiones nostras non solum cælos, sed etiam quæ super cęlos sunt penetrare, curemus mẽtem ab omnibus terrenis vitijs expurgatam, cunctisq. mundatam fæcibus passionum, ad subtilitatem perducere naturalem, vt ita ad Deum oratio eius nullo vitiorum pondere prægrauata conscendat.

### *De causis quibus mens nostra grauatur. Cap. IV.*

NOtandum tamen quibus ex causis grauari mentem Dominus designauerit. Non enim adulteria, non fornications, non homicidia, non blasphemias, non rapinas, quæ mortalia esse & damnabilia nullus ignorat, sed crapulam posuit & ebrietatem, & curas siue solicitudines sæculares. Quæ intantum nemo hominum mundi huius cauet, aut damnabilia iudicat, vt etiam nonnulli (quod pudet dicere) semetipsos monachos nuncupantes, ijsdem ipsis distentionibus velut innoxijs & vtilibus implicentur. Quæ tria licet secundum litteram perpetrata aggrauẽt animam, atque a Deo separent, ac deprimant ad terrena, est tamen eorum facilis declinatio, & maxime nobis, qui tam longa remotione ab omni sæculi huius conuersatione disiungimur, & istis visibilibus curis atque ebrietatibus & crapulis penitus nulla occasione miscemur. Verum est alia quoque crapula non minus noxia, & ebrietas spiritalis difficilius euitanda, cura quoque ac sæcularis solicitudo, quæ nos etiam post omnium facultatum nostrarum perfectam renuntiationem, & vini epularumq. continentiam cunctarum, & quidem in solitudine constitutos frequenter inuoluant, de quibus propheta: Expergiscimini, inquit, qui estis ebrij, & non a vino. Alius quoque: Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini, & non a vino, mouemini, & non ab ebrietate. Cuius ebrietatis & crapulæ vinum consequenter necesse est, vt secundum prophetã, furor draconum sit. Ipsumq. vinũ de qua radice procedat aduerte: Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum; & sarmentum eorum ex Gomorrha. Vis etiam fructum vitis istius atque sarmenti germen agnoscere? Vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis ipsis. Propter quæ omnia nisi fuerimus cunctis vitijs expurgati, & ab omnium passionum crapula sobrij, absque ebrietate vini epularumq. omnium affluentia erit cor nostrum ebrietate & crapula magis noxia prægrauatum. Nam quia sęculares cura etiam in nos qui

*Ioel.1. sec.lxx.*
*Esai.29.*
*Deut.32. Ibidem sec.lxx. Ibid.*



qui nullis istius mundi actibus admiscemur, cadere nonnumquam possint, manifesta ratione monstratur, secũdum regulam seniorum, qui quidquid necessitatem victus quotidiani, & ineuitabilem vsum carnis excedit, ad sæcularem definierunt curam & solicitudinem pertinere: vt verbi gratia, si cum possit operatio vnius solidi necessitatem nostri corporis expedire, ad duorum vel trium solidorum acquisitionem nosmetipsos propensiore velimus opere ac labore distendere; & cum duarum velamen sufficiat tunicarum, ad vsum scilicet noctis atque diei, trium vel quattuor fieri domini procuremus; cumq. vnius siue duarum habitatio sufficiat cellularum, ambitione sæculari atque amplitudine delectati, quattuor seu quinque cellas, & has easdem exquisitius ornatas, & capaciores quàm vsus desiderat extruamus, passionem libidinis mundialis, in quibus possumus præferentes.

### *De visione cuiusdam senis, quam super fratris inquieta operatione perspexit. Cap. V.*

QVod non sine instinctu dæmonum fieri manifestissima nos experimenta docuerunt. Nam quidam probatissimus seniorũ cum transiret iuxta cellũ fratris cuiusdam, hac animi, quam diximus, ægritudine laborãtis, vtpote qui in extruendis reparandisq. superfluis inquietus quotidianis distentionibus desudaret; & eminus conspexisset eum, graui malleo saxum durissimum conterentem, vidissetq. Aethiopem quendam adstantem illi, & vna cum eodem ictus mallei iunctis consertisq. manibus illidentem, cumq. ad operis illius instantiam ignitis facibus instigantem, diutissime substitit, vel impressionem dirissimi dæmonis, vel fraudem tantæ illusionis admirans: Cum enim nimia lassitudine fatigatus frater, requiescere iam, finemq. operi voluisset imponere, instigatione illius spiritus animatus iterum resumere malleum, nec desinere ab intentione cœpti operis vrgebatur, ita vt ijsdem eius incitamentis infatigabiliter sustentatus, tanti laboris non sentiret iniuriam. Tandem igitur senex tam dira dæmonis ludificatione permotus, ad cellam fratris diuertit, salutansq. eum: Quod est frater, inquit, istud opus quod agis? At ille: Laborauimus, ait, contra istud durissimum saxum, vixq. illud potuimus aliquando conterere. Ad hæc senex: Benedixisti.

xisti; potuimus: non enim solus eras cum illud cæderes, sed fuit alius tecum, quem non vidisti, qui tibi in hoc opere non tam adiutor quàm violentissimus impulsor adstabat. Et idcirco morbum ambitus sæcularis nostris mentibus non inesse, non vtique eorum tantum negotiorum abstinentia comprobabit, quę etiam si velimus explere non possumus, neque illarum despectus rerum, quas si affectauerimus tam apud spiritales viros quàm apud sæculi homines notabiles prima fronte reddemur; sed cum etiam illa, quæ nostræ suppetunt potestati, & honestate quadam videntur obnubi, rigida mentis districtione respuimus. Et reuera non minus hæc, quæ parua videntur & minima, quæq. ab his qui nostræ professionis sunt, cernimus indifferenter admitti, pro qualitate suâ aggrauant mentem, quàm illa maiora quæ secundum suum statum sæcularium sensus inebriare consuerunt, non sinentes, deposita fæce terrena, ad Deum, in quo semper defixa esse debet intentio, monachum respirare, cui ab illo summo bono vel parua separatio, mors præsens ac pernicioſissimus interitus est credendus. Cumq. mens tali fuerit tranquillitate fundata, vel ab omnium carnalium passionum nexibus absoluta, & illi vno summoq. bono tenacissime adhæserit cordis intentio, apostolicum
1. Thess. 5. illud implebit: Sine intermissione orate. &: In omni loco
1. Tim. 2. leuantes puras manus, sine ira & disceptatione. Hac enim puritate, si dici potest, sensu mentis absorpto, ac de terreno situ ad spiritalem atque angelicam similitudinẽ reformato, quidquid in se receperit, quidquid tractauerit, quidquid egerit, purissima ac sincerissima erit oratio.

*Vtrum maioris difficultatis sit custodire cogitationes bonas, quam parare. Cap. VI.*

GERMANVS

VTinam simili modo atque eadẽ facilitate, qua semina spiritaliu m cogitationum plerumque concipimus, etiã perpetuitatem earum possidere possemus. Cum enim fuerint siue per memoriam scripturarum, seu per recordationem spiritalium quorumq. actuum, vel certe per intuitum sacramentorum cælestium nostro corde conceptæ, insensibili quadam fuga dilapsæ quantocius euanescunt. Cumq. alias quaslibet occasiones spiritalium sensuum mens nostra repererit, rursus alijs irrepentibus, ipsæ quoque, quæ apprehensæ fuerant, lubrica volubilitate diffugiunt, ita vt nullam constantiã sui retinens animus, nec potestate propria



pria sanctarum cogitationum possidens firmitatem, etiam tunc cum eas vtcumq. retinere videtur, fortuito illas, & non de industria concepisse credatur. Quomodo enim ortus earum nostro arbitrio putabitur adscribendus, quarum perseuerantia non consistit in nobis? Sed ne forte sub huius quæstionis indagine a cœpto narrationis ordine longius euagantes expositionem propositam super orationis statu diutius retardemus, suo hanc tempori reseruantes, de qualitate orationis instantissime quæsumus informari, præsertim cum nullo tempore nos ab ea cessare beatus Apostolus moneat, dicens: Sine intermissione orate. Et ideo 1. Thess. 5. primum de qualitate eius desideramus institui, id est, qualis debeat emitti semper oratio: deinde qualiter hanc eandem, quæcumque est, possidere vel exercere sine intermissione possimus. Non enim parua cordis intentione eam perfici posse, & experientia quotidiana, & prosecutio tuæ sanctitatis ostendit, qua finem monachi ac totius perfectionis culmen in orationis consummatione consistere definisti.

*Responsio de diuersis orationum qualitatibus. Cap. VII.*

ISAAC

VNiuersas orationum species absque ingenti cordis atque animi puritate & illuminatione sancti Spiritus arbitror comprehendi non posse. Tot enim sunt quot in anima vna, immo in cunctis animalibus, status queunt qualitatesq. generari. Et ideo licet sciamus nos pro hebetudine cordis nostri vniuersas orationum species non posse perspicere, tamen inquantum mediocritas experientiæ nostræ assequi prævaluerit, digerere eas vtcumque tentabimus. Secundum mensuram namque puritatis, in qua mens vnaquæque profecit, & qualitatem status, in quo vel ex accidentibus inclinatur, vel per suam renouatur industriam, ipsæ quoque momentis singulis reformantur; & idcirco vniformes orationes emitti semper a nemine posse certissimum est. Aliter enim supplicat quisque cum alacer est, aliter cum tristitiæ seu desperationis pondere prægrauatur; aliter cum spiritalibus successibus viget, aliter cum impugnationum mole deprimitur; aliter cum veniam peccatorum, aliter cum acquisitionem gratiæ, seu cuiuslibet virtutis exposcit, vel certe extinctionem cuiuslibet vitij deprecatur; aliter cum consideratione

gehen-

gehennæ ac futuri iudicij timore compungitur, aliter cum spe futurorum bonorum desiderioq. flammatur; aliter cum in necessitatibus ac periculis, aliter cum in securitate ac tranquillitate versatur; aliter cum sacramentorum cælestium reuelationibus illustratur, aliter cum sterelitate virtutum ac sensuum ariditate constringitur.

*De quadripartita orationum specie. Cap. VIII.*

ET idcirco his super orationum qualitate digestis, licet non quantum exposcit materiæ magnitudo, sed quantum vel temporis admittit angustia; vel certe capere tenuitas nostri ingenij & cordis prævalet hebetudo, maior nobis nunc imminet difficultas, vt ipsas singillatim orationum species exponamus, quas Apostolus quadripartita
2.Tim.2. ratione distinxit, ita dicēs: Deprecor itaque primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Quæ non inaniter ab Apostolo ita fuisse diuisa minime dubitandum est. Et primitus indagandum quid obsecratione, quid oratione, quid postulatione, quid gratiarum actione signetur: dein perquirendū, vtrum hæ quatuor species ab orante sint pariter assumendę, id est, vt omnes simul in vnaquaque supplicatione iungantur; an vicissim singillatimq. sint offerendæ, vtputa nunc quidem obsecrationes, nunc vero orationes, nunc autem postulationes seu gratiarum actiones oporteat promi; an certe alius quidem obsecrationes, alius vero orationes, alius autem postulationes, alius gratiarum actiones Deo debeat exhibere; secundum mensuram scilicet ætatis suæ, in qua vnaquęque mens per intentionis profecit industriam.

*De ordine specierum orationis. Cap. IX.*

ET ideo primum proprietates ipsæ sunt nominum verborumq. tractandæ, ac discutiendum, quid inter orationem, & obsecrationem, ac postulationem, & gratiarum actionē intersit. Dein similiter perserutandum, vtrum singillatim sint, an pariter exhibendæ. Tertio indagandum, vtrum etiam ipse ordo qui ita est Apostoli auctoritate dispositus, aliquid amplius instruat auditorem, an simpliciter accipienda sit ista distinctio, & indifferenter putanda sit ab illo taliter fuisse digesta; quod mihi satis videtur absurdum. Non enim credendum est aliquid transitorieac sine ratione Spiritum sanctum per Apostolum protulisse: & idcirco eodem quo cœpimus ordine, prout donauerit Domi-



Do minus, singula retractemus.

*De obsecratione. Cap. X.*

DEprecor itaque primo omniū fieri obsecrationes. Obsecratio imploratio est seu petitio pro peccatis, qua vel pro præsentibus vel pro præteritis admissis suis, vnusquisque compunctus veniam deprecatur. *1.Tim.2.*

*De oratione. Cap. XI.*

ORationes sunt, quibus aliquid offerimus seu vouemus Deo: quod Græce dicitur, εὐχή, id est, votū. nā vbi est in Græco; τὰς εὐχάς μου τῷ κυρίῳ ἀποδώσω, in Latino legitur: Vota mea Domino reddā. Quod secundum proprietatē verbi ita exprimi potest: Orationes meas Domino reddam. *Psal.115.*
Et illud quod legimus in Ecclesiaste: Si voueris votū Deo, ne moram feceris reddere illud; in Græco similiter scribitur; ἐὰν εὔξῃ εὐχὴν τῷ θεῷ, id est: Si orueris orationem Deo, ne morā feceris reddere illā. Quod ita ab vnoquoque nostrum implebitur: Oramus cum renuntiantes huic mundo spondemus nos mortificatos cunctis actibus & conuersationi mundanæ, tota cordis intentione Domino seruituros. Oramus cum pollicemur sæculari honore contempto, ac terrenis opibus spretis, in omni contritione cordis ac paupertate spiritus nos Domino cohæsuros. Oramus cum promittimus nos purissimam corporis castitatem, seu immobilem patientiam exhibituros esse perpetuo, vel cum de corde nostro radices iræ, siue tristitiæ mortem operantis vouemus funditus eruendas; quæ cum desidia resoluti, atque ad antiqua vitia recurrentes, minime fecerimus, erimus orationum nostrarum ac votorum rei, diceturq. nobis: Melius est non vouere te, quàm vouere & non reddere. Quod secundum Græcum dici potest: Melius est non orare te, quàm orare & non reddere. *Ecclc. 5. sec lxx.* *Ibid.* ἀγαθὸν τὸ μὴ εὔξασθαί σε, ἢ εὐξάμενον μὴ ἀποδοῦναι

*De postulatione. Cap. XII.*

TErtio loco ponuntur postulationes, quas pro alijs quoque dum sumus in feruore spiritus constituti, solemus emittere, vel pro caris scilicet nostris; vel pro totius mundi pace poscentes, &, vt ipsius Apostoli verbis eloquar, cum pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, supplicamus. *1.Tim.2.*

*De gratiarum actione. Cap. XIII.*

QVarto deinde loco gratiarum actiones ponūtur, quas mens vel cum præterita Dei recolit beneficia, vel cum

cum præsentia contemplatur, seu cum in futurum, quæ & quanta præparauerit Deus his qui diligunt eum prospicit, per ineffabiles excessus Domino refert. Qua etiam intentione nonnumquam preces vberiores emitti solent, dum illa quæ reposita sunt in futuro sanctorum præmia purissimis oculis intuendo, ineffabiles Deo gratias cum immenso gaudio spiritus noster instigatur effundere.

*Vtrum quattuor orationum species simul & omnibus, an singillatim & vicissim vnicuique sint necessaria. Cap. XIV.*

EX quibus quattuor speciebus licet nonnumquã soleant occasiones supplicationũ pinguium generari; nam & de obsecrationis specie, quæ de compunctione nascitur peccatorum, & de orationis statu quæ de fiducia oblationum & consummatione votorum pro conscientiæ profluit puritate, & de postulatione, quæ de charitatis ardore procedit, & de gratiarum actione, quæ de beneficiorum Dei & magnitudinis ac pietatis eius consideratione generatur, feruentissimas sæpissime nouimus preces ignitasq. prodire: ita vt constet omnes has quas prædiximus species, omnibus hominibus vtiles ac necessarias inueniri, vt in vno eodemq. viro nunc quidem obsecrationum, nunc autem orationum, nunc postulationum puras ac feruentissimas supplicationes variatus emittat affectus; tamen prima ad incipientes videtur peculiarius pertinere, qui adhuc vitiorum suorum aculeis ac memoria remordentur. Secunda ad illos, qui in profectu iam spiritali appetituq. virtutũ quadam mentis sublimitate consistunt. Tertia ad eos, qui perfectionum votorum suorum operibus adimplentes intercedere pro alijs quoque consideratione fragilitatis eorum & charitatis studio prouocantur. Quarta ad illos qui iam pœnali spina euulsa de cordibus, securi munificentias Domini ac miserationes, quas vel in præterito tribuit, vel in præsenti largitur, vel præparat in futuro, mente purissima retractantes ad illam ignitam, & quæ ore hominum nec comprehendi nec exprimi potest,† orationem feruentissimo corde rapiantur. Nonnumquam tamen mens, quę in illum verum puritatis profecit affectum, atque in eo iam cœperit radicari, solet hæc omnia simul pariterq. concipiens atque in modum cuiusdam incomprehensibilis ac rapacissimæ flammæ cuncta peruolitans, ineffabiles ad Deum preces purissimi vigoris effundere, quas ipse spiritus

*al. ecstasim.*



tus interpellans gemitibus inenarrabilibus, ignorantibus nobis emittit ad Deum; tanta scilicet in illius horæ momento concipiens, & ineffabiliter in supplicatione profundens, quanta non dicam ore percurrere, sed ne ipsa quidem mente valeat alio tempore recordari. Et inde est quòd in qualibet mensura quis positus nonnumquam puras intentasq. preces inuenitur emittere, quia & de illo primo & humili ordine qui est super recordatione futuri iudicij, is qui adhuc sub terroris est pœna ac metu examinis constitutus, ita ad horam compungitur, vt non minore spiritus alacritate de obsecrationis pinguedine repleatur, quàm ille qui per puritatem cordis sui munificentias Dei perlustrans atque percurrens, ineffabili gaudio lætitiaq. resoluitur. incipit enim secundum sententiam Domini plus diligere, quia sibimet ampliora cognoscit indulta. *Luc.7.*

*Ad quas orationum species nosmetipsos tendere debeamus. Cap. XV.*

TAmen expetendæ sunt nobis per profectũ vitæ cõsummationemq. virtutum illæ potius supplicationum species, quæ vel de contemplatione futurorum bonorum, vel de charitatis ardore funduntur: seu certe, vt humilius & secundum incipientium mensuram loquar, pro acquisitione quarumq. virtutum, seu vitij cuiuslibet extinctione generantur. Aliter enim ad illa sublimiora, quæ prędiximus, supplicationum genera peruenire nullatenus poterimus, nisi pro ordinem postulationum † istarum sensim mens nostra fuerit gradatimq. prouecta. *al. ipsarũ.*

*Quod hæc quattuor supplicationum genera a Domino sint initiata. Cap. XVI.*

HAs quattuor supplicationum species ita etiam Dominus exẽplo suo nobis initiare dignatus est, vt in hoc quoque impleret illud quod de ipso dicitur: Quæ cœpit Iesus facere, & docere. Nam obsecrationis genus assumit cũ dicit: Pater si possibile est, transeat a me calix iste. Vel illud quod ex persona eius cantatur in psalmo: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? aliaq. his similia. Oratio est cum dicit: Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi: vt facerem. Siue illud: Et pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Postulatio est cum dicit: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum, vt videant gloriam meam

*Act. 1.* *Matt. 26.* *Psal. 21.* *Ioan. 17.* *Ibid.* *Ibid.*

*Luc.23.* meam quam dedisti mihi. Vel certe cum dicit: Pater ignosce eis; non enim sciunt, quid faciunt. Gratiarum actio est
*Matt. 11.* cum dicit: Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: ita pater, quia sic fuit placitum ante te. Vel cer
*Ioan. 11.* te cum dicit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me: ego autem sciebã, quia semper me audis. Quæ tamen quattuor supplicationum genera licet singillatim ac diuerso tẽpore secundum illum, quem comprehendimus, modum idem Dominus noster distinxerit offerenda, tamen etiam simul ea in supplicatione perfecta comprehendi posse idẽ suis ostendit exemplis, per illam scilicet, quam ad finem
*Ioan. 17.* Euangelij secundum Ioannem legimus eum copiosissime profudisse. Ex cuius textu, quia longum est vniuersa percurrere, diligens inquisitor hæc ita esse lectionis ipsius serie poterit edoceri. Quem sensum Apostolus quoque in epistola ad Philippenses has quattuor supplicationum species aliquantum immutato ordine ponens, euidenter expressit, ostenditq. eas nonnumquã simul sub ardore vnius
*Philip. 4.* supplicationis offerri, ita dicens: Sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. per quod voluit nos in hoc specialius erudire, quòd & in oratione, & in obsecratione gratiarum actio debeat cum postulatione misceri.

*De oratione Dominica. Cap. XVII.*

HAec itaque supplicationũ genera sublimior adhuc status præcelsiorq. subsequitur, qui cõtemplatione Dei solius & charitatis ardore formatur, per quem mens in dilectionem illius resoluta atque reiecta, familiarissime Deo, velut patri proprio, peculiari pietate colloquitur. Quem statum debere nos diligenter expetere, forma Dominicæ
*Matth. 6.* orationis instituit, dicens: Pater noster. Cum ergo vniuersitatis Deum ac Dominum patrem nostrum esse voce propria confitemur; profecto de condicione seruili in adoptionem filiorũ Dei, nos profitemur adscitos: adijcientes deinde: Qui es in cælis; vt commorationem vitæ præsentis, qua in hac degimus terra, velut peregrinam, atque a nostro patre nos longissime separantem, toto horrore vitantes, ad illam potius regionẽ, in qua patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus, nihilque admittamus eiusmodi, quod indignos nos hac nostra professione ac no-



ac nobilitate tantę adoptionis efficiens, & hereditate paterna velut degentes priuet, & iram nos faciat iustitię eius ac seueritatis incurrere. In quem filiorum ordinem gradumq. prouecti, illa continuo, quę est in bonis filijs, pietate flagrabimus, vt iam non pro nostris vtilitatibus, sed pro nostri patris gloria totum impendamus affectum, dicentes ei: Sanctificetur nomen tuum; nostrum desiderium, nostrũ gaudium, gloriam nostri patris esse testantes, imitatores effecti illius qui dixit: Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in eo non est. Denique vas electionis hoc repletus affectu, etiam anathema fieri optat a Christo, dummodo ei familia multiplex acquiratur, & ad gloriam sui patris salus totius Israeliticæ plebis accrescat. Securus enim optat interire pro Christo, qui nouit neminem mori posse pro vita. Et iterum: Gaudemus, inquit, quando nos infirmi sumus, vos autẽ potentes estis. Et quid mirum, si vas electionis pro Christi gloria & fratrum suorum conuersione gentisq. priuilegio anathema fieri optet a Christo, cum Michæas quoque propheta vellet se mendacem fieri, & ab inspiratione sancti Spiritus alienum, dummodo plagas illas & captiuitatis exitia, quæ sua vaticinatione prædixerat, plebs Iudaicæ nationis euadat? Vtinam, inquiens, non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer; vt prætermittamus illum legislatoris affectum, qui cum fratribus suis etiam perituris interire non renuit, dicens: Obsecro Domine, peccauit populus iste peccatum magnum; aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Potest autem congrue satis illud, quod dicitur: Sanctificetur nomen tuum; etiam taliter accipi. Sanctificatio Dei nostra perfectio est. Itaque dicentes ei: Sanctificetur nomen tuum; alijs verbis hoc dicimus: Tales nos † facito pater, vt sanctificationem tuam vel intelligere quanta sit, vel capere mereamur; vel certe, vt in nostra conuersatione spiritali sanctus appareas. Quod tunc efficaciter impletur in nobis, quando vident homines opera nostra bona, & glorificant patrem nostrum qui in cælis est.

*Ioan. 7.* *Rom. 9.* *2.Cor. 13* *Mich. 2.* *Exod. 32.* *al. fac o pater.* *Matth. 5.*

*De eo quod dicit: Adueniat regnum tuum. Cap. XVIII.*

SEcunda petitio mentis purissimæ aduenire iam iamque regnum sui patris exoptat: vel istud scilicet, quo quotidie

die Christus regnat in sanctis; quod ita fit, cum diaboli imperio per extinctionem fœtentiũ vitiorum de nostris cordibus pulso, Deus in nobis per virtutum bonam fragrantiam cœperit dominari, & deuicta fornicatione castitas, superato furore tranquillitas, calcata superbia humilitas, in nostra mente regnauerit: vel certe illud, quod præstituto tẽpore omnibus est perfectis ac Dei filijs generaliter repromissum, in quo eis dicetur a Christo: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; intentis illud quodammodo obtutibus ac defixis desiderans & expectans, dicensq. ad eum: Adueniat regnum tuum. Nouit enim testimonio conscientiæ suæ, cum apparuerit, mox eius se futurum esse consortem. Hæc enim dicere vel optare criminosorum nullus audebit, quia nec videre tribunal iudicis volet, quisquis sub aduentu eius non palmam nec præmia suis meritis, sed pœnam nouit protinus repensandam.

*Matt. 25.*

*De eo, quod dicit: Fiat voluntas tua. Cap. XIX.*

TErtia supplicatio filiorum est: Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Non potest esse iam maior oratio, quàm optare vt terrena mereantur cælestibus coæquari. Nam quid est aliud dicere. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, quàm vt sint homines similes angelis? & sicut voluntas Dei ab illis impletur in cælo, ita etiam hi, qui in terra sunt, non suam, sed eius vniuersi faciant voluntatem? Hoc quoque nemo ex affectu dicere prœualebit, nisi is solus qui Deum credit omnia quæ videntur vel aduersa vel prospera pro nostris vtilitatibus dispensare, magisq. eum pro suorum salute & commodis prouidum atque solicitum, quàm nos ipsos esse pro nobis. Vel certe taliter accipiendum: Voluntas Dei salus omnium est, secundũ illam beati Pauli sententiam: Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. De qua etiam voluntate Esaias propheta ex persona Dei patris: Et omnis, inquit, voluntas mea fiet. Dicentes ergo ei: Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra; hoc eum alijs verbis oramus, vt sicut hi, qui in cælo sunt, ita omnes qui in terra consistunt, tua pater agnitione saluentur.

*1. Tim. 2.*

*Esa. 46.*

*De pane supersubstantiali siue quotidiano. Cap. XX.*

DEinde: Panem nostrum ἐπιούσιον, id est, supersubstantialem da nobis hodie; quod alius Euangelista quotidianum dixit. Illud nobilitatis ac substantiæ eius significat qualitatem, qua scilicet super omnes substantias sit, atque omnes creaturas sublimitas magnificentię eius ac sanctificationis excedat; hoc vero proprietatem vsus ipsius atque vtilitatis expressit. Nam cum dicit: Quotidianum; ostendit quòd sine ipso nullo die spiritalem vitam capere valeamus. Cum dicit: Hodie, ostendit eum quotidie esse sumendum, & hesternam præbitionem eius non sufficere, nisi nobis hodie quoque similiter fuerit attributus; omniq. nos tempore hanc orationem debere profundere, ind gẽtia eius quotidiana commoneat, quia non est dies quo non opus sit nobis huius esu ac perceptione cor nostri interioris hominis confirmare. Licet istud quod dicitur: Hodie, & ad præsentem vitam possit intelligi, id est, dum in hoc sæculo commoramur præsta nobis hunc panem. Nouimus enim eum his qui meruerint, a te & in futuro esse præstandum, sed rogamus, vt eum nobis hodie largiaris, quia nisi eum percipere quis in hac vita meruerit, in illa eius particeps esse non poterit.

*Luc. 11.*



*De eo quo dicit: Dimitte nobis debita nostra, & reliqua. Cap. XXI.*

ET dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. O ineffabilis Dei clementia, quæ non solum nobis orationis tradidit formam, & acceptabilem sibi morum nostrorum instituit disciplinam, ac per necessitatem traditæ formulæ, qua se præcepit a nobis semper orari, iræ pariter & tristitiæ radices euellit, sed etiam rogãtibus tribuit, eisq. referat viam, qua clemens ac pium erga se prouocent Dei iudicium promulgari, & quodammodo potestatem tribuit, qua iudicis nostri possimus sententiam temperare, ad veniam delictorum nostrorum exemplo eum nostræ remissionis artantes, dum dicimus ei: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. Itaque securus huius orationis fiducia de suis admissis veniam postulabit, quisquis remissor erga suos dumtaxat, non erga domini sui extiterit debitores. Solemus namque nonnulli (quod est deterius) erga illa quidem, quæ ad iniuriam Dei admittuntur, quamuis magnorum sint criminum, placidos nos & clementissimos exhibere; erga nostrarum vero vel paruissimarum offensionũ debita, exactores immittes atque inexorabiles inueniri. Quisquis igitur in se delinquenti fratri non ex corde

Universidad de Deusto
Biblioteca



remiserit, non indulgentiam, sed condemnationem deprecatione hac sibimet impetrabit, suaq. professione semetipsum poscet durius iudicari, dicens: Remitte mihi, sicut & ego remisi. Quod cum illi secundum suam petitionem fuerit repensatum, quid aliud subsequetur, quàm vt exemplo suo, implacabili ira & irremissa sententia puniatur? Ideoq. si clementer volumus iudicari, nos quoque erga illos, qui in nos deliquerint, oportet esse clementes. Tantum enim remittetur nobis, quantũ remiserimus nos eis, qui nobis quacumque malignitate nocuerint. Quod formidantes nõnulli, cum in ecclesia hæc oratio ad vniuersa plebe concinitur, hunc locum taciti prætermittunt; ne scilicet semetipsos obligare potius quàm excusare sua professione videantur: non intelligentes quòd frustra cauillationes has iudici omnium prætendere moliantur, qui quemadmodum iudicaturus sit supplicibus suis voluit præmonstrare. Dum enim erga eos non vult immitis atque inexorabilis inueniri, formam sui iudicij designauit, vt quemadmodum nos ab illo iudicari cupimus, ita nostros fratres, si quid in nos deliquerint, iu-
*Iacob. 2.* dicemus: quia iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam.

### *De eo quod dicit: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Cap. XXII.*

DEinde sequitur: Et ne nos inducas in tentationem. De quo non minima nascitur quæstio. Si enim oramus, ne permittamur tentari, vnde erit in nobis virtus constantiæ comprobanda, secundum illam sententiam: Omnis vir qui
*Iacob. 1.* non est tentatus, non est probatus. & iterum: Beatus vir qui suffert tentationem. Non ergo hoc sonat: Ne inducas nos in tentationem, id est, non permittas nos aliquando tentari; sed ne permittas in tentatione positos superari. Tentatus est enim Iob, sed non est inductus in tentationem. Non enim dedit insipientiam Deo, nec ad illam ad quam trahebatur tentatoris voluntatem, ore impio blasphemus intra-
*Gen. 22.* uit. Tentatus est Abraham, tentatus est Ioseph, sed neuter
*Gen. 39.* illorum est tentationem inductus, quia nullus eorum consensum præbuit tentatori. Deinde sequitur: Sed libera nos a malo, id est, ne permittas nos a diabolo tentari supra id
*1. Cor. 10.* quod possumus, sed fac cum tentatione & exitum, vt sustinere possimus.

Quod



### *Quod non debeant alia postulari, quàm hæc tantum, quæ orationis Dominicæ modulo continentur. Cap. XXIII.*

VIdetis ergo qualis nobis ab ipso, qui per illam exorandus est iudice, orationis sit modulus & forma proposita, in qua nulla diuitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus ac fortitudinis postulatio, nulla corporeæ † sanitatis, seu tẽporalis vitæ mentio continetur. Ni- *al. necessitatis.*
hil enim caducum vult a se, nihil vile, nihil tẽporale, æternitatum conditor implorari. Itaq. magnificentiæ eius ac munificentiæ maximam irrogabit iniuriam, quisquis sempiternis petitionibus prætermissis, transitoriũ aliquid & caducum ab eo maluerit postulare; & offensam potius, quàm propitiationem iudicis sui, vtilitate orationis incurret.

### *De qualitate sublimioris orationis. Cap. XXIV.*

HÆc igitur oratio licet omnem videatur perfectionis plenitudinem continere, vtpote quæ ipsius Domini auctoritate vel initiata sit vel statuta, prouehit tamen domesticos suos ad illum præcelsiorem, quem superius commemorauimus, statum, eosq. ad illam igneam ac perpaucis cognitam vel expertam, immo (vt proprius dixerim) ineffabilem orationem, gradu eminentiore perducit, quę omnem transcendens humanum sensum, nullo non dicam sono vocis, nec linguę motu, nec vlla verborum pronuntiatione distinguitur, sed quam mens infusione cęlestis illius luminis illustrata, non humanis atque angustis designat eloquijs, sed conglobatis sensibus, velut de fonte quodam copiosissimo effundit vbertim, atque ineffabiliter eructat ad Dominum, tanta promens in illo breuissimo temporis puncto, quanta nec eloqui facile, nec mens percurrere in semetipsam reuersa pręualeat. Quem statum Dominus quoque in- *Luc. 5.*
ter illarum supplicationum formulas, quas vel solus in monte secedens, vel tacite fudisse describitur, similiter figurauit, cum in orationis agonia constitutus, etiam guttas san- *Luc. 22.*
guinis inimitabili profudit exemplo.

### *De diuersis compunctionum causis, quibus mens ad orationem incitatur. Cap. XXV.*

QVis vero possit diuersitates & causas ipsas, atque origines compunctionum quantalibet experientia Prędituś sufficienter exponere, quibus mens inflammata atque succensa ad orationes puras ac feruentissimas inci-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tatur? Quarum pauca quantum potuerimus ad præsens per illuminationem Domini reminiſci, exempli gratia proponemus. Nonnumquam etenim pſalmi cuiuſcũque verſiculus occaſionem orationis ignitæ nobis decantantibus præbuit; interdum canora fraternæ vocis modulatio, ad intentam ſupplicationem ſtupentium animos excitauit. Nouimus quoque diſtinctionem grauitatemq. pſallentis, etiã adſtantibus plurimum contuliſſe feruoris; necnon exhortatio viri perfecti, & collatio ſpiritalis, frequenter ad vberrimas preces iacentium erexit affectum. Scimus etiam fratris ſeu cari cuiuſquam interitu non minus nos ad plenam compunctionem fuiſſe raptatos. Recordatio quoque teporis ac negligentiæ noſtræ nonnumquam nobis ſalutarem ſpiritus inuexit ardorem. Atque in hunc modum nulli dubium eſt occaſiones innumeras non deeſſe, quibus per Dei gratiam torpor ac ſomnolentia noſtrarum mentium valeat excitari.

*De varijs compunctionum qualitatibus. Cap. XXVI.*

QVemadmodum vero, vel quibus modis iſtæ ipſæ compunctiones de intimis animæ conclauibus proferantur, non minoris difficultatis eſt indagare. Frequenter enim per ineffabile gaudium & alacritatem ſpiritus ſaluberrimæ compunctionis † fructus emergit, ita vt etiam in clamores quoſdam intolerabilis gaudij immenſitate prorũpat, & cellam vicini iucunditas cordis, & exultationis penetret magnitudo. Nonnumquam vero tanto ſilentio mens intra ſecretum profundæ taciturnitatis abſconditur, vt omnem penitus ſonum vocis ſtupor ſubitæ illuminationis includat, omnesq. ſenſus attonitus ſpiritus vel contineat intrinſecus, vel †emittat, ac deſideria ſua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. Interdum vero tanta compunctionis abundantia ac dolore ſuppletur, vt aliàs eam digerere niſi lacrymarum euaporatione non poſſit.

al. fletus.

al. amittat.

*Interrogatio de eo, quod non ſit in noſtra poteſtate profuſio lacrymarum. Cap. XXVII.*

GERMANVS

HVnc equidem compunctionis affectum ex parte aliqua mea quoque exiguitas non ignorat. Frequenter enim recordatione delictorum meorum obortis lacrymis, ita ſum hoc ineffabili, vt præfatus es, gaudio, viſitante Domino, vegetatus, vt deſperare me illorum veniã non debere lætitiæ ipſius magnitudo dictaret. Quo ſtatu nihil reor eſſe ſu-



ſe ſublimius, ſi reparatio eius noſtro ſubiaceret arbitrio. Nã nonnumquam cupiens ad ſimilem me lacrymarum compunctionem totis viribus excitare, omnesq. errores meos atque peccata ante oculos ſtatuẽs vbertatem illam fletuum reuocare, non poſſum; & ita oculi mei in modum cuiuſdam duriſſimæ ſilicis prædurantur, vt nulla prorſus ex eis humoris gutta diſtiller. & ideo quantum mihi in illa lacrymarum profuſione congaudeo, tantum doleo, quòd illam cum voluero, recuperare non valeo.

*Reſponſio de diuerſitate compunctionum, quæ per lacrymas digeruntur. Cap. XXVIII.*

ISAAC

NOn omnis lacrymarum profuſio vno affectu, vel vna virtute depromitur. Aliter enim ille fletus emanat, qui peccatorum ſpina cor noſtrum compungente profertur, de quo dicitur: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Et iterum: Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem & per noctem, & non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Aliter qui de contemplatione æternorum bonorum, & deſiderio illius futuræ claritatis exoritur; pro qua etiam vberiores lacrymarum fontes de intolerantia gaudij & alacritatis immenſitate prorumpunt, dum ſitit anima noſtra ad Deum fontem viuum, dicens: Quando veniam, & apparebo ante conſpectum Dei? Fuerunt mihi lcrymæ meæ panes die ac nocte; cum ciulatu quotidie & lamentatione proclamãs: Heu mihi, quoniam incolatus meus prolongatus eſt. &: Multum incola fuit anima mea. Aliter profluunt lacrymæ, quæ abſque vlla quidem talium criminum conſcientia, ſed tamen de metu gehennæ, & terribilis illius iudicij recordatione procedunt, cuius terrore propheta perculſus orat ad Deum: Non intres, inquiens, in iudiciũ cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Eſt etiam aliud lacrymarum genus, quod nõ pro ſua conſcientia, ſed pro aliena duritia peccatisq. generatur, quo Samuel Saulem, quo illam quoque ciuitatem Hieruſalem vel in Euãgelio Dominus, vel in Threnis Hieremias fleuiſſe deſcribitur, ita dicens: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo in die & in nocte interfectos filiæ populi mei? Vel certe quales illæ ſunt lacrymæ, de quibus in Pſalmo centeſimo primo canitur:

*Pſal.6.* *Thren.2.* *Pſal.41.* *Pſal.118.* *Ibid.* *Pſal.142.* *1.Reg.15.* *Luc 19.* *Hiere. 9.*

Psal.101. Quia cinerem sicut panem manducabam, & poculum meũ cum fletu miscebam. Quas certum est non illo affectu promi, quo in sexto psalmo ex persona pœnitentis emergunt, sed pro anxietatibus vitæ atque angustijs & ærumnis, quibus iusti in hoc mundo positi deprimuntur. Quod etiam psalmi ipsius non solum textus, sed etiam titulus euidenter ostendit, qui ex persona illius pauperis, de quo in Euangelio dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, ita describitur: Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, & coram Deo effuderit precem suam.

Matth.5. Psal.6.

*Quod elici non debeant lacryma, quando non spontaneæ proferuntur. Cap. XXIX.*

AB his ergo lacrymis multum distant illæ, quæ corde obdurato de siccis oculis exprimuntur, quas licet non penitus infructuosas esse credamus (bono enim proposito earum attentatur emissio, ab his præsertim qui necdum vel ad scientiam peruenire perfectam, vel pristinorum seu præsentium vitiorum potuerunt ad purum labe mundari) ab his tamen, qui in affectum iam transiere virtutum nequaquam debet hoc modo extorqueri profusio lacrymarum, neque exterioris hominis magnopere affectandi sunt fletus, qui etiam si fuerint vtcumque producti, numquam pertingere ad illam spontanearum lacrymarum poterunt vbertatem. Magis enim supplicantis animum suis conatibus distrahentes humiliabunt atque ad ima demergent, & ab illa cælesti sublimitate deponent, in qua attonita mens orantis indeclinabiliter debet esse defixa, eamque compellent precum suarum intentione laxata erga steriles & coactitias lacrymarum guttulas ægrotare.

*Sententia abbatis Antonij super orationis statu. Cap. XXX.*

ET vt orationis veræ percipiatis affectum, non meum vobis, sed beati Antonij sententiam proferam: quem ita nonnumquam in oratione nouimus perstitisse, vt eodem in excessu mentis frequenter orante, cum solis ortus cœpisset infundi, audierimus eum in feruore spiritus proclamantem: Quid me impedis sol, qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate? Cuius etiã hæc quoque est super orationis fine cælestis & plus quàm humana sententia: Non est, inquit, perfecta oratio, in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat, intelligit. Et vt nos quoque secundum mensuram tenuitatis nostræ huic admirandæ



randæ sententiæ superadijcere aliquid audeamus, orationis quæ exauditur a Domino, inquantum experti sumus, indicia proferemus.

*De exauditionis indicio. Cap. XXXI.*

CVm orantes nos nulla interpellauerit hæsitatio, & fiduciam petitionis nostræ quadam desperatione deiecerit, sed obtinuisse nos in ipsa orationis effusione, quod poscimus senserimus, non ambigamus preces nostras ad Deũ efficaciter penetrasse. Tantum enim quis exaudiri atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se a Deo vel Deũ crediderit posse præstare. Irretractabilis namq. est Saluatoris illa sententia: Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & † venient vobis.

Marc.11. al. fient.

*Obiectio, quòd prædicta exauditionis fiducia tantum sanctis conueniat. Cap. XXXII.*

GERMANVS

HAnc exauditionis fiduciam nimirum de conscientiæ puritate credimus emanare. Ceterum nos quorum cor adhuc peccatorum spina compungit, quemadmodum eam habere possimus nullis patrocinantibus meritis, quibus exaudiendas orationes nostras fiducialiter præsumamus?

*Responsio de diuersis exauditionum causis.*

ISAAC *Cap. XXXIII.*

DIuersas exauditionum causas esse secundum animarum diuersum ac varium statum, euangelica, siue prophetica testantur eloquia. Habes enim in duorum consensione fructum exauditionis Dominica voce signatum, secundum illud: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a patre meo qui in cælis est. Habes aliam in fidei plenitudine, quæ grano sinapis comparatur: Si enim, inquit, habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic; Transi hinc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis. Habes in assiduitate orationum, quam propter indefessam petitionum perseuerantiam, importunitatem sermo Dominicus nominauit: Amen enim dico vobis, quia si non propter amicitiam, vel propter importunitatem eius surget, & dabit ei quantum opus habuerit. Habes in eleemosynarum fructu: Conclude, inquit, eleemosynam in corde pauperis, & ipsa orabit pro te in tempore tribulationis. Habes in emendatione vitæ & operibus misericordiæ, secundum illud: Dissolue

Matt.18. Matt.17. Luc.11. Eccli.29. Esai.58.

colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Et post pauca quibus infructuosa ieiunij sterilitas castigatur:

*Ibid.* Tunc, inquit, inuocabis, & Dominus exaudiet te, clamabis, & dicet, Ecce adsum. Nonnumquam sane exaudiri etiam

*Psal. 119.* tribulationum nimietas facit, secundum illud: Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Et iterum:

*Exod. 22.* Ne afflixeris aduenam, quia si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Videtis ergo quot modis obtineatur exauditionis gratia, vt nullus ad impetranda ea, quæ salutaria sunt & æterna, conscientiæ suæ desperatione frangatur. Vt enim miseriarum nostrarum contemplatione concedamus nos omnibus illis quas supra memorauimus, penitus destitutos esse virtutibus, & nec illam nos habere laudabilem cõsensionem duorum, nec illam fidem grano sinapis comparatam, nec illa pietatis opera, quæ propheta describit: tamen vel importunitatem, quæ omni volẽti suppeditat, habere possumus; per quam etiam solam da-

*Luc. 11.* turum se Dominus quidquid oratus fuerit, repromittit. Et idcirco absque hæsitationis infidelitate precibus insistendum est, obtenturosq. nos earum iugitate cuncta quæ secũdum Deum poposcerimus minime dubitandum. Hortatur enim nos Dominus, volens ea quæ sunt æterna cælestiaq. præstare, vt eum importunitate nostra quodammodo coartemus, qui importunos non modo non despicit nec refutat, sed etiam inuitat & laudat; eisq. præstaturum se quidquid perseueranter petierint benignissime pollicetur,

*Ibid.* dicens: Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate,

*Matt. 21.* & aperietur vobis. omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur. Et iterum: Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis. &:

*Matt. 17.* Nihil impossibile erit vobis. Idcirco si cunctæ nos exauditionum, quas prædiximus, causæ omnino deficiunt, saltem animet importunitatis instantia, quæ absque vlla vel meriti vel laboris difficultate, in cuiuscumque volentis sita est potestate. Pro certo autem non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cum se dubitauerit exaudiri. Quod autem infatigabiliter Domino supplicandum sit,

*Dan. 10.* etiam illo beati Danielis docemur exemplo, qui exauditus a prima die, qua cœpit orare, post primam & vicesimam diem cõsequitur suæ petitionis effectum. Vnde nos quoque non debemus a cœpta orationum nostrarum intentione cessare,



cessare, si nos exaudiri tardius senserimus; ne forte aut exauditionis gratia dispensatione Domini vtiliter differatur, aut angelus diuinum ad nos beneficium delaturus, a facie omnipotentis egressus, resistente diabolo demoretur; quem certum est transmissum a nobis desiderium inferre non posse, si nos a propositæ petitionis intentione cessare repererit. Quod etiam supradicto prophetæ proculdubio accidere potuisset, nisi virtute incomparabili in primum atque vicesimum diem orationum suarum perseuerantiam protelasset. Ab huius igitur fidei confidentia, nulla penitus desperatione frangamur, cum orationem nostram nos obtinuisse minime senserimus, nec hæsitemus super Domini sponsione dicentis: Omnia quæcumque petieritis in *Matt. 21.* oratione credentes, accipietis. Retractare namq. nos conuenit illam beati Ioannis Euangelistæ sententiam, qua ambiguitas huius quæstionis euidenter absoluitur: Hæc est, *1. Ioan. 5.* inquit, fiducia quam habemus ad Deum, quia quidquid petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Ergo super his tantum plenam nos & indubitabilem iussit exauditionis habere fiduciam, quæ non nostris commodis nec solatiis temporalibus, sed Domini congruunt voluntati. Quod etiam in oratione Dominica admiscere præcipimus, dicentes: Fiat voluntas, tua scilicet, non nostra. Si *Matth. 6.* enim & illud Apostoli recordemur: Quoniam quid oremus, secundum quod oportet nescimus; intelligemus non- *Rom. 8.* numquam nos saluti nostræ cõtraria postulare, & commodissime nobis ab eo, qui vtilitates nostras rectius quam nos ac veracius intuetur, ea quæ poscimus denegari. Quod illi quoque magistro gentium accidisse nõ dubium est, cum oraret auferri a se angelum satanæ, qui vtiliter ad colaphizandum eum appositus fuerat voluntate Domini, dicens: *2. Cor. 12.* Propter quod ter Dominum regaui, vt discederet a me; & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Quem sensum etiam Dominus noster orans ex persona hominis assumpti, vt formam quoque orandi nobis quemadmodum cetera suo præberet exemplo, ita cũ oraret expressit: Pater, si possibile est, trãseat a me calix iste; *Matt. 26.* verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu; cum vtique eius a patris voluntate non discreparet voluntas. Venerat *Matt. 18.* enim saluare quod petierat; & dare animam suam redem- *Matt. 20.* ptionem pro multis; de qua ipse dicit: Nemo tollit animam *Ioan. 10.* meam

meam a me, sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumendi eam. Ex cuius persona super vanitate voluntatis suæ, quam cum patre iugiter possidebat, per beatum quoque Dauid in xxxix. Psalmo ita cantatur: Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui. Nam & si de patre legimus: Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret; & de filio nihilominus inuenimus: Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris. Et quēadmodum de illo refertur: Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; ita de isto narratur: Oblatus est, quia ipse voluit; & ita patris & filij voluntas vna per omnia designatur, vt etiam in ipso resurrectionis Dominicæ sacramento operatio non dissona fuisse doceatur. Nam sicut resurrectionem corporis eius patrem operatum beatus Apostolus prædicat, dicens: Et Deum patrem qui suscitauit eum a mortuis; ita filius suscitaturum se templum sui corporis protestatur: Soluite, inquiens, templum hoc, & ego in tribus diebus suscitabo illud. Et ideirco his, quæ prædiximus, exemplis Dominicis eruditi, cunctas obsecrationes nostras simili nos quoque debemus oratione concludere, & hanc vocem cunctis petitionibus nostris semper adiungere: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Satis vero constat, illum trinæ † curuationis numerum, qui solet in congregatione fratrum ad concludendam synaxim celebrari, eum qui intento animo † non supplicat, obseruare non posse.

*Psal.39.* *Ioan.3.* *Galat. 1.* *Rom.8.* *Esai.53.* *Galat. 1.* *Ioan.2.* *Matt.26.* *al. orationis.* *al. abest negatio.*

*De oratione intra cubiculum, & clauso ostio deferenda. Cap. XXXIV.*

ANte omnia sane illud euangelicum præceptum diligentius obseruandum est, vt intrantes in cubiculum nostrum clauso ostio nostro oremus patrem nostrum; quod ita a nobis implebitur. Intra nostrum cubiculum supplicamus, cum ab omnium cogitationum seu solicitudinū strepitu cor nostrum penitus amouentes, secreto quodammodo ac familiariter preces nostras Domino referamus. Clauso oramus, ostio, cum strictis labijs omniq. silentio supplicamus non vocum, sed cordium scrutatori. In abscondito oramus quando corde tantum, & intenta mente petitiones nostras soli pandimus Deo; ita vt ne ipsæ quidem aduersæ valeāt potestates genus nostræ petitionis agnoscere. Propter quod

*Matth. 6.*



summo est orandum silentio, non solum ne fratres adstantes nostris susurris vel clamoribus auocemus, & orātium sensibus obstrepamus, sed vt ipsos quoque inimicos nostros, qui nobis orantibus maxime insidiantur, lateat nostræ petitionis intentio. Ita enim præceptum illud implebimus: Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi clausura oris tui. *Miche. 7.*

*De vtilitate breuis & tacitæ orationis. Cap. XXXV.*

OB quod frequenter quidem, sed breuiter est orandum, ne immorantibus nobis inserere aliquid cordi nostro possit insidiator. Istud namq. est sacrificium verum, quia: Sacrificium Deo spiritus contritus. Hæc salutaris oblatio, ista sunt pura libamina, istud sacrificium iustitiæ, istud est sacrificium laudis, hæ veræ ac pingues hostiæ, ista sunt holocaustomata medullata, quæ contritis & humiliatis cordibus offeruntur; quæque hac qua diximus disciplina & intētione spiritus exhibentes, efficaci poterimus virtute cantare: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Quod etiam nos opportuna commonet deuotione persoluere, horæ ipsius ac noctis aduentus: de quo quidem licet pro tenuitatis nostrę mensura multa prolata videantur, diuq. sit protracta collatio; pro sublimitate tamen ac difficultate materię paucis admodum credimus disputatum. His sancti Isaac sermonibus stupefacti potius quàm repleti, vespertina synaxi celebrata, sopore paululum membra laxauimus, primoq. diluculo, sub placito plenioris tractatus, iterum reuersuri ad nostra discessimus, tam de prę ceptorū acquisitione, quàm de promissorum securitate gaudentes. Excellentiam siquidem orationis nobis tantummodo prę monstratam, ordinem vero atque virtutem, qua etiam perpetuitas eius vel acquirenda est, vel tenenda, necdum nos integre percepisse illius disputationibus senseramus.

*Psal. 50.* *Leuit.10.* *Psal.4.* *Psal.65.* *Psal.140.*

*COLLATIONIS PRIMÆ, abbatis Isaac de Oratione, Finis.*

COLLA-

Universidad de Deusto
Biblioteca



# COLLATIO DECIMA, QVÆ EST SECVNDA ABBATIS ISAAC, DE ORATIONE.

*Proœmium collationis.*

INTER hæc anachoretarum instituta sublimia, quæ vtcumque, donante Deo, licet imperito digesta sunt stylo, quiddam nos interserere atque contexere, quod velut pulchro corpori næuum quendam videatur apponere, narrationis ipsius † ordo compellit: quamquam non dubitem ex hoc ipso non minimam
*al. causa.* instructionem super omnipotentis Dei, quæ in Genesi legi-
*Gen.1.* tur imagine, quibusque simplicioribus conferendam; præsertim cum tanti dogmatis causa vertatur, vt ignoratio eius sine ingenti blasphemia, & catholicæ fidei detrimento esse non possit.

*De cõsuetudine, quæ super significatione Paschæ intra Ægypti prouinciam retentatur. Cap. I.*

INtra Ægypti regionem mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracto Epiphaniorum die, quem prouinciæ illius sacerdotes vel Dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis esse definiunt, & idcirco vtriusque sacramenti solemnitatem non bifarie, vt in occiduis prouincijs, sed sub vna diei huius festiuitate concelebrant, epistolæ põtificis Alexandrini per vniuersas Ægypti ecclesias dirigantur, quibus & initium Quadragesimę, & dies Paschę non solum per ciuitates omnes, sed etiam per vniuersa monasteria designentur. Secundum hunc igitur morem post dies admodum paucos quàm superior cum abbate Isaac fuerat agitata collatio, Theopili prędictę vrbis episcopi solemnes epistolę commearunt; quibus cum denuntiatione Paschali contra ineptam quoque Anthropomorphitarum hęresim longa disputatione disseruit, eamq. copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine ab vniuerso propemodum genere monachorum, qui per totam prouinciam Ægy-



Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum, vt econtrario memoratum pontificem, velut hæresi grauissima deprauatum, pars maxima seniorum ab vniuerso fraternitatis corpore decerneret detestandum, quòd scilicet impugnare scripturæ sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, cum ad eius imaginem creatum Adam scriptura *Gen.1.* manifestissime testaretur. Denique & ab his qui erant in Scithi eremo commorantes, quique perfectione ac scientia omnibus, qui erant in Ægypti monasterijs, præeminebant, ita est hæc epistola refutata, vt præter abbatem Paphnutiũ nostræ congregationis presbyterum, nullus eam ceterorum presbyterorum, qui in eadem eremo alijs tribus ecclesijs præsidebant, nec legi quidem aut recitari in suis conuentibus prorsus admitterent.

*De abbate Serapione, & Antropomorphitarum hæresi, quam simplicitatis errore contraxit. Cap. II.*

INter eos ergo, qui hoc detinebantur errore, fuit antiquissimæ districtionis atque in actuali disciplina per omnia consummatus nomine Serapion, cuius imperitia super prędicti dogmatis opinione tantum præiudicabat cunctis veram tenentibus fidem, quantum ipse vel vitæ merito vel antiquitate tẽporis, omnes fere monachos anteibat. Cumque hic sancti presbyteri Paphnutij multis adhortationibus ad tramitem rectæ fidei non posset adduci, eo quòd nouella ei hæc persuasio, nec ab anterioribus aliquando comperta vel tradita videretur, accidit vt quidam diaconus vir summæ scientiæ nomine Photinus, desiderio videndi fratres, qui in eadem eremo commanebant, de Cappadociæ partibus adueniret. Quem beatus Paphnutius summa gratulatione suscipiens, & ad cõfirmationem fidei, quæ fuerat prędicti põtificis litteris comprehensa producens in medium, coram cunctis fratribus sciscitatur, quemadmodum illud quod in Genesi dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & simili- *Ibid.*
tudinem nostram; catholicæ Orientis interpretarentur ecclesię. Cumque ille non secundum humilem litterę sonum, sed spiritaliter imaginem Dei ac similitudinẽ tradi ab vniuersis ecclesiarum principibus explanaret, idq. copioso sermone ac plurimus scripturarum testimonijs approbasset, nec posse in illam immensam & incomprehẽsibilem atque inuisibilem maiestatem aliquid eiusmodi cadere quod humana

mana compositione valeat ac similitudine circumscribi, quippe qui incorporea & incomposita simplexq. natura sit, quique sicut oculis deprehendi, ita mente nō valeat æstimari: tandem senex multis ac validissimis doctissimi viri assertionibus motus, ad fidem catholicæ traditionis attractus est. Cumq. super hoc eius assensu, infinita vel abbatem Paphnutium, vel nos omnes lætitia repleuisset, quòd scilicet virum tantę antiquitatis, tantisq. virtutibus cōsummatum, imperitia sola & simplicitate rusticitatis errantem, nequaquam vsque ad finem deuiare Dominus a tramite rectæ fidei permisisset, & pro gratiarum actione surgentes preces Domino pariter funderemus, ita est in oratione senex mente confusus, eo quòd illam ἀνθρωπόμορφον imaginē deitatis, quam proponere sibi in oratione consueuerat, aboleri de suo corde sentiret, vt in amarissimos fletus crebrosq. singultus repente prorumpens, in terramq. prostratus, cum eiulatu validissimo proclamaret: Heu me miserū, tulerūt a me Deum meum, & quē nunc teneā non habeo, vel quem adorē aut interpellē iam nescio. Super qua re valde permoti, necnon etiā præteritæ collationis virtute adhuc in nostris cordibus insidente, ad abbatem rediuimus Isaac, quem cominus intuentes his sermonibus sumus adorsi.

*De reditu nostro ad abbatem Isaac, & inquisitione erroris, quē senex prædictus incurrit. Cap. III.*

LIcet nos præteritæ collationis, quæ super orationis statu digesta est, desiderium, recurrere ad tuam beatitudinem postpositis omnibus inuitaret, adiecit tamen aliquid huic cupiditati etiam abbatis Serapionis tam grauis error, nequissimorum (vt arbitramur) dæmonum calliditate conceptus. Non enim parua desperatione deijcimur, considerantes eum, labores tantos, quos per quinquaginta annos in hac eremo laudabiliter exegit, ignorantiæ huius vitio non solum penitus perdidisse, sed etiam perpetuæ mortis incurrisse discrimen. Vnde ergo, vel cur ei hic tam grauis error irrepserit, primum desideramus agnoscere, deinde quæsumus edoceri, quemadmodum ad illam orationis qualitatem de qua pridem non solum copiosè, sed etiam magnificè disputasti, peruenire possimus. In hoc enim profecit nobis admirabilis illa collatio, vt stuporem tātummodo mētis incuteret, non quemadmodum eam perficere vel apprehendere valeremus ostenderet.

*Respon-*



*Responsio de origine hæreseos superius comprehensa.*

ISAAC *Cap. IV.*

NOn est mirandum hominem simplicissimum, & de substantia ac natura diuinitatis numquam penitus eruditum, rusticitatis vitio & consuetudine erroris antiqui nunc decipi, vel (vt verius dicam) in errore pristino perdurare, qui non recenti, sicut putatis, dæmonum illusione, sed ignorantia pristinæ gentilitatis infertur, dum secundum cōsuetudinem erroris illius, quo dæmones hominum figura compositos excolebant, nunc quoque illam incomprehensibilem atque ineffabilem veri numinis maiestatem sub circumscriptione alicuius æstimant imaginis adorandam, nihil se tenere credentes, si propositam non habuerint imaginem quandam, quam in supplicatione positi iugiter interpellent, eamq. circumferant mente ac præ oculis teneant semper affixam. Super quorum errore competenter dirigitur illa sententia: Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. *Rom. 1.* Hieremias quoque: Populus, inquit, meus mutauit gloriam suam in idolum. *Hiere. 2.* Qui error licet origine hac, qua prædiximus quorundam sensibus sit inolitus, nihilominus tamen in illorum quoque animis, qui numquam gentili superstitione polluti sunt, sub colore testimonij huius quo dicitur: Faciamus hominem ad imaginē & similitudinem nostrā; *Gen. 1.* imperitia seu rusticitate faciente, contractus est, ita vt etiam hæresis quæ dicitur Anthropomorphitarum, sub occasione detestandæ huius interpretationis emerserit, quæ immēsam illam ac simplicem diuinitatis substantiam lineamentis nostris & humana figuratione compositam pertinaci peruersitate contendit; quam tamen si quis fuerit catholicis dogmatibus institutus, vt gentilem blasphemiam detestabitur, & ita ad illam orationis purissimā peruenit qualitatem, quæ non solum nullam diuinitatis effigiem, nec lineamenta corporea (quod dictu quoque nefas est) in sua supplicatione miscebit, sed nec vllam quidem in se memoriam dicti cuiusquam, vel facti speciem, seu formā cuiuslibet characteris admittet.

*Quibus ex causis vnicuique nostrum aut humilis Christus Iesus, aut glorificatus appareat. Cap. V.*

SEcundum mensuram namq. puritatis suæ, sicut superiore collatione præfatus sum, vnaquæque mens in oratione

Universidad de Deusto
Biblioteca



ne sua vel erigitur vel formatur: tantum scilicet a terrenarum ac materialium rerum contẽplatione discedens, quantum eam status suæ prouexerit puritatis, feceritq. Iesum vel humilem adhuc & carneum, vel glorificatum & in maiestatis suæ gloria venientem, internis obtutibus animæ peruideri. Non enim poterunt Iesum intueri venientem in regno suo, qui adhuc sub illa quodammodo Iudaica infirmi-
2.Cor.5. tate detenti, nõ queunt dicere cum Apostolo: Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Sed illi soli purissimis oculis diuinitatem ipsius speculantur, qui de humilibus ac terrenis operibus & cogitatio-
Matt.17. nibus ascendentes cum illo secedunt in excelso solitudinis monte, quo liber ab omnium terrenarum cogitationum ac perturbationum tumultu, & a cunctorum vitiorum permixtione secretus, fide purissima ac virtutum eminentia sublimatus, gloriam vultus eius ac claritatis reuelat imaginem his, qui mundis eum merentur animæ obtutibus intueri. Ceterum videtur etiam Iesus ab his, qui in ciuitatibus & castellis ac viculis commorantur, id est, qui in actuali
Ibid. conuersatione sunt atque in operibus constituti; sed non in illa claritate, qua illis apparuit, qui cum ipso possunt in prę-
Exod.3. dicto virtutum monte conscendere, id est, Petro, Iacobo &
3.Reg.19 Ioanni. Ita enim in solitudine & Mosi apparuit, & Eliæ locutus est. Quod volens noster Dominus confirmare, ac perfectæ nobis relinquere puritatis exempla, & quidem cum ipse fons inuiolabilis sanctitatis ad obtinendam eam secessionis adiutorio ac solitudinis beneficio extrinsecus non egeret (non enim vllis turbarum sordibus puritatis plenitudo poterat maculari, nec contaminari humano consortio qui vniuersa polluta mũdat atque sanctificat) secessit tamẽ
Matt.14. in montem solus orare, per hoc scilicet nos instruens suæ secessionis exemplo, vt si interpellare nos quoque Deũ voluerimus puro & integro cordis affectu, ab omni inquietudine & confusione turbarum similiter secedamus, vt in hoc corpore commorantes ad similitudinem quandam il-
2.Cor.12. lius beatitudinis quæ in futuro repromittitur sanctis, vel ex parte aliqua nos aptare possimus, sitq. nobis omnia & in omnibus Deus.

*In quo noster finis seu prefecta beatitudo consistat. Cap. VI.*

TVnc enim perfecte consummabitur in nobis illa nostri Saluatoris oratio, qua pro suis discipulis orauit ad patrem



Patrem dicens: Vt dilectio, qua dilexisti me, in eis sit, & ipsi Ioan.17.
in nobis. & iterum: Vt omnes vnum sint, sicut tu pater in Ibid.
me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint; quando illa
Dei perfecta dilectio, qua prior nos ille dilexit, in nostri 1.Ioan.4.
quoque transierit cordis affectum, hac Dominica oratione completa, quam credimus nullo modo posse cassari. Quod ita fiet, cum omnis amor, omne desiderium, omne studiũ, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne, quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit; illaq. vnitas, quæ nunc est patris cum filio, & filij cum patre, in nostrum fuerit sensum mentemq. transfusa, id est, vt quemadmodum nos ille sincera & pura atque indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua & inseparabili dilectione iungamur, ita eidem scilicet copulati, vt quidquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, Deus sit, in illum, inquam, peruenientes, quem prædiximus finem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri: Vt omnes sint vnum, sicut nos vnum sumus: ego in eis & tu in Ioan.17.
me, vt sint & ipsi consummati in vnum. & iterum: Pater
quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum & ipsi sint mecum. Ibid.
Hæc igitur destinatio solitarij, hæc esse debet omnis intentio, vt imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore possidere mereatur, & quodammodo artham cælestis illius conuersationis & gloriæ incipiat in hoc vasculo prægustare. Hic, inquam, finis totius perfectionis est, vt eo vsque extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritalia quotidie sublimetur, donec omnis eius cõuersatio, omnis volutatio cordis, vna & iugis efficiatur oratio.

*Interrogatio super eruditione perfectionis, per quam possimus ad perpetuam Dei memoriam peruenire.*

GERMANVS *Cap VII.*

MAior nobis ad præteritæ illius collationis admirationem, ob quam huc recurrimus, magnitudo stuporis accrescit. Quantum enim incitamento doctrinæ huius ad desiderium perfectæ beatitudinis inflammamur, tantum maiore desperatione concidimus, ignorantes quemadmodum disciplinam tantæ sublimitatis expetere vel obtinere possimus. Quapropter quæ in cella positi meditatione diutina voluere cœperamus, quia necesse est loquaci forsitan Prosecutione proferre, quæsumus vt ea explicari a nobis patienter admittas. Quamquam sciamus beatitudinem tuam

nullis offendi solete ineptijs infirmorum, quæ vel ob hoc sunt in medium proferendæ, vt quæ in eis absurda sunt, corrigantur. Quantum itaque opinio nostra se habet, cuiuslibet artis seu disciplinæ perfectio necesse est, vt a quibusdam mollibus incipiens rudimentis, facilioribus primo ac teneris initijs imbuatur, vt quodam rationabili lacte nutrita paulatim, educataq. succrescat, atque ita ab imis ad summa sensim gradatimq. conscendat: quibus cum fuerit planiora principia & quodammodo ianuas arreptę professionis ingressa, ad penetralia quoque perfectionis & excelsa fastigia consequenter & absque labore perueniat. Nam quemadmodum pronuntiare puerorũ quispiam simplices copulas poterit syllabarum, nisi prius elementorũ characteres diligenter agnouerit? Vel quomodo citatam legendi peritiam consequetur, qui breues & peranguſtas descriptiones nominum necdum est idoneus coniugare? Qua autem ratione is, qui peritia grammaticæ disciplinæ minus instructus est, vel facundiam rhetoricam vel philosophicam sciẽtiam consequetur? Quapropter huic quoque sublimissimæ disciplinæ, per quam instruimur Deo iugiter inhærere, non dubito quædam institutionis inesse fundamina, quibus primum firmissime collocatis, post hæc superpositæ extollantur perfectionis celsa fastigia. Cuius hæc esse principia tenuiter suspicamur, vt primum nouerimus, qua meditatione teneatur, vel cogitetur Deus. Deinde hanc eandem, quæcumque est, materiam quemadmodum valeamus immobiliter custodire, quod etiam non ambigimus culmen totius perfectionis existere. Et idcirco quandam memoriæ huius materiam, qua Deus mente concipiatur, vel perpetuo teneatur nobis cupimus demõstrari, vt eam præ oculis retentantes, cum elapsos nos ab eadem sensserimus, habeamus in promptu, quo respicientes illico reuertamur, ac resumere illam sine vlla circuitus mora & inquisitionis difficultate possimus. Euenit namque, vt cũ de theorijs spiritalibus euagati, ad nosmetipsos velut de letali sopore conuertimur, & tamquam expergefacti materiã quærimus, qua illam, quæ obruta est, spiritalem memoriam resuscitare possimus, retardati ipsius inquisitionis mora, priusquam reperiamus eam a nostro conatu iterum deuoluamur, & antequam spiritalis quidem† pariatur intuitus, concepta cordis euanescat intentio. Quam confusionem idcirco nobis accidere

*al. aperiatur.*



cidere satis certum est, quia speciale aliquid præ oculis propositum velut formulam quandam stabiliter non tenemus, ad quam possit vagus animus post multos anfractus ac discursus varios reuocari, & post longa naufragia velut portum quietis intrare. Itaque fit, vt hac ignoratione ac difficultate mens iugiter præpedita, errabunda semper & velut ebria, per diuersa iactetur, & ne illud quidem, quod casu potius quàm industria sibimet, occurrerit spiritale, diu ac firmiter, teneat, dum aliud ex alio semper recipiens, sicut introitus eorum atque principia, ita etiam finem discessumque non sentit.

*Responsio de efficacia intellectus, qui per experientiam colligitur. Cap. VIII.*

ISAAC

INquisitio vestra tã minuta atque subtilis proximę puritatis præsignat indicium. Nec enim de his saltem interrogare, non dicam introspicere atque discernere quispiam prævalebit, nisi quem diligens & efficax mentis industria ac solicitudo peruigil ad perscrutandam istarum profunditatem prouexerit quæstionum, castigateq. vitæ iugis intentio per experientiam fecerit actualem, attentare puritatis huius limina ianuasq. pulsare. Et idcirco quoniam video vos nõ dicam pro foribus orationis illius † veræ de qua diximus adstitisse, se ipsis quodammodo experientiæ manibus penetralia eius & interiora palpare; & quædam membra iam iamque contingere, nec me laboraturum credo, vt iam intra aulã quodammodo ipsius oberrantes in † abdita quoque in quantum Dominus direxerit introducam, nec vos ad introspicienda hæc, quę demonstranda sunt, vllo difficultatis obstaculo retardandos. Proximus enim cognitioni est, qui quid inquirere debeat prudenter agnoscit, nec a scientia longe est, qui cœpit intelligere quid ignoret. Et idcirco non vereor notam proditionis vel leuitatis incurrere, si ea quæ in superiore tractatu de perfectione orationis edisserens dispurationi subtraxeram, propalauero, quorum virtutem vobis in hoc exercitio ac studio collocatis etiam sine ministerio nostri sermonis per Dei gratiam arbitror referandam.

*al. abest vera.*

*al. adyta*

*De institutione orationis perpetuæ. Cap. IX.*

QVapropter secundum illam institutionem, quam parvulorum eruditioni prudentissime comparastis (qui alias elementorum traditionem primã percipere haud pos-

Universidad de Deusto
Biblioteca



sunt, nec eorum vel agnoscere lineas, vel intrepida manu queunt describere characteres, quàm protypis quibusdam & formulis ceræ diligenter impressis, effigies eorum exprimere contemplatione iugi & quotidiana imitatione consuescant,) huius quoque spiritalis theoriæ tradenda vobis est formula, ad quam semper tenacissime vestrum intuitū defigentes, vel eadem salubriter voluere indirupta iugitate discatis, vel sublimiores intuitus scandere illius vsu ac meditatione possitis. Hæc igitur vobis huius, quam quæritis, disciplinæ atque orationis formula proponetur, quam vnusquisque monachus ad iugem Dei memoriam tendens incessabili cordis volutatione meditari, expulsa omnium cogitationum varietate consuescat, quia nec aliàs eam vllo modo poterit retentare, nisi ab omnibus fuerit corporalibus curis ac solicitudinibus absolutus, quæ sicut nobis a paucis, qui antiquissimorum patrum residui erant, tradita est, ita a nobis quoque non nisi rarissimis ac vere sitiētibus intimatur. Erit itaq. ad perpetuam Dei memoriam possidendam, hæc inseparabiliter proposita vobis formula pie-
Psal. 69. tatis: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Hic namq. versiculus non immerito de toto scripturarum excerptus est instrumento. Recipit enim omnes affectus, quicūque inferri humanę naturæ possunt, & ad omnem statum atque vniuersos incursus proprie satis & competenter aptatur. Habet siquidem aduersus vniuersa discrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet solicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semper adstantisq. præsidij. Qui enim iugiter suum inuocat protectorem, certus est eum semper esse præsentem. Habet amoris & charitatis ardorem, habet insidiarum contemplationem, inimicorumq. formidinem, quibus perspiciens semetipsum die noctuq. vallatum, cōfitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari. Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, lorica impenetrabilis, ac munitissimus clypeus. Iste in acedia & anxietate animi collocatos, seu tristitia vel cogitationibus quibuscumque depressos, salutis remedia desperare non patitur, ostendēs illum, quem inuocat inspicere iugiter nostra certamina, atque a suis supplicibus non abesse.

Iste



Iste nos in spiritalibus successibus cordisq. lætitia constitutos admonet extolli penitus non debere, nec inflari de prospero statu, quem sine protectore Deo retineri non posse testatur, dum non solum eum semper, sed etiam velociter vt sibi auxilietur implorat. Iste, inquam, versiculus vnicuique nostrum in qualibet qualitate degenti necessarius & vtilis inuenitur. Nam, qui se semper & in omnibus desiderat adiuuari, manifestat quòd non tantum in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac lætis pari modo Deo egeat adiutore; vt quemadmodum ex illis erui, ita in istis eum faciat immorari, in neutro sciens humanam fragilitatem sine illius opitulatione subsistere. Gastrimargiæ passione perstringor, cibos, quos eremus ignorat, inquiro, & in squalida solitudine ingeruntur mihi nidores regalium ferculorum, atque ad illorum desideria sentio me inuitissimū trahi; dicendum mihi proinde est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Anticipare horam statutæ refectionis instigor, seu modum iustæ ac solitæ parcitatis retinere cum magno cordis mei dolore contendo; cum gemitu mihi est proclamandum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Ieiunijs me ob impugnationem carnis districtioribus indigentem stomachi prohibet lassitudo, seu ventris ariditas constrictioq. deterret; vt effectus meo desiderio tribuatur, vel certe vt æstus carnalis concupiscentiæ absque temperamento districtioris ieiunij conquiescat, orandum mihi est: Deus in adiutorium meū intende, Domine ad adiuuandum me festina. Accedens ad refectionem hora legitima suggerente, perceptionem panis exhorreo, atque ab omni esu naturalis necessitatis excludor; cum eiulatu proclamandum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Volentem me ob stabilitatem cordis insistere lectioni, interpellans dolor capitis prohibet, horaq. tertia faciem meam ad sacram paginam somnus allidit, ac deputatum quieti tempus vel transgredi vel præuenire compellor, ipsum denique canonicum synaxeos psalmorumq. modum intercidere me grauissima somni cogit impressio; similiter proclamandum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Sublato ab oculis meis sopore, multis me noctibus diabolicis insomnijs video fatigatum,

omnemq. a palpebris meis refectionem nocturnæ quietis exclusam, cum suspirijs orandum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Adhuc me in colluctatione positum vitiorum titillatio carnis repente compungit, & ad consensum pertrahere dormientem blanda oblectatione conatur; ne ignis alienus exæstuans vrat suaueolentes flosculos castitatis, clamandum mihi est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandū me festina. Extincta sentio libidinis incentiua, & genitalē membris meis intepuisse feruorem; vt parta hæc virtus, immo gratia Dei in me diutius vel perpetuo perseueret, intente dicendum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Iræ, philargyriæ, tristitiæ stimulis inquietor, cogorq. propositam atque amicā mihi interrumpere lenitatem; ne in amaritudinem fellis perturbatione furoris abducar, cum summo mihi gemitu proclamandum est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Acediæ, cenodoxiæ; superbiæ elatione pertentor, ac de aliorum negligentia vel tepore quiddam sibi mens subtili cogitatione blanditur; ne in me prævaleat hæc inimici perniciosa suggestio, cum omni contritione cordis orandum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Humilitatis & simplicitatis gratiam superbiæ tumore depositō, iugi compunctione spiritus ac-
*Psal. 35.* quisiui; ne rursum veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris ne moueat me, grauiusq. de victoriæ meæ elatione confodiar, totis mihi proclamandum est viribus: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Euagationibus animæ innumeris ac diuersis, & instabilitate cordis exæstuo, nec cogitationum dispersiones valeo coercere, ipsamq. orationem meam fundere absque interpellatione atque phantasmate inanium figurarū, sermonumq. & actuum retractatione non possum, tantaq. me sentio sterilitatis huius ariditate constrictum, vt nullas omnino spiritalium sensuum generationes parturire me sentiam; vt de hoc animi squalore merear liberari, vnde me gemitibus multis atque suspirijs expedire nō possum, necessarie proclamabo: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Directionem rursus animæ, stabilitatem cogitationum, alacritatem cordis



dis cum ineffabili gaudio & mentis excessu, visitatione sancti Spiritus me sentio consecutum, exuberantia quoque spiritalium sensuum redundare, reuelationem sacratissimorum intellectuum, & antea mihi penitus occultorum repentina Domini illustratione percepi; vt in his merear diutius immorari, solicite mihi est frequenterq. clamandum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Nocturnis dæmonum terroribus circumuallatus exagitor, & immundorum spirituum phantasmatibus inquietor, spes ipsa mihi salutis ac vitæ trepidationis horrore subtrahitur; ad salutarem versiculi huius portum confugiens totis viribus exclamabo: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Rursum cum fuero consolatione Domini reparatus, & ipsius animatus aduentu velut innumeris angelorum millibus me sensero circumseptum, ita vt eorum, quos morte grauius antea tremiscebam, & quorum prius tactum, immo viciniam horrore mentis & corporis sentiebam, repente congressus expetere audeam, ac prouocare conflictus; vt in me constantiæ huius vigor per Dei gratiam diutius immoretur, totis mihi est viribus proclamandum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Huius igitur versiculi oratio in aduersis vt eruamur, in prosperis vt seruemur, ne extollamur, incessabili iugitate fudenda est. Huiusq, inquam, versiculi meditatio in tuo pectore indirupta voluatur. Hunc in opere quolibet, seu ministerio, vel itinere constitutus decantare non desinas. Hunc dormiens, & reficiens, & in vltimis naturæ necessitatibus meditare. Hæc volutatio cordis velut formula tibi salutaris effecta, non solum illæsum ab omni dæmonū incursione custodiet, sed etiā cunctis te vitijs terrenæ contagionis expurgans, ad illas inuisibiles theorias cælestesq. perducet, atque ad illum ineffabilem ac perpaucis expertū prouehet orationis ardorem. Hunc versiculum meditanti tibi somnus irrepat, donec incessabili eius exercitatione formatus etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, iste euigilantis cogitationes anticipet vniuersas, iste te de tuo consurgentem cubili curuationi genuum tradat, atque deinceps ad omne opus actusque deducat; hic te omni tempore prosequatur, hunc meditaberis secundum præcepta legislatoris: Sedens *Deut. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



in domo, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens hunc scribes in limine & ianuis oris tui, hunc in paricibus domus tuæ, ac penetralibus tui pectoris collocabis, ita vt hæc ad orationē procumbenti sit tibi acclinis decantatio, & exinde surgenti, atque ad omnes vsus vitæ necessarios incedenti, fiat erecta & iugis oratio.

*De perfectione orationis, ad quam prædicta traditione conscenditur. Cap. X.*

ISta mens indesinenter formulā teneat, donec vsu eius incessabili & iugi meditatione firmata, cunctarum cogitationum diuitias amplasq. substantias abijciat & refutet, atque ita versiculi huius paupertate constricta, ad illam euangelicam beatitudinem, quæ inter ceteras beatitudines primatum tenet, prona facilitate perueniat. Beati enim, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et ita quis per istiusmodi paupertatem egregius pauper existens, illud propheticum implebit eloquium: Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Et revera, quæ maior aut sanctior potest esse paupertas, quàm illius, qui nihil se præsidij, nihil virium habere cognoscens, de aliena largitate quotidiannm poscit auxilium, & vitam suam atque substantiam singulis quibusq. momentis diuina ope intelligens sustentari, verum se mendicum Domini non immerito profitetur, suppliciter ad eum quotidie clamans: Ego autem mendicus sum & pauper, Deus adiuua me? Et sic ad illam quoque multiformem scientiam Dei ipso illuminante conscendens, incipiat deinceps sublimioribus ac sacratioribus mysterijs saginari, secundum illud quod dicitur per Prophetam: Montes excelsi ceruis, petra refugiū erinacijs. Quod satis proprie huic, quē diximus, sensui coaptatur, eo quòd quisquis in simplicitate atque innocentia perseuerans nulli est noxius vel molestus, sed sua tantum simplicitate cōtentus, solummodo se ab insidiantium præda desiderat contutari, velut erinacius spiritalis effectus, iugi euangelicæ illius petræ velamine protegatur, id est, memoria Dominicæ passionis, prædictiq. versiculi incessabili meditatione munitus, infestantis inimici declinet insidias. De his spiritalibus erinacijs & in prouerbijs ita dicitur: Et erinacij gens inualida, qui fecerunt in petris domos suas. Et revera quid Christiano inualidius? quid monacho infirmius, cui non solum nulla iniuriarum vindicta suppeditat,

*Matth. 5.*

*Psal. 73.*

*Psal. 39.*

*Psal. 103.*

*Prou. 30. sec. lxx.*



ditat, sed ne leuis quidem tacitaq. commotio saltem intrinsecus pullulare conceditur? Quisquis autem ex hoc proficiens statu, non solum innocentiæ simplicitatem possidet, sed etiam discretionis virtute munitus, virulentorum serpentium exterminator effectus est, habens contritum satanam sub pedibus suis, & ad figuram rationabilis cerui mentis alacritate peruenit, pascetur in propheticis atque apostolicis montibus, id est, excelsissimis eorum ac sublimissimis sacramentis, quorum iugi pascuo vegetatus, omnes quoque psalmorum affectus in se recipiens, ita incipiet decantare, vt eos non tamquam a Propheta compositos, sed velut a se editos, quasi orationem propriam profunda cordis compunctione depromat, vel certe ad suam personam æstimet eos fuisse directos, eorumq. sententias non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Propheta fuisse completas, sed in se quotidie geri impleriq. cognoscat. Tunc enim scripturæ diuinæ nobis perpatescunt clarius, & quodāmodo earum venæ medullæq. panduntur, quando experientia nostra earum non tantum percipit, sed etiam præuenit notionem, sensusq. verborum non per expositionem nobis, sed per documenta referantur. Eundem namque recipientes cordis affectum, quo quisque decantatus vel conscriptus est psalmus, velut auctores eius facti, præcedemus magis intellectum ipsius, quàm sequemur; id est, vt prius dictorum virtutem, quàm notitiam colligentes, quid in nobis gestum sit vel quotidianis geratur incursibus, superueniente eorum meditatione quodammodo recordemur, & quid in nobis vel negligentia nostra pepererit, vel diligentia conquisierit, vel prouidentia diuina contulerit, vel instigatio fraudauerit inimici, vel subtraxerit lubrica ac subtilis obliuio, vel intulerit humana fragilitas, seu improuida fefellerit ignoratio, decantantes reminiscamur. Omnes namque hos affectus in Psalmis inuenimus expressos, vt ea, quæ incurrerint, velut in speculo purissimo peruidentes, efficacius agnoscamus, & ita magistris affectibus eruditi, non vt audita, sed tamquam perspecta palpemus, nec tamquam memoriæ commendata, sed velut ipsi rerum naturæ insita, de interno cordis parturiamus affectu, vt eorum sensus non textu lectionis, sed experientia præcedente penetremus; atque ita ad illam orationis

nis incorruptionem mens nostra peruenier, ad quam in superiori tractatu, quantum Dominus donare dignatus est, ordo collationis ascendit, quę non solum nullius imaginis occupatur intuitu, sed etiam nulla vocis, nulla verborum prosecutione distinguitur, ignita vero mentis intentione per ineffabilem cordis excessum inexplicabili spiritus alacritate profertur, quamq. mens extra omnes sensus ac visibiles effecta materias, gemitibus inenarrabilibus atque suspirijs profundit ad Deum.

*Interrogatio quemadmodum spiritales cogitationes immobiliter teneantur. Cap. XI.*

GERMANVS

NOn solum nobis traditionem spiritalis huius, quam poposcimus disciplinę, sed ipsam plane perfectionem satis aperte atque dilucide putamus expressam. Quid enim potest esse perfectius, quidve sublimius, quam Dei memoriam tam compendiosa meditatione complecti, atque vnius versiculi volutatione a cunctis visibilium terminis emigrare, & quodammodo affectus orationum cunctarum breui sermone concludere? Et idcirco vnum, quod superest adhuc nobis precamur exponi, quemadmodum hunc eundē versiculum, quem nobis vice formulæ tradidisti, stabiliter retinere possimus, vt sicut per Dei gratiam sumus a sæcularium cogitationum ineptijs liberati, ita spiritales quasq. immobiliter retentemus.

*De mobilitate cogitationum. Cap. XII.*

CVm enim capitulū cuiuslibet psalmi mens nostra cōceperit, insensibiliter eo subtracto, ad alterius scripturæ textum nescius stupensq. deuoluitur. Cumque illud in semetipsa cœperit volutare, necdum illo ad integrum ventilato, oborta alterius testimonij memoria, meditationem materiæ prioris excludit; de hac quoque ad alteram, subintrante alia meditatione, transfertur: & ita animus semper de psalmo rotatus ad psalmum, de Euangelij textu ad Apostoli transiliens lectionē, de hac quoque ad prophetica deuolutus eloquia, & exinde ad quasdam spiritales delatus historias, per omne scripturarum corpus instabilis vagusq. iactatur; nihil pro arbitrio suo prędalens vel abijcere, vel tenere, nec pleno quidquam iudicio & examinatione finire, palpator tantummodo spiritalium sensuum ac degustator, non generator nec possessor effectus: atque ita mens mobilis semper ac vaga, in tempora quoque synaxeos velut ebria



ebria per diuersa distrahitur, nullum officium competenter exsoluens. Verbi gratia: Cum orat psalmum, aliquam recolit lectionem; cum decantat, aliud quid meditatur quàm textus ipsius continet psalmi; cum lectionem recitat, faciendum aliquid voluit, factum ve reminiscitur; atque in hunc modum nihil disciplinate nec oportune recipiens vel admittens, velut fortuitis agi videtur incursibus retinendi ea, quibus delectatur, vel immorandi in eis non habens potestatem. Necessarium ergo nobis est prę omnibus nosse, quemadmodum hæc spiritalia competenter explere possimus officia; vel certe hunc eundem versiculum, quem nobis vice formulæ tradidisti, immobiliter custodire; vt omnium sensuum ortus ac finis non in volubilitate sua fluctuent, sed in nostra ditione consistant.

*Responsio quemadmodum stabilitas cordis seu cogitationum possit acquiri. Cap. XIII.*

ISAAC

LIcet pridem super hac re disputantibus nobis de orationis statu, quantum reor, sit sufficienter expressum, tamen quia vobis hæc eadem poscitis iterari, de confirmatione cordis breuiter intimabo. Tria sunt quę vagam mentem stabilem faciunt; vigilię, meditatio, & oratio: quarum assiduitas & iugis intentio conferunt animæ stabilem firmitatem. Quę tamen aliàs nullo modo poterit apprehendi, nisi per operis non philargyriæ, sed sacri cœnobij vsibus dedicati, infatigabilem iugitatem omnes omnino solicitudines & curæ vitæ pręsentis prius fuerint abdicatæ, atque in hanc solam obseruantiam defixerit se tota mentis intentio, vt ita illud apostolicum mandatum: Sine intermissione orate, possimus implere. Perparum namque orat, quisquis illo tantum tempore, quo genua flectit orare consueuit. Numquam vero orat, quisquis etiam flexis genibus euagatione cordis qualicumq. distrahitur. Et idcirco quales orantes volumus inueniri, tales nos esse oportet ante tēpus orandi. Necesse est enim mentem in tempore supplicationis suæ de statu prædecedenti formari, illisq. eam cogitationibus orantem vel ad cælestia sublimari, vel ad terrena demergi, quibus ante orationem fuerit immorata. Hucusque abbas Isaac attonitis nobis secundam collationem de orationis qualitate digessit. Cuius doctrinam super illius prædicti versiculi meditatione, quam velut informationis loco ab incipientibus tradiderat retinendam, admirantes admo- 1. Thess. 5.

admodum,& excolere tenacissime cupientes, vtpote quam compendiosam ac facilem credebamus, difficiliorem satis ad obseruandum experti sumus, quàm illud studium nostrum,quo solebamus antea per omne scripturarum corpus absque vllius obseruantiæ vinculo varia passim meditatione discurrere. Constat igitur neminem prorsus ob imperitiam litterarum a perfectione cordis excludi, nec rusticitatem obesse ad capessendam animæ puritatem, quæ compendiosissime adiacet cunctis, si modo sanam & integram intentionem mentis iugi ad Deum versiculi huius meditatione seruauerint.

*COLLATIONIS SECVNDAE Abbatis Isaac de Oratione, & decem Collationum Patrum in Scithica eremo commorantium, Finis.*

IOAN-

# IOANNIS CASSIANI EREMITAE IN SEPTEM ALIAS COLLATIONES PATRVM IN THEBAIDE ÆGYPTI REGIONE CONSISTENTIVM.

## *Ad Honoratum Episcopum & Eucherium*

### PRÆFATIO.

CVM virtutē † perfectionis vestræ, qua velut magna quędam luminaria in hoc mundo admirabili claritate fulgetis, multi sanctorum qui vestro erudiuntur exemplo, æmulari vix queant; tamen vos, o sancti fratres, Honorate & Eucheri,tanta illorum sublimium virorū, a quibus prima anachoreseos instituta suscepimus, laude flammamini, vt vnus quidem vestrum ingenti fratrum cœnobio præsidens, congregationem suā, quæ quotidiano sanctæ conuersationis vestræ docetur intuitu,illorum quoque patrum præceptis optet institui:alter vero, vt etiam corporali eorundem ædificaretur aspectu, Ægyptum penetrare voluerit, vt hanc quasi frigoris Gallicani rigore torpentem prouinciam derelinquens, ad illas quas sol iustitiæ,proximius respicit,terras, maturis virtutū frugibus redundantes,velut turtur castissimus transuolaret; necessario hoc mihi virtus charitatis extorsit,vt vnius desiderio, alterius etiam labori consulens tam abruptum scribendi periculum non vitarem, dummodo & priori apud filios adderetur auctoritas,& secundo tam periculosæ nauigationis necessitas demeretur. Proinde quia fidei vestræ atque feruori nec illa instituta cœnobiorum, quæ duodecim libellis ad beatæ memoriæ episcopum Castorem, quo potuimus

† *al. professionis.*

tuimus sermone conscripsimus, nec decem collationis in Scithica eremo commorantium patrum, quas præcipientibus sanctis Helladio & Leontio episcopis, vtcumque digessimus, satisfacere potuerunt, nunc vt etiam itineris nostri ratio cognoscatur, trium in alia eremo consistentium, quos primos vidimus, patrum septem collationes, pari conscriptas stylo, vobis credidi consecrandas; quibus ea, quæ de perfectione in præteritis opusculis nostris obscurius forsitan sunt comprehensa vel prætermissa, suppleantur. Si vero sanctam studij vestri sitim etiam hæc satiare non quiuerint, septem aliæ collationes, quę ad sanctos, qui in Stœchadibus consistunt insulis emittendæ sunt fratres, desiderium (vt arbitror) vestri ardoris explebunt.

# COLLATIO VNDECIMA, QVÆ EST PRIMA ABBATIS CHAEREMONIS, DE PERFECTIONE.

## *Descriptio Thennesi oppidi. Cap. I.*

CVM in cœnobio Syriæ consistentes, post prima fidei rudimenta succedentibus aliquatenus incrementis, maiorē perfectionis desiderare gratiā cœpissemus, statuimus confestim Ægyptū petere, ac remotissima etiam Thebaidis eremo penetrata, sanctorum plurimos, quorū gloriam fama per vniuersa diffuderat, si nō æmulandi studio, agnoscendi saltem inuisere. Igitur ad oppidum Ægypti, cui Thennesus nomen est, emensa nauigatione peruenimus. Cuius accolæ ita vel mari, vel stagnis salsis vndiq. circumluuntur, vt solis, quia terra deest, negotiationibus dediti, opes atque substantiam nauali commercio parent, ita vt ædificijs cum voluerint extruendis terra nō suppetat, nisi de longinquo nauigijs apportetur.

## *De episcopo Archebio. Cap. II.*

VBi cum aduenientibus nobis, fauens desiderio nostro diuinitas, beatissimi atque præcipui viri Archebij episcopi præstitisset aduentum, qui raptus de anachoretarum cœtu, & episcopus Panephysi oppido datus, tanta districtione omni æuo suo propositum solitudinis custodiuit, vt nihil de præteritæ humilitatis tenore laxauerit, aut de adiecto sibi honore blanditus sit. Non enim tamquam idoneū se ad istud officiū testabatur adscitum, sed velut indignū ab illa anachoreseos disciplina querebatur expulsum, eo quòd trigintaseptem annis in eadem commoratus, ad puritatem tantæ professionis nequaquam peruenire potuisset. Hic igitur cum in supradicta Thenneso, quo eum eligendi illic episcopi causa perduxerat, pie nos atque humanissime susceperet, agnito desiderio nostro, quo sanctos patres etiam in vlterioribus Ægypti partibus inuisere desiderabamus: Venite, inquit, & videte interim senes haud longe a nostro monasterio consistentes, quorum ita & antiquitas in corporibus iam curuatis, & sanctitas in ipso etiam fulget aspectu, vt vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus possit cōferre doctrinam: a quibus id, quod ego amissum doleo, quodq. tradere iam perditum nequeo, non tam verbis quàm ipso sanctæ vitæ discatis exemplo. Credo autem inopiam meam hoc studio aliquatenus subleuandam, si inquirentibus vobis illam euangelicam margaritam, quam ipse non habeo, saltem prouidero, vbi eam commodius comparetis. *Matt. 13.*

## *Descriptio eremi, in qua commorabantur Charemon, Nesteros & Ioseph. Cap. III.*

SVmpto itaque baculo & pera, vt illic cūctis viam ingredientibus monachis moris est, ad ciuitatem nos suam, id est Panephysin, itineris dux ipse perduxit. Cuius terras, immo etiam contiguæ regionis plurimam partem quondam opulentissimam (siquidem ex ea cuncta, vt fama est, in regios cibos subministrabantur) repentino terræmotu excussum mare transgressis limitibus occupauit, atque ita collapsis ferme omnibus vicis, opimas olim terras salsis paludibus supertexit, vt illud quod in spalmo spiritaliter decantatur: Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim: terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea; secundum litteram de illa putent regione prædictum. In his igitur locis multa in hunc modum oppida eminentioribus tumulis collocata, fugatis habitatoribus eluuies illa velut insulas fecit, quæ desideratam *Psal. 106.*

tam secedentibus sanctis solitudinem præbent, in quibus tres senes, id est, Chæremon, Nesteros, & Ioseph, anachoretæ antiquissimi consistebant.

*De abbate Chæremone, & excusatione eius super postulata doctrina. Cap. IV.*

Itaque beatus Archebius primum nos perducere ad Chæremonē maluit, qui & monasterio eius propior, & duobus alijs prouectior esset ætate. Nam cum centenarium vi-
*al. tamen* tæ annum spiritu † tantum alacer excessisset, ita dorsum eius temporis fuerat vetustate, atque orationum iugitate curuatum, vt quasi in primęuam redactus infantiā, submissis ac protētis terratenus manibus graderetur. Huius igitur & mirabilem vultum & incessum pariter intuentes (siquidem defectis iam mortificatisq. omnibus membris, nequaquam censuram præteritæ districtionis amiserat) cum sermonem atque doctrinam suppliciter poscceremus, ac desiderium tantum spiritalium institutionū aduentus nostri causam fuisse protestaremur, grauiter ille suspirans: Quid vobis, ait, possum conferre doctrinæ, cui imbecillitas senectutis, vt rigorem pristinum relaxauit, ita loquendi quoque fiduciam ademit? Quemadmodum enim docere præsumā, quod ipse non facio; aut alium in eo instruam, quod me iā vel minus vel tepidius exercere cognosco? Ob quam rem nullum iuniorum mihi in hanc vsque ætatem cohabitare, permisi, ne exemplo meo alterius districtio laxaretur. Nūquam enim erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.

*De responsione nostra contra excusationem eius. Cap. V.*

AD hæc nos non mediocri confusione compuncti, ita respondimus: Licet sufficere nobis ad omnem institutionem debeat, vel loci istius difficultas, vel ipsa etiam solitaria adhuc vita, quam iuuentus quoque robusta vix tolerat, quæ nos etiam te tacente, satis abundeq. instruunt atque compungunt; rogamus tamen vt taciturnitate paululum prætermissa, ea nobis potius diguanter infundas, per
*al. imitatione.* quæ hanc, quam videmus in te virtutē, non tam † admiratione cōplecti, quàm † imitatione possimus. Nam etiā si re-
*al. admiratione.* uelatus tibi tepor noster impetrare id, quod expetimus non meretur, debet hoc saltem labor tāti itineris obtinere, quòd huc de Bethleemitici cœnobij rudimentis, institutionis vestræ desiderio, & profectus nostri amore properauerimus.

*Pro-*



*Propositio abbatis Chæremonis, quod tribus modis vitia vincantur. Cap. VI.*

TVnc beatus Chæremon: Tria sunt, inquit, quæ faciunt homines a vitijs temperare, id est, aut metus gehennę, siue prę sentium legum; aut spes atque desiderium regni cę lorum, aut affectus boni ipsius amorq. virtutum. Nam timor mali contagium ita legitur execrari: Timor Domini *Prou. 8.* odit malitiam. Spes etiam vitiorum omnium excludit incursum. Non enim delinquent omnes, qui sperant in eum. *Psal. 33.* Amor quoque ruinam non metuit peccatorum, quia cha- *1. Cor. 13.* ritas numquam cadit. & iterum: Charitas operit multitudi- *1. Petr. 4.* nem peccatorum. Et idcirco beatus Apostolus omnem salutis summam in istarum trium virtutum consummatione concludens: Nunc, inquit, manent fides, spes, charitas; *1. Cor. 13.* tria hæc. Fides namque est, quæ futuri iudicij ac suppliciorum metu, vitiorum facit contagia declinari. Spes quæ mētem nostram de præsentibus auocans, vniuersas corporis voluptates cę lestium prę miorum expectatione contemnit. Charitas quę nos ad amorem Christi & spiritaliū virtutum fructū mentis ardore succendens, quidquid illis cōtrarium est, toto facit odio detestari. Quæ tria licet ad vnum finem tendere videantur (prouocant enim nos a rebus illicitis abstinere) magnis tamē excellentiæ suæ gradibus ab inuicem disparantur. Duo nāque superiora proprie sunt hominū eorum, qui ad profectū tendentes, necdum affectū concepere virtutū. Tertium specialiter Dei est, & eorū qui in sese imaginē Dei ac similitudinem receperūt. Ille namque solus ea, quæ bona sunt, nullo metu, nulla remunerationis gratia prouocante, sed solo bonitatis operatur affectu. Omnia enim, vt ait Salomon, operatus est Dominus propter semet- *Prou. 16.* ipsum. Suæ namque bonitatis obtentu, omnē bonorum copiam dignis indignisq. largitur, quia nec fatigari iniurijs potest, nec iniquitatibus hominū passibiliter permoueri, semper scilicet manens perfecta bonitas immutabilisq. natura.

*Quibus gradibus ad sublimitatem charitatis possit ascendi, & qua sit in ea stabilitas. Cap. VII.*

SI quis igitur ad perfectionem tendit, de illo primo timoris gradu, quem proprie diximus esse seruilem, de quo dicitur: Cum omnia feceritis, dicite; quia serui inuti- *Luc. 17.* les sumus; ad altiorem spei tramitem gradu proficiēte conscendet, qui iam non seruo, sed mercenario comparatur,

quia mercedem retributionis expectat, & quasi de peccatorum absolutione & pœnali timore securus, ac bonorum sibi operum conscius, licet placiti præmium videatur expetere, tamẽ ad affectum illum filij, qui de paternæ indulgentiæ liberalitate confidens, omnia quæ patris sunt, sua esse
*Luc. 15.* non ambigit, peruenire non potuit. Ad quẽ etiam ille prodi-
*al. abest, patris* gus, qui cum substantia † patris etiã filij nomen amiserat,
*Ibid.* aspirare non audet, dicens: Iam non sum dignus vocari filius tuus. Post illas enim porcorum siliquas, quarum ei satietas negabatur, id est, vitiorum sordidos cibos, quia in semetipsum reuersus, & salutari timore compunctus, immunditiam porcorum horrere iam cœperat, ac diræ famis supplicia formidabat, velut seruus effectus, mercenarijs tantum, de mercede iam cogitans, adæquari concupiscit,
*Ibid.* ac dicit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo? Reuertar ergo ad patrem meum, & dicam illi: Pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.

### *Quantum excellant qui pro charitatis affectu declinant a vitijs. Cap. VIII.*

SEd emissa ista humilis pœnitentiæ voce, in occursum eius pater prosiliens, maiore eũ quàm fuerat pietate susscepit, & non contentus minora concedere, vtroque gradu sine dilatione transcurso, pristinæ filiorum restituit dignitati. Festinandum proinde etiam nobis est, vt ad tertium filiorum gradum, qui omnia quæ patris sunt, sua esse credunt, per indissolubilem charitatis gratiam cõscendentes, cælestis illius patris imaginem ac similitudinem recipere mereamur, & ad imitationem illius veri filij proclamare
*Ioan. 16.* possimus: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Quod etiam
*1. Cor. 3.* de nobis beatus Apostolus profitetur, dicens: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt. Ad quam etiã similitudinẽ Saluatoris præcepta
*Matth. 5.* nos prouocant: Estote ergo, inquit, & vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. In illis enim nonnumquam solet interrumpi bonitatis affectus, cum vel tepore aliquo vel lætitia vel oblectatione vigor animi relaxatus, aut metum ad præsens gehennæ, aut desiderium subtrahit futurorum. Et est quidẽ in illis gradus cuiusdam profectus im-



imbuens nos, vt dum vel pœnarum metu vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ad charitatis gradum transire possimus: Quia timor, inquit, non est in charitate, sed *1. Ioan. 4.* perfecta charitas foras mittit timorem, quoniã timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quia Deus prior dilexit nos. *Ibid.* Non ergo aliter ad illam veram perfectionem conscendere poterimus, nisi quemadmodum nullius alterius rei nisi nostræ salutis gratia, prior nos ille dilexit, ita eum nos quoque nullius alterius rei nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu. Quamobrem studendum nobis est, vt de timore ad spem, de spe ad charitatem Dei, vel ipsarum virtutum amorem, perfecto mentis cõscendamus ardore, vt transmigrantes in affectum boni ipsius, immobiliter, quantum humanæ est naturæ possibile, quod bonum est retentemus.

### *Quod charitas non solum de seruis filios faciat, sed etiã imaginem Dei ac similitudinem conferat. Cap. IX.*

MVltum namq. differt inter eum qui metu gehennæ vel spe retributionis futuræ vitiorum in se extinguit incendia, & eum qui diuinæ charitatis affectu ipsam malitiam & immunditiam perhorrescit, ac puritatis possidet bonum amore tantum ac desiderio castitatis, nec iam remunerationem futuræ promissionis aspiciens, sed præsentis boni delectatus conscientia agit omnia non cõtemplatione pœnarum, sed delectatione virtutum. Hic namq. status nec submotis cunctorum hominum testimonijs abuti occasione peccati, nec occultis cogitationum violari oblectationibus potest, dum affectum virtutis ipsius medullitus retinens, quidquid illi contrarium est, non solum corde non recipit, verum etiam summo detestatur horrore. Aliud namq. est præsenti bono quempiam delectatum, odio habere vitiorum carnisve contagia, aliud futuræ remunerationis intuitu illicitas concupiscentias refrænare; aliudq. est præsens metuere detrimentum, & aliud futurum formidare supplicium. Postremo multo maius est propter bonum ipsum a bono nolle discedere, quàm propter metum mali malis non præbere consensum. In illo enim voluntarium bonum est, in isto vero velut coactum & tamquam nolenti violenter extortum, vel metu supplicij vel cupiditate præmiorum. Nam qui timoris obtentu a vitiorum abstinet blandimentis, adempto timoris obstaculo, rursum ad

illud quod diligit reuertetur, & ob id nec ſtabilitatem boni iugiter obtinebit, ſed nec ab impugnatione quidem aliquando requieſcet, quia nec firmam ac perpetuam pacem caſtimoniæ poſſidebit. Vbi eſt enim inquietudo bellorum, non poſſunt non etiam vulnerum interuenire diſcrimina. Neceſſe eſt enim quempiam in conflictu poſitum, quamuis bellator ſit, ac fortiter dimicans letalia aduerſarijs vulnera frequenter infligat, nonnumquam tamen hoſtili mucrone perſtringi. Qui vero ſuperata impugnatione vitiorum pacis iam ſecuritate perfruitur, & tranſit in ipſius virtutis affectum, iugem ſtatum illius boni cuius iam † totus eſt, retentabit, quia damno intimæ caſtitatis nihil credit eſſe damnoſius. Nec enim carius ac pretioſius quidquam præſenti iudicat puritate, cui pœna grauis eſt, vel virtutũ pernicioſa tranſgreſſio, vel ipſius vitij virulenta contagio. Huic, inquam, nec reuerentia humanæ præſentiæ quidquã adijciet honeſtatis, nec minuet ſolitudo, ſed vbique ſecum ſemperq. circumferens arbitram non ſolum actuum, ſed etiam cogitationum ſuarum conſcientiam, illi potiſſimum ſtudere contendit, quem nec circumueniri, nec falli, nec ſubterfugere ſe poſſe cognoſcit.

al. tutus

*Quod perfectio charitatis ſit pro inimicis orare, et quo iudicio anima necdum purgata noſcatur. Cap. X.*

QVem ſtatum ſi quis de adiutorio Dei non de ſtudij ſui labore præſumens, meruerit poſſidere, de conditione ſeruili, in qua timor eſt, & mercenaria ſpei cupiditate, in qua non tam bonitas largientis, quàm præmium retributionis expetitur, in adoptionem incipiet tranſire filiorum, vbi iam non timor, non cupiditas, ſed illa charitas, quæ numquam cadit, iugiter perſeuerat. De quo timore & charitate quoſdam increpans Dominus, quid cui perſonæ conueniret, oſtendit: Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum timebit. Et ſi pater ego ſum, vbi eſt honor meus? Et ſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Neceſſe eſt enim eũ timere qui ſeruus eſt, quia qui ſciẽs voluntatem domini ſui fecerit digna plagis, vapulabit multis. Per hanc itaque charitatẽ quiſquis ad imaginem Dei ſimilitudinẽq. peruenerit, bono iã propter boni ipſius delectabitur voluntatem, ac ſimilem quodammodo poſſidens patientiæ ac lenitatis affectum, nullis deinceps peccantiũ vitijs iraſcetur, ſed veniam potius, infirmitatibus eorum condolens atque

1. Cor. 13.

Malac. 1. ſec. lxx.

Luc. 12.

com-



compatiens, implorabit, ſeq. reminiſcens tamdiu ſimilium paſſionum ſtimulis impugnatum, donec miſeratione Domini ſaluaretur, nec ſuo erutum ſtudio ab impugnatione carnali, ſed Dei protectione ſaluatum, non iracundiam ſed miſericordiam errantibus intelliget impendendam, illum verſiculum ad Deum cum omni cordis tranquillitate decantans: Tu dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. &: Niſi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitauerat in inferno anima mea. Et in hac mentis humilitate conſiſtens, poterit etiã euangelicum illud perfectionis explere mandatũ: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: & ita ad illud præmium, quod ſubiungitur poterit peruenire, per quod non ſolum imaginem Dei & ſimilitudinem præferamus, verum etiam filij nuncupemur: Vt ſitis, inquit, filij patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Quem affectum beatus Ioannes aſſecutum ſe eſſe cognoſcens, ait: Vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. In quo enim infirmꝰ & fragilis humana natura eſſe ſicut ille eſt, poteſt, niſi ſe in bonos & malos, iuſtos & iniuſtos ad imitationem Dei placida ſemper ſui cordis extenderit charitate? Et vt bonum propter boni ipſius operetur affectum, perueniens ad illam veram adoptionem filiorum Dei, de qua idem beatus Apoſtolus ita pronuntiat: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo eſt, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Et iterum: Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tangit eum. Quod intelligendum eſt non de omni genere peccatorum, ſed de capitalibus tantum crimimbus dici. A quibus quiſquis ſe abſtrahere atque emundare noluerit, pro illo in alio loco prædictus Apoſtolus ne orari quidem debere pronuntiat: Qui ſcit, inquiens, fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabit ei vitam peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Ceterum de illis quæ pronuntiantur non eſſe ad mortem, a quibus etiam hi, qui fideliter Chriſto deſeruiunt, quantalibet ſemetipſos circumſpectione cuſtodiant, immunes eſſe non poſſunt, ita dicitur: Si dixerimus

1. Ioan. 4.

Ibid.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 5.

Ibid.

1. Ioan. 1.

quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &
*Ibid.* veritas in nobis non est. & iterum: Si dixerimus quia non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. Impossibile namque est quemlibet sanctorum non in istis minutis, quæ per sermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per obliuionem, per necessitatem, per voluntatem, per obreptionem, per somnium admittuntur incurrere. Quæ licet ab illo peccato, quod ad mortem esse dicitur, aliena sint, culpa tamen ac reprehensione carere non possunt. Cum ergo quis hunc quem prædiximus bonitatis affectum, & imitationem Dei fuerit assecutus, tunc viscеribus Dominicæ longanimitatis indutus, pro persecutoribus
*Luc. 23.* quoque suis orabit, similiter dicens: Pater ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt. Ceterum euidens indicium est animæ necdum vitiorum fæcibus eliquatæ, in criminibus alienis non affectu misericordiæ condolere, sed rigidam iudicantis tenere censuram. Nam quemadmodum perfectionem cordis poterit obtinere is, qui non habet illud, quod Apostolus plenitudinem legis consummare si-
*Galat. 6.* gnauit: Alterutrum, inquiens, onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi? Sed nec illam virtutem possi-
*1.Cor.13.* det charitatis, quæ non irritatur, non inflatur non cogitat malũ, quæ omnia suffert, omnia sustinet, omnia credit. Iu-
*Prou. 12.* stus enim miseretur animas pecorum suorum, viscera au-
*sec. lxx.* tem impiorum sine misericordia. Ideoq. ijsdem vitijs monachum subiacere certissimum est, quæ in alio inclementi
*Prou.13.* atque inhumana seueritate condemnat. Rex enim rigidus
*sec. lxx.* incurret in mala. &: Qui obturat aures suas ne audiat in-
*Prou.21.* firmum, & ipse inuocabit, & non erit qui exaudiat eum.
*sec. lxx.*

*Interrogatio cur affectum timoris & spei dixerit imperfectum. Cap. XI.*

GERMANVS:

POtenter quidem atque magnifice de perfecta Dei charitate dissertum est; verumtamen illud nos permouet, quòd cum eam tanta laude prætuleris, timorem Dei & spem retributionis æternæ imperfecta esse dixisti, cum vtique multo aliud videatur de eis Propheta sensisse dicens:
*Psal. 33.* Timete Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum. Et iterum in obseruandis iustificationibus Dei retributionis se contemplatione fateatur exercitatum:
*Psal.118.* Inclinaui, inquiens, cor meum ad faciendas iustificationes
*Hebr. 11.* tuas in æternum, propter retributionẽ. Et Apostolus: Fide, inquit,



inquit, Moses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Quomodo ergo imperfecta esse credenda est, cum & beatus Dauid retributionis obtentu iustificationes Domini se fecisse glorietur; & legislator præmia futura prospiciens, spreuisse adoptionem regiæ dignitatis, & afflictionem durissimam Ægyptiorum thesauris prætulisse dicatur?

*Responsio de diuersitate perfectionum.*

CHÆREMON. *Cap. XII.*

PRo statu atque mẽsura vniuscuiusque mentis scriptura diuina ad diuersos perfectionum gradus arbitrij nostri prouocat libertatẽ. Nec enim poterat vniformis omnibus perfectionis corona proponi, quia nec omnibus vna virtus aut voluntas aut feruor est, & idcirco ipsarum quodammodo perfectionum diuersos ordines diuersasq. mensuras sermo diuinus instituit. Quod ita esse euangelicarum quoque beatitudinum varietas euidenter ostendit. Licet enim beati dicantur, quorum sunt regna cælorum, & beati qui *Matth.5.* possidebunt terram, & beati qui consolationem recipient, & beati qui saturitate potientur; tamen multum credimus interesse inter habitationem regni cælorum, & possessionem illius quæcumque est terræ, & inter perceptionem consolationis, & plenitudinem saturitatemq. iustitiæ; multumq. distare inter illos, qui misericordiam consequentur, & illos qui glorioſissima visione Dei perfrui merebuntur. Alia enim gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria *1.Cor.15.* stellarum. Stella enim a stella differt in gloria, ita & resurrectio mortuorum. Cum igitur iuxta hunc modum scriptura diuina timentes Deum laudet, & dicat: Beati omnes qui *Psal.127.* timent Dominum; & plenam per hoc illis beatitudinem repromittat, iterum tamen dicit: Timor non est in charita- *1.Ioan.4.* te, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Et rursus cum seruire Deo glorioſum sit, & dicatur: Seruite Domino in timore. &: Magnum tibi est vocari *Psal 2.* seruum meum. &: Beatus seruus ille, quem cum venerit *Esai 49.* Dominus suus, inuenerit sic facientem; tamen ad Apostolos dicitur: Iam nõ dico vos seruos, quia seruus nescit quid *sec. lxx.* faciat *Matt 24.* *Ioan. 15*

Universidad de Deusto
Biblioteca



faciat dominus suus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui a patre meo, nota feci vobis. & iterum: *Ibid.* Vos amici mei estis, si feceritis ea, quæ præcipio vobis. Videtis ergo perfectionum gradus esse diuersos, & de excelsis ad excelsiora nos a Domino prouocari, ita vt is, qui in timore Dei beatus & perfectus extiterit, ambulans, sicut scriptum est, de virtute in virtutem, & de perfectione ad aliam *Psal. 83.* perfectionē, id est, de timore ad spem mentis alacritate cōscendens, ad beatiorum denuo statū, quod est charitas, inuitetur. Et qui fuerit fidelis seruus ac prudens, ad amicitię so- *Matt. 24.* dalitatem & adoptionem transeat filiorum. Secundū hunc *Galat. 4.* ergo sensum nostra quoque est intelligenda sententia, non quòd contemplationem perpetuæ illius pœnæ, vel beatissimæ retributionis quæ promittitur sanctis, nullius pronuntiemus esse momenti, sed quia cum sint vtiles, & sectatores suos ad initia beatitudinis introducant, charitas rursum, in qua plenior fiducia perpetuumq. iam gaudium est, assumens eos de timore seruili & mercenatia spe, ad dilectionem Dei, & adoptionem transferat filiorum, & quodam- *Ioan. 14.* modo perfectiores faciat de perfectis: Multæ enim, ait Saluator, mansiones sunt apud patrem meum. Et licet omnia *1. Cor. 15.* astra esse videantur in cælo, inter claritatem tamen solis, & lunę, atque luciferi, ceterarumq. stellarum multa distantia est. Et idcirco beatus Apostolus non solum timori ac spei, sed etiam cunctis charismatibus, quæ magna ac mirifica habentur, eam præferens, supra modum excellentiorem omnibus viam charitatis ostendit. Nam cum vellet, expleto omni catalogo spiritalium charismatum, virtutis *1. Cor. 12. & 13.* eius membra describere, ita præfatus est: Et adhuc supra modum excellentiorem viam vobis demonstro: Si linguis hominum loquar & angelorum; & si habuero propheriam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnē fidem, ita vt montes transferā, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meū vt ardeam, charitatē autem non habuero, nihil mihi prodest. Videtis ergo nihil pretiosius, nihil perfectius, nihilq. sublimius, & (vt ita dixerim) nihil charitate perenius inueniri. *Ibid.* Siue enim prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scięntia destruetur, charitas autem numquam excidit, sine qua non solum illa præcellētissima charismatum genera, sed etiā martyrij ipsius gloria vacuatur.

De



*De timore qui de charitatis magnitudine generatur.*

Cap. XIII.

QVisquis igitur in huius fuerit charitatis perfectione fundatus, necesse est vt ad illum sublimiorem timorē gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, non cupido præmiorū, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius, indulgentissimum patrem, vel frater frater, vel amicum amicus, vel coniugem coniunx solicito reueretur affectu, dum eius non verbera neque conuicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verumetiam verbis, attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumq. feruor dilectionis illius intepescat. Cuius timoris magnificentiā, vnus prophetarum eleganter expressit: Diuitiæ, inquiens, *Esai. 33.* salutis sapientia & scientia, timor Domini ipse thesaurus eius. Non potuit timoris istius dignitatem ac meritum magis euidenter exprimere, quàm vt diuitias salutis nostræ, quæ in vera sapientia Dei scientiaq. consistunt, diceret nisi a timore Domini non posse seruari. Ad hunc igitur metum non peccatores, sed sancti propheticis inuitantur eloquijs, dicente psalmographo: Timete Dominum omnes *Psal. 33.* sancti eius, quia nihil deest timentibus eum. Qui enim hoc timore Dominum metuit, perfectioni eius certum est nihil deesse. Nam de illo timore pœnali euidenter Ioannes Apostolus dicit: Qui timet, non est perfectus in cha- *1. Ioan. 4.* ritate, quia timor pœnam habet. Multa ergo distantia est inter istum timorem cui nihil deest, qui sapientiæ scientiæq. thesaurus est, & illum imperfectum, qui principium *Psal. 110.* sapientiæ nuncupatur, quiq. pœnam in sese continens, de perfectorum cordibus superueniente plenitudine charitatis extruditur. Timor enim non est in charitate, sed perfe- *1. Ioan. 4.* cta charitas foras mittit timorem. Et re vera si principium sapientiæ in timore consistit, quæ erit eius nisi in Christi charitate perfectio, quæ illum in sese perfectæ dilectionis continens metum, non iam principium, sed thesaurus sapientiæ & scientiæ nuncupatur? Et idcirco duplex timoris est gradus, vnus incipientium, id est, eorum qui adhuc sub iugo & terrore seruili sunt, de quo dicitur: Et seruus domi- *Malac. 1. sec. lxx.* num suū timebit. Et in Euāgelio: Iam non dico vos seruos, *Ioan. 15.* quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Et iterum: Ser- *Ioan 8.* uus, inquit, nō manet in domo in æternū. Imbuit enim nos

vt ab

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt ab illo pœnali metu ad charitatis plenissimam libertatem, & amicorum filiorumq. Dei fiduciam transeamus. Denique beatus Apostolus qui seruilem illum timoris gradum, olim charitatis Dominicæ virtute transcenderat, inferiora despiciens, maioribus se ditatum donis à Domino
2.Tim.1. profitetur: Non enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis. Eos etiam qui perfecta cælestis illius patris dilectione flagrabãt, quosque ex seruis filios adoptio diuina iam fecerat, hoc adhortatur eloquio: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus; Abba pater. De hoc etiam metu, cum illam septiformem Spiritus sancti gratiam propheta describeret, quem in homine illo Dominico secundum incarnationis dispensationem descendisse non dubium est, dixis-
Esai.11. setq.: Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis; nouissime velut quiddam præci-
Ibid. puum intulit dicens: Et replebit eum spiritus timoris Domini. In quo primitus illud est diligentius intuendũ, quòd non dixerit: Et requiescet super eum spiritus timoris Domini, sicut de illis prioribus dixerat, sed: Replebit, inquit, eum spiritus timoris Domini. Tanta enim vbertatis eius est magnitudo, vt quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam eius occupet mentem. Nec immerito. Il-
2.Cor.13. li etenim quæ nunquam excidit charitati cohærens, non solum replet, sed etiam perpetua & inseparabili eum, quem ceperit, possidet iugitate, nullis lætitiæ temporalis vel voluptatum oblectationibus imminutus. Quod nonnumquã
1.Ioan.4. illi qui foras mittitur timori euenire consueuit. Hic est igitur perfectionis timor, quo homo ille Dominicus, qui non solum redimere humanum genus, sed etiam præbere venerat perfectionis formam & exempla virtutum, repletus
1.Petr.2. fuisse narratur. Illum enim seruilem suppliciorum timorem, verus Dei filius qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, habere non potuit.

*Interrogatio de consummatione castitatis.*

GERMANVS. *Cap. XIV.*

QVoniam de perfectione charitatis sermo digestus est, volúmus etiam de castitatis fine aliqua liberius scisciari. Non enim ambigimus illud præcelsum fastigium charitatis,



ritatis, per quam sicut hucusque dissertum est, ad imaginem Dei similitudinemq. cõscenditur, sine castitatis perfectione subsistere omnino non posse; sed vtrum ita eius possit perpetuitas obtineri, vt numquam libidinis titillatio integritatem nostri cordis infestet, & ita valeamus ab hac passione carnali in carne degentes peregrinari, vt numquam incentiuorum æstibus aduramur, volumus edoceri.

*Dilatio expositionis postulatæ.*

CHÆREMON. *Cap. XV.*

SVmmæ quidem beatitudinis ac singularis est meriti, ita istum per quem Domino cohæremus affectum, vel discere iugiter vel docere; vt meditatio eius, secundum psal- *Psal.1.*
mographi sententiam, omnes vitæ nostræ dies noctesq. consumat; & mentem nostram insatiabiliter esurientem sitientemq. iustitiam, cælestis huius cibi perpetua ruminatione sustentet. Sed consulendum est etiam iumento corporis nostri, secundum Saluatoris nostri benignissimam *Matt.19.*
prouidentiam, ne deficiat in via. Spiritus enim promptus, *Matt.26.*
caro autem infirma; quæ etiam nunc vel exigui cibi perceptione curanda est, vt post refectionem eius etiam ad ea, quæ desideratis, diligentius indaganda, mentis quoque addatur intentio.

*COLLATIONIS PRIMÆ Abbatis Chæremonis de Perfectione, Finis.*

COLLA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

# COLLATIO DVODECIMA,
## QVÆ EST SECVNDA ABBATIS CHÆREMONIS,
## DE CASTITATE.

### *Verba abbatis Charemonis de castitate. Cap. I.*

REFECTIONE transacta, quæ doctrinæ cibũ desiderãtibus nobis onerosa magis visa est quàm iucunda, cum ilico nos promissi sermonis debitũ senex expectare sensisset: Grata est, inquit, mihi non solũ attonita ad discendum vestrę mentis intẽtio, sed etiã propositæ disciplina quęstionis. Rationabilis enim revera interrogationis a vobis ordo seruatus est. Necesse est enim, vt tam excelsę plenitudinẽ charitatis immẽsa illa perfectę atque perpetuæ castimonię prędia consequãtur, parq. sit gaudiũ in tanta parilitate palmarũ. Tanta enim sibi societate fœderantur, vt vna absque altera nequeat possideri. Hoc igitur propositio vestra cõplexa est, vt vtrũ ignis alle concupiscẽtiæ, cuius hæc caro velut insitum sentit ardorẽ, ad plenũ possit extingui, disputatione simili panderemus. De quo primũ quid beatus Apostolus sense-
*Colos.3.* rit, diligentius inquirámus: Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terrã. Prius ergo quàm cetera perscrutemur, quæ ista sint membra, quæ mortificari præceperit, indagemus. Neque enim beatus Apostolus ad abscisionem manuũ, aut pedum, aut genitalium immiti nos præceptione compellit, sed corpus peccati, quod vtique constat ex
*Rom. 6.* membris, quamtocius destrui zelo perfectæ desiderat san-
*Ibid.* ctitatis, de quo corpore alibi: Vt destruatur, inquit, corpus peccati. Et quæ sit eius destructio consequenter exponit: Vt
*Rom.7.* iam, inquit, non seruiamus peccato. A quo etiam se liberari cum eiulatu postulat, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

### *De corpore peccati & membris eius. Cap. II.*

HOc itaque peccati corpus multis vitiorum membris probatur extructũ, & ad eius attinere portionẽ quidquid



quid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur, cuius membra rectissime super terram esse dicuntur. Non enim possunt hi, qui ministerio vtũtur eorum, veridice profiteri: Nostra autem conuersatio in cælis est. Huius igitur corpo- *Philip 3.*
ris in hoc loco Apostolus membra describens: Mortifica- *Colos. 3.*
te, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationẽ, immunditiã, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulachrorũ seruitus. Primo itaque loco fornicationem credidit inferendam, quæ carnali cõmixtione perficitur. Secundum etiã membrum immunditiam nuncupauit, quæ nonnumquam absque vllo mulieris tactu vel dormientibus vel vigilantibus per incuriam incircumspectæ mentis obrepit; & ideo notatur ac prohibetur in lege, quæ immundos quosque non solum sacrarum carnium participatione priuauit, verumetiam ne contactu suo sancta polluerent, a castrorum iussit congregatione secerni, di- *Leuit.7.*
cens: Anima quæcumque comederit de carnibus sacrificij *sec. lxx.*
salutaris (quod est Domini) in qua est immunditia, peribit coram Domino; & quidquid tetigerit immundus, immun- *Deut. 23.*
dum erit. In Deuteronomio quoque: Si fuerit, inquit, inter vos homo qui nocturno pollutus est somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra. Deinde tertiũ peccati membrum libidinem ponit, quæ in recessibus animæ coalescens accidere cuipiam etiam sine passione corporis potest. Libidinẽ enim ab eo quòd libeat dictam esse non dubium est. Post hæc de maioribus peccatis ad minora descendẽs, quartum intulit membrum: Concupiscentiam malam, quæ non solum ad prædictam impudicitię passionem, verum etiam ad omnes noxias cupiditates generaliter potest referri, quæ corruptæ tantummodo voluntatis est ægritudo. De qua Dominus in Euangelio, *Matth. 5.*
Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Multo enim maius est etiam tunc mentis lubricæ desiderium continere, cum ei illecebrosi aspectus offertur occasio. Quibus manifestissime comprobatur, ad perfectionem puritatis castimoniam continentiæ corporalis solam non posse sufficere, nisi etiam mentis addatur integritas. Post quæ omnia nouissimum illius corporis membrum: Et auaritiam, inquit; Proculdubio ostendens non solum ab appetitu rerum

alie-

alienarum animum cõtinendum, verumetiam propria magnanimiter contemnenda. Hoc enim & in Actibus Apostolorum fecisse legitur credentium multitudo, de qua dicitur: Multitudinis autẽ credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suũ esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Et ne ad paucos pertinere videretur ista perfectio, auaritiam seruitutem simulachrorum esse testatus est: nec immerito. Quisquis enim non communicat necessitatibus egenorum, & pecuniæ suæ, quam infideli tenacitate conseruat, Christi præcepta postponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet materiæ mundialis diuinæ præferens charitati.

Act. 4.

Coloss. 3.

*De mortificatione fornicationis & immunditiæ. Cap. III.*

SI ergo multos ita pro Christo suas vidimus abiecisse substantias, vt non solum possessionem pecuniarum, verumetiam desiderium de cordibus eorum imperpetuum probemus abscisum, consequens est vt eodem modo etiam fornicationis ardorem extingui posse credamus. Neque enim impossibilem rem Apostolus cum possibili coniunxisset, sed vtraque possibilia esse sciens, pari modo mortificanda decreuit. Et in tantum beatus Apostolus fornicationem siue immunditiam de nostris membris extirpari posse confidit, vt non solum mortificari ea, sed ne nominari quidem in nobis debere pronuntiet: Fornicatio, inquiens, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rẽ non pertinet. Quæ etiam pari modo pernicioſa esse, & æquali nos a regno Dei exclusione depellere, edocet dicens: Illud autem scitote, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Et iterum: Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruiẽtes, neque adulteri, neque molles, neque masculorũ cõcubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnũ Dei possidebunt. Dubiũ proinde esse nõ debet, fornicationis & immunditiæ de membris nostris aboleri posse cõtagium, & quãdoquidem non aliter ea, quàm auaritiã, stultiloquium, scurrilitatem, ebrietatem, ac furta, quorum facilis amputatio est, mandauerit abscidenda.

Ibid.

Ephes. 5.

Ibid.

1. Cor. 6.



*Quod ad obtinendam castimoniæ puritatem non sufficiat humani laboris intentio. Cap. IV.*

CErtos tamen esse nos conuenit, quòd licet omnẽ continentiæ districtionem, famem ac sitim scilicet, vigilias quoque & operis iugitatẽ, atque inceſſabile subeamus lectionis studium, perpetuam tamen castimonię puritatem horum laborum merito contingere nequeamus, nisi in his iugiter desudantes experientiæ magisterio doceamur incorruptionem eius diuinæ gratiæ largitate donari. Ob hoc sane solummodo se vnusquisque infatigabiliter in his exercitijs perdurare debere cognoscat, vt per illorum afflictionẽ misericordiã Domini consecutus, de impugnatione carnis, ac præpotentiũ dominatione vitiorũ diuino mereatur munere liberari, non quòd adepturũ se per illa confidat istam quã cupit inuiolatã corporis castitatem. Tanto autẽ erga acquisitionem castimoniæ desiderio atque amore flammemur, quanto quis pecuniarum cupidissimus appetitor, vel qui summa honorum ambitione distenditur, vel qui intolerabili pulchræ mulieris amore raptatur, desiderium suũ impatientissimo ardore optat expleri, & ita fiet, vt dũ pro integritatis perpetuitate insatiabili cupiditate succẽdimur, desiderabilis despiciatur cibus, necessarius horreat potus, somnus denique ipsi naturæ debitus respuatur, vel certe vt deceptor fraudulẽtissimus puritatis, & æmulus atque cõtrarius castitati, attonita atque suspecta mente capiatur, & ita vnusquisque quotidie integritatis suę matutinus explorator effectus, de collata sibi purificatione congaudeat, eamq. se non suo studio nec vigilantia, sed protectione Domini sentiat consecutum; ac tandiu illius perseuerantiam suo corpori intelligat cohæsuram, quamdiu eam Dominus sua fuerit miseratione largitus. Qui enim hanc stabiliter obtinet fidem, nequaquã superbum sapiens de sua virtute confidet, neque seductus longis obscœui liquoris inducijs, blandissima securitate soluetur, sciens impurissimæ colluuionis aspergine se protinus maculandum, si vel paululum quid ab eo protectio diuina discesserit; ac proinde pro perpetuitate eius cum omni contritione & humilitate cordis, indefessis est orationibus incubandum.

De

*De vtilitate impugnationis quæ nobis de incentiuorum æstibus generatur Cap. V.*

VVltis autem capere super huius rei quam dicimus veritate euidens argumentum, per quod & hæc quæ dicta sunt approbetis, & istam corporis pugnam quæ inimica nobis putatur ac noxia, vtiliter membris nostris insertam esse doceamini? Considerate quæso illos qui corpore sunt spadones, quę præcipue causa in virtutibus appetendis desides reddat ac tepidos. nonne quia corrumpendæ castitatis credunt se periculum non habere? Quod tamen nemo ita proposuisse me credat, vt neminem eorum penitus inueniri posse confirmem, perfecta abrenuntiatione flagrantem, sed quia naturam suam quodammodo vincant, si qui forte eorum ad propositam perfectionis palmam summa animi districtione contendunt, cuius ardor ac desiderium eum quem semel accenderit, famam sitim, vigilias, nuditatem, cunctos labores corporis, non solum patien-
*Prou. 16. sec. lxx.* ter, verum etiam libenter sustinere compellit. Vir enim in laboribus laborat sibi & vim facit perditioni suæ. & ite-
*Prou. 27. sec. lxx.* rũ: Animę autem egenti etiam amara dulcia videntur. Aliàs namq. non possunt desideria præsentium rerum reprimi vel auelli, nisi pro istis affectibus noxijs quos cupimus amputari, alij salutares fuerint intromissi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis absque alicuius desiderij vel timoris, gaudij vel mœroris affectione subsistere, nisi hæc eadem in bonam partem fuerint immutata. Et idcirco si carnales cõcupiscentias de cordibus nostris desideramus extrudere: spiritales earum locis plantemus protinus voluntates, vt his noster animus semper innexus, & habeat quibus iugiter immoreretur, & illecebras præsentium ac temporalium respuat gaudiorum. Cumque in hunc statum mens nostra quotidianis exercitijs erudita profecerit, tunc versiculi illius affectum experientia docente concipiet, quem omnes quidem solita psallendi modulationi concinimus, virtutem
*Psal. 18.* vero eius non nisi pauci expertiq. percipiunt: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commouear. Ille etenim solus vim atque intellectũ huius carminis efficaciter assequetur, qui perueniens ad istam de qua loquimur corporis atque animę puritatem intelligit se cunctis momentis ne rursus ad eadem reuoluatur a Domino conseruari, dextrasq. suas id est, operationes san-



ctas ab eodem iugiter communiri. Dominus enim sanctis suis non a sinistris (quia nihil habet sinistrum vir sanctus) sed a dextris semper assistit: a peccatoribus vero & im- *Ibid.*
pijs non videtur, quia non habent illas dexteras, quibus Dominus consueuit assistere, nec possunt dicere cum Prophe-
ta: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euel- *Psal. 24.*
let de laqueo pedes meos. Quod nullus poterit veridice profiteri, nisi qui vniuersa, quæ sunt in hoc mundo, aut noxia aut superflua aut certe inferiora summis virtutibus iudicãs, omnem intuitum suum, omne studium, omnem curam erga cultum sui cordis & castimoniæ defixerit puritatem, atque ita mẽs istis exercitijs elimata, & profectibus expolita, ad perfectam corporis atque animæ perueniet sanctitatem.

*Quod patientia ardorem fornicationis extinguat. Cap. VI.*

QVantum enim quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet; quantoq. longius iracundiæ propulerit passionẽ, tãto castitatẽ tenacius obtinebit. Non enim æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit. Quod apertissime Salu-
atoris nostri ore laudata beatitudo declarat: Beati, in- *Matth. 5.*
quiens, mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Non ergo aliter nos possidebimus terram, id est, non aliàs ditioni nostræ rebellis huius corporis terra subdetur, nisi mens nostra prius fuerit patientiæ lenitate fundata; nec poterit quis aduersus carnem suam insurgentia libidinis bella comprimere, nisi prius armis mansuetudinis instruatur: Mãsueti enim *Psal. 36.*
possidebunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. Hanc, inquam, terram quemadmodum obtinere possimus, idem Prophera in Psalmi ipsius consequentibus
edocet: Expecta Dominum, & custodi viam eius, & exalta- *Ibid.*
bit te, vt heredites terram. Constat ergo ad possessionẽ terræ firmiter obtinendam neminem posse conscendere, nisi illos tantum qui per immobilem patientiæ lenitatem vias *Psal. 16.*
Domini duras, ac præcepta seruantes, de cœno carnalium passionum extrahente eodem fuerint exaltati. Mansueti ergo possidebunt terram, & non solum possidebunt eam, sed
etiam delectabuntur in multitudine pacis, qua nemo, in cu- *Psal. 36.*
ius carne adhuc bella concupiscentiæ suscitantur, stabiliter perfruetur. Necesse est enim infestari eum dirissimis dæmonum prælijs, & ignitis luxuriæ iaculis sauciatum a

*Psal.45.* terræ suæ possessione deuolui, donec Dominus auferat bella vsque ad fines terræ, arcum conterat & confringat arma,
*Luc. 12.* & scuta comburat igni; illo scilicet, quem venit Dominus mittere super terram; & arcus etiam & arma confringat, quibus aduersus eum nequitiæ spiritales diebus ac noctibus dimicantes, ignitis configebant cor eius iaculis passionum. Et ita cum eum Dominus conterens bella ab omnibus incentiuorum æstibus liberarit, ad illum puritatis perueniet statum, vt deposita confusione, qua semetipsum, id est, carnem suam dum impugnaretur horrebat, incipiat
*Psal.90.* ea velut purissimo tabernaculo delectari. Non enim accedent ad eum mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo eius; ad illud scilicet propheticum patientiæ virtute perueniens, vt mansuetudinis merito non modo
*Psal.36.* suam hereditet terram, verumetiam delectetur in multitudine pacis. Vbi autem adhuc supereſt solicitudo certaminis, pacis esse multitudo non potest. Nō enim ait, Delectabuntur in pace, sed, in multitudine pacis. Per quod euidenter ostenditur, ita efficacissimam medicinam cordis esse
*Prou. 14. sec. lxx.* patientiam, secundum illud Salomonis: Mansuetus vir cordis est medicus; vt non solum iræ, tristitiæ, acediæ, cenodoxiæ, superbiæ, verum etiam libidinis omniumq. pariter extirpet fomitem vitiorum: In longanimitate enim (vt ait Sa-
*Prou. 25. sec. lxx.* lomon) prosperitas regis. Nam qui mitis semper atque tranquillus est, nec iracundiæ perturbatione succenditur, nec acediæ atque tristitiæ angore consumitur, nec cenodoxiæ vanitate distenditur, nec superbiæ tumore sustollitur: Pax enim multa diligentibus nomen Domini, & non
*Psal.118.* est illis scandalum. Et ideo non immerito pronuntiatur
*Prou. 16. sec. lxx. †f.at* melior vir patiens forte; † & qui continet iram, capiente vrbem. Hanc igitur pacem donec firmam atque perpetuam obtinere mereamur, multis necesse est nos impugnationibus attentari. frequenterq. nobis est versiculus iste cum
*Psal.37.* gemitu ac lacrymis repetendus: Miser factus sum & curuatus sum vsquequaque, tota die contristatus ingrediebar; quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie insipientiæ meæ. Tunc enim competenter hæc & in veritate deflebimus, quando post longā puritatem corporis nostri sperantes carnalia iam nos omnimodis euasisse contagia, stimulos carnis ob elationem cordis



cordis aduersum nos rursum sentimus insurgere, vel certe per fallaciam somniorum impuritas nos pristinæ colluuionis aspergit. Cum ergo cœperit quis diuturna cordis & corporis puritate gaudere, necesse est vt dum se credit vlterius iam non posse ab illa sinceritate deuolui, intra semetipsum quodammodo glorietur, & dicat: Ego dixi in *Psal. 29.* abundantia mea, non mouebor in æternum. Sed cum vtiliter a Domino subrelictus illum puritatis statum, in quo sibimet confidebat, senserit perturbari, seseq. in illo spiritali viderit titubare successu, recurrat protinus ad illius integritatis auctorem, & agnoscens infirmitatem suam, confiteatur & dicat: Domine non in mea, sed in tua voluntate *Ibid.* præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. Illud quoque beati Iob: Si *Iob. 9.* lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Quod tamen is, qui suo vitio se in sordibus tingit, non potest suo dicere creatori. Donec ergo ad puritatis perfectum statum perueniat, necesse est eum inæqualitatibus istis frequentius erudiri, quoadusque per Dei gratiam cōfirmatus in illa quam appetit puritate efficaciter dicere mereatur: Expectans expectaui Dominum, *Psal. 39.* & respexit me; & exaudiuit deprecationem meam, & eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis; & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.

*De differentijs & gradibus castitatis. Cap. VII.*

MVlti sunt enim castimoniæ gradus, quibus ad illam inuiolabilem conscenditur puritatem, quos licet nec perspicere nec enuntiare, vt dignum est, virtus nostra sufficiat, tamen quia series narrationis exposcit, secundum mediocritatem experientiæ nostræ vtcumque proferre tentabimus; reseruantes perfectiora perfectis, nec præiudicantes his qui feruentiore studio puriorem castimoniam possidentes, quanto maioris industriæ sunt, tanto etiam perspicaciæ vigore præcellunt. Proinde sex gradibus licet multa a se in vicem sublimitate distantibus, fastigia castitatis præcelsa distinguam (ita vt quædam media, quæ tamen multa sunt, prætermittā, quorū subtilitas ita humanos subterfugit sensus, vt eam nec mens inspicere, nec proloqui lingua præualeat) quibus sensim castitatis ipsius perfectio quotidianis profectibus adolescit. Secundum similitudinem namque

Universidad de Deusto
Biblioteca



corporum terrenorum, quæ singulis diebus insensibiliter sui capiunt incrementa, & ita dum nesciunt ad perfectum habitum prouehuntur, animæ quoque robur & maturitas castitatis acquiritur. Primus itaque pudicitiæ gradus est, ne vigilans impugnatione carnali monachus elidatur. Secundus, ne mens illius voluptarijs cogitationibus immoretur. Tertius, ne femineo vel tenuiter ad concupiscentiam moueatur aspectu. Quartus, ne vigilans vel simplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cum memoriam generationis humanæ, vel tractatus ratio vel necessitas lectionis ingesserit, subtilissimus mētem voluptariæ actionis perstringat assensus, sed velut opus quoddam simplex, ac ministerium humano generi necessario contributum, tranquillo ac puro cordis contempletur intuitu, nihilq. amplius de eius recordatione concipiat, quàm si operationem laterum vel cuiuslibet alterius officinæ mente pertractet. Sextus castimoniæ gradus est, ne illecebrosis phantasmatibus feminarum vel dormiens illudatur. Licet enim hāc ludificationem peccato esse obnoxiam non credamus, concupiscentiæ tamen adhuc medullitus latitantis indicium est. Quā tamen illusionem diuersis modis constat accidere. Nam secundum illum vsum quem vigilans exercere vel cogitare consueuerat, etiam dormiens vnusquisque tentatur. Aliter enim falluntur hi, qui carnalem copulam norunt: aliter qui femineæ sunt commixtionis expertes. Hi enim sicut simplicioribus ac purioribus somnijs inquietari solent, ita etiam faciliore diligentia ac minore possiunt labore purgari. Illi autem sordidioribus magisq. expressis phantasmatibus illuduntur, donec paulatim secundum mensuram castitatis, ad quam vnusquisque contendit, in odium illius rei, quam voluptariam antea sentiebat, mens etiam somno sopita vertatur, illudq. ei quod fortibus viris pro summo laborum stipendio repromittitur per prophetam, concedatur a
*Osee.2* Domino: Et arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter; & ita demū quis ad
*Callat. 7. Cap.1.* illā beati Sereni paucorumq. similium virorum perueniet puritatem. Quā idcirco a prædictis sex castimoniæ gradibus sequestrauī, quia non solum possideri, sed etiā credi non nisi a rarissimis potest. Et quia id, quod illi specialiter diuini muneris largitate collatum est, proponi ad generalis præcepti non potest formam, scilicet vt eo vsque mens nostra casti-



castitatis ipsius puritate † formetur, vt etiam ipso naturali motu carnis emortuo, illum obscœnum liquorem omnino nō perferat. Opinionē sane quorundam, quā super hac carnis colluuione definiunt, silere non debeo, qui dicunt non idcirco eam dormientibus euenire, quòd eam producat fallacia somniorum, sed potius quia redundantia humoris illius aliquas in ægrotanti corde fingat illecebras. Denique aiunt quòd illo tempore quo non inquietat illa concretio, quemadmodum fluxus eius, ita etiam illusio conquiescat. *al. firmetur.*

*Quod de natura castitatis & effectu eius inexperti tractare non possint. Cap. VIII.*

SEd hæc suscipere vel probare, & vtrum possibilia an impossibilia sint, certo examine definire poterit nemo, nisi per experientiam longā & puritatem cordis, ad confinia carnis ac spiritus verbo Domini dirigente peruenerit. De quo beatus Apostolus: Viuus est, inquit, sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animę ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et ita inter illorum quodammodo terminos collocatus, quid humanæ cōdicioni necessario sit atque ineuitabiliter attributum, quidve consuetudine vitiosa & incuria iuuentutis inuectum, velut inspector & arbiter iusta trutinatione discernet; ac super eorum effectu atque natura non falsis vulgi opinionibus abducetur, nec præiudicatis inexpertorum definitionibus acquiescet; sed puritatis modum certæ experientiæ suæ libra & iusta examinatione perpendens, nequaquam illorum decipietur errore, qui negligentiæ suæ vitio crebrioribus, quàm natura compellit egestionibus sordidati, de naturali condicione causantur. Cumq. eos constet inferre potius vim naturæ, & extorquere ab ea pollutionem, quam ipsa nō ingerit, intemperantiam suam ad necessitatem carnis, immo ad eius referunt creatorem, proprias culpas ad naturæ infamiam transferentes: de quibus in Prouerbijs eleganter exprimitur: Insipientia viri *Prou.18.* corrumpit vias eius, Deum autem causatur in corde suo. *sec.lxx.* Postremo si quis huic assertioni nostræ fidem derogare voluerit, quæso vt non ante præiudicata nobiscum opinione disceptet, quàm disciplinæ huius suscipiat instituta. Cumq. hæc perpaucis mensibus illa, qua traditur moderatione seruauerit, profectu hæc, quæ diximus, vero poterit probare

iudicio. Ceterum fruſtra de cuiuſlibet artis ac diſciplinæ ſine contendit, quiſque non prius omnia quæ ad conſummationem eius pertinent, ſummo fuerit ſtudio ac virtute ſectatus. Velut ſi, verbi gratia, ſimilitudinem mellis ex tritico, aut rurſum ex eo ſicut etiam ex raphani liniq. ſeminibus leniſſimi olei liquorem produci poſſe confirmem; ſi quis horum penitus ignarus adſiſtat, nonne contra rerum naturam hoc eſſe conclamans, me velut apertiſſimi auctorem mendacij deridebit? Cui ſi ego teſtes innumeros, qui hæc ſe & vidiſſe & guſtaſſe & feciſſe teſtentur exhibeam, rationem inſuper atque ordinem quo illę ſpecies, vel in olei pinguedinem, vel in mellis dulcedinem transformentur ediſſeram, ille autem in ſtultiſſimæ perſuaſionis obſtinatione perſiſtens, neget ab illis ſeminibus quidquam vel dulcedinis vel pinguedinis poſſe produci; nonne magis notanda erit irrationabilis eius peruicaxq. contentio, quàm ſermonis mei veritas irridenda, quæ multorum ac fidelium teſtium grauitate, & euidentibus documentis, & (quod his amplius eſt) experientiæ probatione fulcitur? Et ideo quiſquis ad illũ puritatis ſtatum iugi cordis intentione peruenerit, vt iam mente ab huius paſſionis titillatione penitus abſoluta, per ſoporem caro eius velut redundantiã ſuperfluí humoris expellat, conditionem modumq. naturæ certiſſime deprehendet, & ita cum expergefactus inuenerit carnem ſuam poſt longa tempora ſe inſcio atque ignorãte pollutam, tam demum de naturali neceſſitate cauſetur, ad illum ſine dubio peruenies ſtatum, vt talis inueniatur in nocte, qualis in die; talis in lecto, qualis in oratione; talis ſolus, qualis turbis hominũ circumſeptus. Poſtremo vt numquam ſe talem ſecretus aſpiciat, qualem videri ab hominibus erubeſcit, nec in eo tale aliquid ineuitabilis ille oculus deprehendat; quod ab humanis aſpectibus velit eſſe cælatum: & ita cum cœperit ſuauiſſimo lumine caſtitatis iu-

*Pſal. 138.* giter delectari, dicere poterit cum Propheta: Et nox illuminatio mea in delicijs meis; quia tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius ita & lumen eius. Denique hoc ipſum, quia ſupra conditionem naturæ videtur humanæ, qualiter obtinuerit idem

*Ibid.* Propheta ſubiungit, dicens: Quia tu poſſediſti renes meos; id eſt, non induſtria mea neque virtute hanc promerui puritatem, ſed quia tu mortificaſti inſitum renibus meis libi-



libidinoſæ voluptatis ardorem.

*Interrogatio an corporis motum etiam dormientes poſſimus*
GERMANVS. *euadere. Cap. IX.*

PErpetuam quidem corporis puritatem ex parte aliqua experti ſumus, a vigilantibus poſſe per Dei gratiã poſſideri, & commotionem carnis diſtrictionis rigore atque iudicio reſiſtente, vigilantibus poſſe nõ contingere non negamus. Vtrum autem & dormientes hac inquietudine carere poſſimus, volumus edoceri. Duabus namque de cauſis poſſibile hoc eſſe non credimus, quas licet abſque verecundia nequeamus effari, tamen quoniam hoc medicinæ ipſius neceſſitas cogit, quæſumus, vt cum venia tui, ſi qua forte inuerecundius fuerint denudata, ſuſcipias. Primum ergo eſt, quòd per ſomni quietem mentis vigore laxato, obſeruari nequaquam illius valeat commotionis obreptio. Secundo, quòd etiam vrinæ collectio cum veſicæ capacitatem, quieſcentibus nobis, indefinenti confluxu interni humoris oppleuerit, excitet membra marcentia, quod etiã paruulis, vel ſpadonibus eadem nihilominus lege contingit. Vnde fit, vt ſi non oblectatio libidinis vulneret mentis aſſenſum, confuſione tamen eam humiliet turpitudo membrorum.

*Reſponſio, quòd per ſomnum accidens carnis commotio non*
CHÆREMON. *officiat caſtitati. Cap. X.*

APparet vos necdum veræ caſtitatis agnouiſſe virtutẽ, quandoquidem diſtrictionis auxilio eam a vigilantibus tantum creditis retentari. Et inde eſt quòd putatis a dormientibus quaſi rigore animi reſoluto, integritatem nõ poſſe ſeruari. Porro caſtitas non, vt arbitramini, diſtrictionis præſidio, ſed amore ſui & propriæ puritatis delectatione ſubſiſtit. Non enim caſtitas, ſed continentia dicitur, vbi adhuc aliqua reſiſtit aduerſitas voluptatis. Videris ergo his qui caſtitatis affectum per Dei gratiam medullitus recepe-runt, diſtrictionis ceſſationem cum dormiunt non obeſſe, quæ infida etiam vigilantibus ratione certiſſima comprobatur. Quidquid enim cum labore comprimitur, temporales dimicanti præſtat inducias, non tamen perpetuam ſecuritatis quietem tribuit poſt laborem. Quidquid autem profunda fuerit virtute deiectum, & abſque vlla inquietudinis ſuſpitione compoſitum, iugem pacis victori conferet firmitatem. Quamobrem donec pulſari nos carnis com-

Universidad de Deusto
Biblioteca



motione sentimus, nouerimus nos ad castitatis necdū peruenisse fastigia, sed adhuc sub infirmitate continentiæ constitutos prælijs fatigari, in quibus necesse est dubios esse semper euentus. Quòd autem ineuitabilem esse commotionē carnis hoc adstruere voluistis indicio, quòd ea ne ipsi quidem eunuchi carere demptis genitalibus possunt; sciendum est non eis carnales æstus nec affectum libidinis, sed solam satiuæ generationis deesse virtutem. Vnde manifestum est, ne illos quidem si ad hanc ad quam nos nitimur castitatem cupiunt peruenire, ab humilitate & contritione cordis vel continentiæ districtione debere laxari, licet nequaquam sit discredendum, minore ab eis castimoniam posse labore ac studio comprehendi.

*Quod multū interſit inter continentiā & caſtitatē. Cap. XI.*

QVamobrem perfectio castitatis, a laboriosis continentiæ rudimentis perpetua tranquillitate discernitur. Hæc est enim veræ consummatio castitatis, quæ non impugnans carnalis concupiscentiæ motus, sed toto horrore detestans, iugem atque inuiolabilē sui retinet puritatem, nec potest aliud quid esse, quàm sanctitas. Hoc autem fiet, *Galat.5.* quando iam desinens caro aduersus spiritum concupiscere, desiderijs eius virtutiq. consenserint, cœperintq. sibi inuicem pace firmissima fœderari, & secundum psalmigraphi *Psal.132.* sententiam, habitarint fratres in vnum, illam repromissam *Matt.18.* a Domino beatitudinem possidentes, de qua ait: Si duo ex vobis cōsenserint super terram, de omni re quam cumque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cælis est. Quisquis ergo *Gen.27.* intellectualis illius Iacob, id est, supplantatoris trāscen- *& 32.* derit gradum, ab illa continentię colluctatione ac supplantatione vitiorū, obstupefacto femoris neruo, ad Israelis meritum perpetua cordis directione conscendet. Quem ordinem etiam beatus Dauid ita Spiritus sancti vaticinatione *al. Pſal-* distinxit, in† primis inquiens: Notus in Iudæa Deus, id est, *mis* in anima quæ adhuc sub peccatorum confessione tenetur. *Pſal.75.* Iudæa enim confessio interpretatur: In Israel autem, id est, *Ibid.* in eo qui videt Deum, siue (vt quidam interpretantur) rectissimus Dei est, non solum notus, sed etiam magnum est nomen eius. Deinde ad sublimiora nos prouocans, ac volens etiam locum ipsum, quo Dominus delectatur, ostendere: *Ibid.* Et factus est, inquit, in pace locus eius, id est, non in conflictu certaminis & colluctatione vitiorum, sed in castimo-



stimoniæ pace & in cordis tranquillitate perpetua. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium passionū si quis meruerit obtinere, ex hoc quoque proficiens gradu, ac Sion spiritalis, id est, specula Dei cōsequenter effectus, erit etiam habitatio eius. Non enim in conflictu continentiæ, sed in iugi virtutum specula Dominus commoratur, vbi iam non retundit, non comprimit, sed in perpetuum confregit potentias arcuum, ex quibus videlicet aduersum nos libidinum quondā iacula dirigebantur ignita. Videtis ergo quia sicut non est in colluctatione continentiæ, sed in castitatis pace locus Domini, ita etiam habitatio eius in specula sit & contemplatione virtutum. Vnde non immerito portæ Sion cunctis Iacob tabernaculis præferuntur: Diligit enim *Pſal.86.* Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Quod autem per hoc ineuitabilem esse cōmotionem carnis asseritis, quòd vrina cum vesicam iugi stillatione repleuerit, quieta suscitet membra, licet veris sectatoribus puritatis ad obtinendam eam nihil prę iudicet ista commotio, quam hæc solet interdum etiā per saporē necessitas excitare; sciendū tamen est, quòd ita si commota fuerint, ad quietem propriam reducantur castitatis imperio, vt non modo cum nullo pruritu, sed ne cum minima quidem libidinis recordatione sedentur. Et idcirco vt cum lege animi lex quoque congruat corporalis, etiam in ipsius aquæ potu ita est nimietas castiganda, vt humoris † quotidiana illa colle- *al. quoti-* ctio pigrius arefactis influens membris, illum quem ineui- *diani* tabilem putatis corporis motum, nō solum rarissimum, verumetiam lentum reddat ac tepidum, frigidumq. (vt ita dixerim) ignem, & absque vllius adustionis ardore rorantem suscitet flammam, instar admirabilis illius Mosaicæ visio- *Exod.3.* nis, vt carnis nostræ rubus innoxio igne circumdatus non vratur; vel sicut illorū trium iuuenū, quibus ita rorante spiritu Chaldaicæ fornacis flamma discussa est, vt nec capillos *Dan.3.* eorum aut fimbrias odor ignis afflaret; vt illud quodāmodo quod sanctis repromittitur per prophetam, incipiamus iam in hoc corpore possidere: Cum ambulaueris per ignem *Esai.43.* non combureris, flamma non ardebit in te.

*De mirabilibus, quæ peculiariter in ſanctis ſuis Dominus operatur. Cap. XII.*

MAgna enim vere atque mirifica sunt, nec vlli hominum penitus, nisi his tantum qui experti sunt nota, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



quæ Dominus fidelibus suis adhuc in isto corruptionis vasculo constitutis, ineffabili liberalitate largitur. Quæ Propheta mentis puritate perlustrans, tam ex sua quam ex illorum persona, qui in hunc statum affectumq. perueniunt, *Psal.138.* exclamauit: Mira opera tua, & anima mea nouit nimis. Alioquin nihil noui nec magni intelligitur Propheta dixisse, si alio cordis affectu vel de alijs operibus Dei hæc pronuntiasse credatur. Nullus est enim hominum, qui mira esse opera Dei etiam ex ipsius creaturæ magnitudine non agnoscat. Ceterum illa, quæ in sanctis suis quotidiana operatione dispensat, ac speciali munificentia affluenter effundit, nullus alius nisi anima perfruentis agnoscit, quæ in secreto conscientiæ suæ ita est beneficiorum eius arbitra singularis, vt ea non solum nullo valeat sermone disserere, sed ne sensu quidem & cogitatione complecti, cum ab illo ignito feruore discedens ad istos materiales ac terrenos intuitus fuerit deuoluta. Quis enim in se opera Domini non miretur, cum insatiabilem ventris ingluuiem, & sumptuosam gulæ perniciosamq. luxuriam ita in se viderit esse compressam, vt vix ipsum exiguum ac vilissimum cibum raro inuitusq. percipiat? Quis nõ obstupescat opera Dei cum illum ignem libidinis, quem naturalem antea & velut inextinguibilem esse credebat, ita refriguisse persenserit, vt ne simplici quidem corporis motu se sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cum homines quondam diros ac truculentos, qui ad summum iracundiæ furorem etiam blandissimis subditorum irritabantur obsequijs, ad tantam transisse viderit lenitatem, vt non solum iam nullis commoueantur iniurijs, sed etiam cum illatæ fuerint, summa magnanimitate congaudeant? Quis plane non miretur opera Dei, ac toto pro- *Psal.134.* clamet affectu: Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus; cum vel se vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumq. perspexerit, & egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntarie perfruentem? Ista sunt profecto mira opera Dei, quæ peculiariter anima Prophetæ similiumq. eius mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia quæ posuit Dominus super terram, quæ idem Propheta cõsiderans, ad admirationem eorum cunctos populos aduocat,



cat, dicens: Venite & videte opera Dei, quæ posuit prodi- *Psal.45.*
gia super terram, auferens bella vsque ad fines terræ; arcum
conteret, & cõfringet arma, & scuta comburet igni. Quod
enim maius potest esse prodigium, quàm sub momento
breuissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex *Matth.9.*
persecutoribus truculentis Euangelij prædicatores patien- *Act.9.*
tissimos reddi, ita vt eam quam persequebantur fidem, etiã
effusione sui sanguinis propagarent? Ista sunt opera Dei
quę se quotidie vna cum patre operari filius protestatur, di-
cens: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. De *Ioan 5.*
istis operibus beatus Dauid in spiritu canens: Benedictus, *Psal.71.*
inquit, Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna so-
lus. De istis & Amos propheta: Qui facit, inquit, omnia, & *Amos.5.*
conuertit ea, & transmutat in matutinum vmbram mortis. *sec. lxx.*
Hæc nempe est mutatio dexteræ excelsi. De hac salutari *Psal.76.*
operatione Dei orat Propheta Dominum, dicens: Confir- *Psal.67.*
ma Deus hoc, quod operatus es in nobis. Et vt prætermittam illas secretas atque absconditas dispensationes Dei,
quas intra se peculiariter exerceri mens sanctorũ omnium
momentis singulis intuetur, illam cælestem infusionem lætitiæ spiritalis, qua delectus animus insperati gaudij alacritate sustollitur, illosq.† ignitos cordis excessus, & tam ineffabilia quàm inaudita solatia gaudiorum, quibus nonnumquam ignauissimo stupore torpentes, ad orationem feruentissimam velut de somno profundissimo suscitamur. Hoc, *1.Cor.2.*
inquam, est gaudium de quo beatus Apostolus: Quod oculus, inquit, non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; eius scilicet, qui terrenis vitijs hebetatus adhuc homo est, & humanis inhæret affectibus, nihilq. de istis Dei muneribus intuetur. Denique idem Apostolus tam de se quàm de sui similibus, qui iam de humana conuersatione discesserant, subijcit, dicens: Nobis autem reuelauit *Ibid.*
Deus per spiritum suum.

*al. ignotos*

### *Quod soli qui experiuntur agnoscant dulcedinem castitatis. Cap. XIII.*

IN his igitur omnibus quantum mens ad subtiliorẽ profecerit puritatem, tanto sublimius intuebitur Deum, & admirationis intra semetipsam potius capiet incrementa, quàm loquendi facultatem aut sermonem narrationis inueniet. Vt enim vim lætitiæ huius inexpertus mente percipere, ita explicare sermone nõ valebit expertus; tamquam

si quis

si quis dulcedinem mellis ei, qui numquam quidquam dulce gustauerit velit sermonibus enarrare, profecto nec ille saporis suauitatem, quam numquam ore percepit, auribus capiet: nec ille dulcedinem, quam gustus voluptate cognouit, verbis poterit indicare, sed propria tantum agnitione suauitatis illectus, necesse est, vt experti saporis iucunditatem intra semetipsum solummodo tacitus admiretur. Ita igitur quisquis in hunc, quem prędiximus, virtutũ statum meruerit peruenire, hæc omnia, quæ in suis peculiari gratia Dominus operatur, tacita mente perlustrans, horumq. omnium attonita consideratione flammatus, cum intimo
*Psal.138.* cordis exclamabit affectu: Mira opera tua, & anima mea nouit nimis. Istud ergo est mirabile opus Dei, hominem carneum, carnales affectus in carne positum respuisse, & in tãta rerum atque incursuum varietate vnum tenere animi statum, atque immobilem in omni accidentiũ permutatione durare. Qua virtute fundatus senex quidam, cum apud Alexandriam turbis infidelium circumfusus, non solum maledictis, verumetiam grauissimis impellentium vrgeretur iniurijs, eiq. a subsannãtibus diceretur: Quid miraculi Christus vester, quem colitis fecit? Ille inquit: Vt his ac maioribus, si intuleretis, non mouear nec offendar iniurijs.

*Interrogatio de cõtinentiæ qualitate & temporis modo, in quo castitas perfici possit. Cap. XIV.*

GERMANVS. QVoniam nos admiratio non humanæ huius neque terrenæ, sed plane cælestis atque angelicæ castitatis, ita subito stupore confudit, vt terrorem magis desperationis incuteret, quàm ad expetendam se nostros animos prouocaret; quæsumus, vt nos de obseruantiæ qualitate, ac tẽporis modo, quo acquiri vel perfici valeat, doctrina plenissimæ disputationis instituas, quatenus & consummari eam posse credamus, & ad expetendam deinceps spatio constituti temporis animemur. Incomprehensibilẽ namque eam in carne hac positis quodammodo iudicamus, nisi nobis ordo quidam, ac via qua ad illam valeat peruenire, certa ratione pandatur.

*Responsio, intra quod tempus possibilitas castitatis possit agnosci. Cap. XV.*

CHÆREMON. TEmerarium satis est, super consummatione huius, de qua loquimur castitatis, in tanta præsertim vel voluntatum diuersitate, vel virium, certam temporis definire men-



mensuram, quæ non facile etiam in istis materialibus artibus, ac visibilibus disciplinis decerni potest; secundum intentionem namq. animi, atque ingenij qualitatem, necesse est, eas ab vnoquoque vel celerius vel tardius apprehendi; rationem tamen obseruãtiæ & temporis modum, intra quẽ eius possibilitas agnoscatur, constantissime possumus præfinire. Quisquis igitur extractus a cunctis otiosis confabulationibus, & mortificatus ab omni ira ac solicitudine curaq. mundana, duobus tantum paxamacijs fuerit quotidiana refectione contentus, & aquæ satietate subtracta, quietem somni trium, siue (vt alij statuerunt) quattuor horarũ spatio terminarit, nec tamen laborum aut continentiæ huius merito, sed miseratione Domini eam se crediderit adepturum (quia sine hac fide vana est omnis humani laboris intentio) non amplius quàm sex mensibus perfectionem istius impossibilem sibi non esse cognoscet. Euidens tamen est iam proximæ puritatis indicium, incipere eam de proprij laboris industria non sperare. Si enim vim versiculi illius vnusquisque in veritate conceperit: Nisi Dominus ædi- *Psal.126.*
ficauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam; sequitur, vt nec de puritatis suæ meritis extollatur, intelligens eam se non sua diligentia, sed Domini misericordia consecutum; nec contra alios immiti rigore moueatur, sciens humanam nihil esse virtutem, si eam virtus diuina non iuuerit.

*De fine ac remedio castitatis. Cap. XVI.*

PRoinde vnicuique nostrum aduersus spiritum fornicationis totis viribus desudanti, victoria singularis est, de merito conatus sui remedium non sperare; quæ fides licet facilis ac plana omnibus videatur, tamen tam difficile ab incipientibus quàm ipsius castitatis perfectio possidetur. Nam cum eis vel particula puritatis arriserit, continuo in conscientiæ suæ secretis elatione quadam subtiliter illabẽte sibimet blandiuntur, credentesq. eam se diligentiæ suæ studio consecutos, necesse est superno illo præsidio paululum denudati, tamdiu illis, quas diuina virtus extinxerat, passionibus opprimantur, quamdiu experientia docẽte cognoscãt se viribus atque industria sua puritatis bonum obtinere non posse. Et vt disputationem nostram de fine plenissimæ castitatis longa lucubratione confectam breuiter concludamus, in vnum omnia, quæ copiose sparsimq. digesta

Universidad de Deusto
Biblioteca



gesta sunt colligentes, hæc est consummatio castitatis, vt vigilantem monachum oblectatio libidinis nulla perstringat, vt quiescentem somniorum non fallat illusio, sed cum dormienti tantum per sopitæ mentis incuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine vlla titillatione voluptatis excitata est, ita etiam sine vllo pruritu corporis conquiescat. Hæc de castitatis fine, quantum potuimus, nō verbis, sed experientia magistrante digessimus. Quæ licet a desidiosis ac negligentibus arbitrer impossibilia forsitan iudicanda, certus tamen sum a studiosis ac spiritalibus viris agnoscenda pariter ac probanda. Tantum namque inter hominem distat & hominem, quantum & illa ad quæ animi eorum tendit intentio ab inuicem disparantur, id est, vel cælum ab inferno, vel Christus a Belial, secundum sententiam Domini Saluatoris: Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit. & iterum: Vbi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Hucusque beatus Chæremon de castitatis perfectione disseruit, admirabilemq. doctrinam sublimissimæ puritatis tali sermone concluſit, suadens stupentibus atque anxijs nobis, vt quia iam noctis pars maior effluxerat, tradita quieti paulum membra naturali soporis cibo minime fraudaremus, ne languens torpore corporis sui etiam mens vigorem sanctæ intentionis amitteret.

*Ioan.12.*

*Matth.6.*

*COLLATIONIS SECVNDAE Abbatis Chæremonis de Castitate, Finis.*

COLLA-

# COLLATIO XIII. QVÆ EST TERTIA ABBATIS CHAEREMONIS, DE PROTECTIONE DEI.

## CAPVT PRIMVM.

*Cōtrahāc collationē scripsit libru Proſper Aquitanicus.*

CVM ad synaxim matutinā, percepto paulum sopore, remeantem senem operiremur, ingenti abbas Germanus scrupulo mouebatur, quòd in præterita disputatione, cuius virtus summum desiderium incognitæ nobis castitatis infuderat, vnius adiectione sentētiæ beatus senex meritum humanæ cassasset industriæ; adstruens hominem quamuis summis ad bonam frugem viribus enitatur, tamen boni compotem esse non posse, nisi id diuini tantum muneris largitate, non operis sui studio percepisset. Hanc igitur quæstionem attonite voluentibus nobis, progressus cellula beatus Chæremon, cum quiddam nos inuicem mussitare sensisset, solito breuius orationum atque psalmorum solemnitate transcursa, quid moueret inquirit.

*Interrogatio, quare non merita virtutum laborantis industria deputentur. Cap. II.*

TVnc Germanus: Quantum excellentissimæ, inquit, sublimitate virtutis, quæ nocturna disputatione patefacta est, pene (vt ita dixerim) a fide nostræ possibilitatis excludimur, tātum nobis (pace tui dictum sit) videtur absurdum, si laborum stipēdium, id est, perfectio castitatis, quæ instantia proprij sudoris acquiritur, non specialiter laborantis deputetur industriæ. Inēptū est enim, vt si verbi gratia, agricolā erga culturam terræ irremissum studiū viderimus impēdere, nō illius efficaciæ adscribamus & fructum.

*Responsio, quod sine adiutorio Dei non solum perfectio castitatis, sed omnino nihil boni perfici possit.*

CHÆREMON. *Cap. III.*

HOc ipso quod proposuistis exemplo, euidētius approbatur nihil posse proficere sine adiutorio Dei laborantis

rantis industriam. Nec enim agricola cum omnes conatus suos in excolendis expenderit terris, confestim etiam prouentum segetum & vbertatem frugum suæ poterit industriæ deputare, quam irritam esse frequenter expertus est, nisi eam & oportunitas pluuiarum, & hiemis tranquilla serenitas subsequatur; ita vt adultos iam fructus ac perfecta maturitate solidatos, de manu quodammodo tenetium viderimus plerumque præreptos, nihilq. laborantibus illā iugem sudoris instantiam contulisse, quia non fuit Domini opitulatione directa. Sicut igitur inertibus agricolis, qui sua frequenti vomere arua non subigunt, hanc vbertatem segetum pietas diuina non confert, ita laborantibus pernox solicitudo non proderit, nisi misericordia Domini fuerit prosperata. In quo tamen humana superbia nullatenus se gratiæ Dei vel exæquare vel admiscere contendat, participemq. se in muneribus Dei per hoc conetur inferere, vt laborem suum auctorem esse diuinæ existimet largitatis, ac prouentum copiosissimarum frugum industriæ suæ meritis respondisse glorietur. Consideret namq. ac veridica examinatione perpendat, quòd ne ipsos quidem conatus, quos pro desiderio opulentiæ intentus exercuit, suis viribus impendere potuisset, nisi eum ad exercendum omne opus ruris, protectio Domini ac misericordia roborasset; & inefficax eius voluntas fuisset ac virtus, nisi etiam peragendi copiam, quæ nonnumquam vel siccitatis vel imbriū nimietate fraudatur, diuina clementia præstitisset. Nam cū & † bonū virtutis, & sanitas corporis, & omnium effectus operum actuumq. prosperitas a Domino fuerit condonata, orandum est ne fiat ei sicut scriptum est: Cælum æreum, & terra ferrea: Et ne residuum locustæ comedat bruchus, & residuum bruchi eruca deuoret, & residuum erucæ rubigo consumat. Nec in hoc tantum eget diuinitatis auxilio agricolæ laborantis industria, nisi etiam insperatos casus auertat, quibus etiam si desiderata fructuum fœcunditate ager fuerit opimatus, non solum spei suæ vana expectatione frustrabitur, verumetiam perceptarum & reconditarum iam vel in aerea vel in horreo frugum vbertate fraudabitur. Quibus manifeste colligitur, non solum actuum, verumetiam cogitationum bonarum ex Deo esse principiū, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque oportunitatem eorū, quæ recte cupimus tribuit peragen-

*al. boum virtus.*
*Deut. 28.*
*Ioel. 1.*



agendi. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum; qui & incipit, quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis, dicente Apostolo: Qui autem dat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & crescere faciet fructus iustitiæ vestræ. Nostrum vero est, vt quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur, † vel certe] dura ceruice & incircumcisis, vt scriptum est, auribus eidem resistentes, per Hieremiam mereamur audire: Numquid qui cadit non resurget? Aut qui auersus est non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa? Indurauerunt facies suas, noluerunt reuerti.

*Iacob. 1.*
*2. Cor. 9.*
*Apud Prosperū est; ne*
*Act. 7.*
*Hiere. 8.*
*Hiere. 5.*

*Obiectio quemadmodū gentiles absque gratia Dei castimoniā habuisse dicantur. Cap. IV.*

GERMANVS.

HVic sensui cuius pietas abrupte a nobis improbari nō potest, illud videtur obsistere, quod ad destructionem liberi tendit arbitrij. Nam cum multos gentilium qui vtique diuini adiutorij gratiam non merentur, nō solum frugalitatis atque patientiæ, sed (quod magis mirum est) etiam castitatis videamus fulgere virtutibus, quomodo captiuato liberæ voluntatis arbitrio, Dei munere collatæ illis credendæ sunt; cum vtique mundanę sapientiæ sectatores, non solum Dei gratiam, sed ipsum etiam verum Deum penitus ignorantes, quantum vel lectionis serie, vel quorundam traditione cognouimus, summam castimoniæ puritatem proprij laboris industria possedisse dicantur?

*Responsio de philosophorum imaginaria castitate.*

CHÆREMON. *Cap. V.*

GRatum mihi est quòd dum summo agnoscendæ veritatis amore flammamini, quædam etiam inepta proponitis, quorum obiectione probatior, atque (vt ita dixerim) exploratior catholicæ fidei virtus appareat. Quis etenim sapiens tam contrarijs propositionibus vteretur, vt cælestem castimoniæ puritatem, quam hesterna die nec per Dei gratiam mortalium cuiquam asserebatis posse cōferri, nunc eandem etiam a gentilibus crederetis virtute propria fuisse possessam? Sed quia hæc explorandæ procul dubio (vt dictum est) studio veritatis opponitis, quid de his teneamus aduertite. Primū philosophos nequaquā credendum est talem animi castitatē, qualis a nobis exigitur asse-

Ephes. 5. cutos, quibus iniungitur, vt non solum fornicatio, sed ne immunditia quidem nominetur in nobis. Habuerunt autē illi quandā †μεριλιῶ hoc est, portiunculā castitatis, id est, abstinentiam carnis, vt tantum a coitu libidinem coercerent: hanc autem internam mentis ac perpetuam corporis puritatem, non dicā opere assequi, sed nec cogitatione potuerunt. Denique famosissimus ille philosophorum Socrates, hoc (vt ipsi concelebrant) de se non erubuit profiteri. Nam cum intuens eum quidam physiognomon dixisset: ὄμματα παιδεραστοῦ, id est, oculi corruptoris puerorum; & irruentes in eum discipuli eius, vlcisci illatum magistro vellent conuicium, indignationem eorum hac dicitur compressisse sententia; παῦσαδε ἑταῖροι, εἰμὶ γὰρ, ἐπὲχω δὲ, hoc est, quiescite o sodales; etenim sum, sed contineo. Apertissime igitur non solum assertione nostra, sed etiam ipsorum professione monstratur, consummationem tantummodo impudicitiæ, id est commixtionis turpitudinem, violenta ab illis necessitate compressam, non tamen desiderium de cordibus eorum & oblectationem illius passionis exclusam. Cum quo autem horrore proferenda est illa sententia Diogenis? Factum enim quod philosophos mundi huius velut quiddam memorabile proferre non puduit, neque dici a nobis, neque audiri sine verecundia potest. Nā cuidā in adulterij crimine puniendo (vt ferunt) ait: τὸ δωρεὰν πωλούμενον θανάτῳ μὴ ἀγόραζε, id est, quod gratis vēditur, morte non emas. Constat ergo illos veræ castitatis, quæ a nobis expetitur, nec agnouisse virtutem. Et ideo satis certum est circumcisionem nostram, quę in spiritu est, non posse nisi Dei tantū munere possideri, & his inesse solummodo, qui Deo tota spiritus contritione deseruiunt.

*Quod sine gratia Dei nullos industrios conatus exequi valeamus. Cap. VI.*

ET idcirco licet in multis, immo in omnibus possit ostēdi, semper auxilio Dei homines indigere, nec aliquid humanam fragilitatem quod ad salutem pertinet, per se solam, id est, sine adiutorio Dei posse perficere, in nullo tamen euidentius quàm in acquisitione atque custodia castitatis ostenditur. Vt enim tantisper de integritatis difficultate disputatio differatur, de instrumentis eius breuiter interim disputemus. Quis quæso præualeat, quamuis feruens spiritu, vel squalorem solitudinis, vel sicci panis non



non dicam quotidianam esuriem, sed ipsam saturitatem nulla hominum laude suffultus, suis viribus sustinere? Quis aquæ perpetuam sitim sine consolatione Domini tolerare? illoq. dulci ac delectabili matutino sopore humanos fraudare oculos, & intra terminos horarum quattuor omnem refectionem quietis iugi lege concludere? Quis indesinentem lectionis instantiam, quis operis irremissam sedulitatem, nullum præsentis lucri commodum captans, absque Dei gratia explere sufficiat? Quæ omnia sicut desiderari a nobis iugiter absque diuina inspiratione non possunt, ita ne perfici quidem sine auxilio eius vllatenus queunt. Et vt hæc eadem non solum probata † nobis experientiæ disciplina, al. vobis. sed etiam certis indicijs & argumentis manifestiora reddamus, nonne in multis, quæ vtiliter optamus implere, cum desiderij plenus ardor ac voluntas perfecta non desit, interpellans quæcumque fragilitas cassat vota cōcepta, nec proposito nostro assistit effectus, nisi virtus perficiendi Domini fuerit miseratione donata, ita vt cum sit innumera multitudo illorum, qui fideliter virtutum studijs desiderent inhærere, summam tamen eorum, qui hæc perficere vel tolerare præualeant inuenias raritatem; vt prætermittam quòd ne tunc quidem, cum omnino nulla nos arcet infirmitas, facultas vniuersa, quæ volumus peragendi nostræ subiacet potestati? Nam neque remotionis silentium, nec districtionem ieiuniorum, nec lectionis instantiam, illo etiam, quo possumus tempore, pro nostro retentamus arbitrio, sed quibusdam occurrentibus causis, etiam inuitissimi frequenter retrahimur a salutaribus institutis, ita vt vel loci vel temporis copiam, in quo hoc exercere possimus, necesse sit nos a Domino deprecari, nec sufficere nobis id quod possumus certum est, nisi etiam oportunitas peragendi ea, quæ nobis vtique possibilia sunt a Domino tribuatur, de quibus & Apostolus: Quoniam voluimus, inquit, venire ad vos & se- 1. Thes. mel & iterum, & impediuit nos satanas; ita vt nonnumquam nos etiam vtiliter ab istis spiritalibus sentiamus studijs auocari, vt dum nolentibus nobis interrumpitur nostri cursus intentio, & infirmitati carnis aliquid relaxamus, etiam inuiti ad salutarem perseuerantiam reseruemur. De qua dispensatione Dei, simile aliquid beatus Apostolus: Propter quod, inquit, ter Dominum rogaui vt discederet a me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus 1. Cor. 12

in infirmitate perficitur. & iterum: Quid enim oremus ſecundum quod oportet neſcimus. *Rom. 8.*

*De principali ꝓpoſito Dei & prouidẽtia quotidiana. Cap. VII.*

PRopoſitum namque Dei, quo non ob hoc hominẽ fecerat, vt periret, ſed vt in perpetuũ viueret, manet immobile. Cuius benignitas cum bonæ volũtatis in nobis quantulamcumque ſcintillã emicuiſſe perſpexerit, vel quã ipſe tamquam de dura ſilice noſtri cordis excuſſerit, confouet eam & exſuſcitat, ſuaq. inſpiratione confortat, volens omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quia non eſt, inquit, voluntas ante patrem veſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus ex puſillis iſtis. & iterum: Nec vult, inquit, Deus perire animam, ſed retractat, cogitans ne penitus pereat, qui abiectus. Verax namque eſt & non mentitur, cum obteſtatione definiens: Viuo ego, dicit Dominus Deus; quia nolo mortem impij, ſed vt conuertatur a via ſua & viuat. Qui enim, vt pereat vnus ex puſillis, non habet voluntatem, quomodo ſine ingenti ſacrilegio putandus eſt, non vniuerſaliter omnes, ſed quoſdam ſaluos fieri velle pro omnibus? Ergo quicumque pereunt, contra illius pereunt voluntatem, ita eo contra vnumquemque eorum quotidie proclamante: Conuertimini a vijs veſtris peſſimis; & quare moriemini domus Iſrael? & iterum: Quotiẽs volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti? &: Quare, inquit, auerſus eſt populus iſte in Hieruſalem auerſione contentioſa? Indurauerunt facies ſuas, noluerunt reuerti. Præſto eſt ergo quotidie Chriſti gratia, quæ dum vult omnes homines ſaluos fieri, & agnitionem veritatis venire, cunctos abſque vlla exceptione conuocat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Si autem non omnes vniuerſaliter, ſed quoſdam aduocat, ſequitur vt nec omnes ſint onerati vel originali vel actuali peccato, nec vera ſit illa ſentẽtia: Omnes enim peccauerunt, & egẽt gloria Dei; nec per omnes homines mors pertranſiſſe credatur. Et in tantum omnes, qui pereunt, contra Dei pereunt voluntatem, vt nec ipſam mortem Deus feciſſe dicatur, ita ſcriptura teſtante: Quia Deus mortem non fecit, nec gaudet in perditione viuorũ. Et inde eſt, quòd plerumque dum pro bonis cõtraria poſtulamus, vel tardius vel nequaquam noſtra exauditur oratio; & rurſus, ea quæ credimus eſſe con- *1.Tim.2. Matt.18. 2.Reg.14. Ezech.33. Ibid. Matt.23. Hiere.8. Hiere.5. 1.Tim.2. Matt.11. Rom.3. Rom.5. Sap.1.*



contraria, vtiliter, vt benigniſſimus medicus, etiam inuitiſſimis Dominus inferre dignatur, ac nonnumquã perniciosas diſpoſitiones noſtras letalesq. conatus, a deteſtabili effectu retardat ac reuocat, & properantes ad mortem, retrahit ad ſalutem, & de inferni faucibus extrahit ignorantes.

*De gratia Dei & arbitrij libertate. Cap. VIII.*

QVam curam ac prouidentiã circa nos ſuam, ſub figura meretricis Hieruſalem & pernicioſa ad idolorum cultum alacritate tendentis, per Oſee prophetam ſermo diuinus eleganter expreſſit. Dicente namq. ea: Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum meum; reſpondet, ſaluti eius non voluntati conſulens diuina dignatio: Ecce ego ſepiam viam eius ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos, nec inueniet illos, & dicet: Reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc. Ac rurſus cõtumacias noſtras atque contemptus, quibus eum ad ſalutares inuitantem recurſus rebelli ſpiritu dedignamur, tali comparatione deſcribit: Et dixi, inquit, Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis. Sed quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſrael, ait Dominus. Satis congrue, quoniam Hieruſalẽ adulteræ cõparauerat a ſuo coniuge diſcedenti, amorem quoque ac perſeuerantiam benignitatis ſuę viro, qui feminam deperit cõparauit. Pietas enim ac dilectio Dei, quam circa humanum genus ſemper impendit, eo quòd nullis ita vincatur iniurijs, vt a cura noſtræ ſalutis abſcedat, & quodammodo ſuperata iniquitatibus noſtris a principali ſuo propoſito reuocetur, magis proprie exprimi alia comparatione non potuit, quàm exemplo viri ardentiſſimo amore feminam diligentis, qui quanto magis negligi ſe ac deſpici ab ea ſenſerit, tanto vehemẽtiori circa eã zeli ardore flammatur. Adeſt igitur inſeparabiliter nobis ſemper diuina protectio; tantaq. eſt erga creaturam ſuam pietas creatoris, vt non ſolum comitetur eam, ſed etiam præcedat iugiter prouidentia. Quam expertus Propheta apertiſſime confitetur, dicens: Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Qui cum in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim atque confortat & incitat ad ſalutem; incrementum *Oſee.2. Ibid. Hiere.3. Pſal.58.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu vi-
*Esai. 65.* derit emersisse: Nam antequam clament, inquit, ego exau-
*Esai. 30.* diam, adhuc loquētibus eis ego audiam. Et iterum: Ad vo
cem clamoris tui statim vt audierit respondebit tibi. Et nō
solum desideria sancta benignus inspirat, sed etiam occa-
siones præstruit vitæ, & oportunitatem boni effectus, ac sa-
lutaris viæ directionem demonstrat errantibus.

*De virtute bonæ voluntatis nostræ & gratia Dei Cap. IX.*

*Matth. 7.* VNde non facile humana ratione discernitur, quemad-
*Rom. 10.* modum Dominus petentibus tribuat, a quærentibus
inueniatur, aperiatq. pulsantibus: & rursus inueniatur a nō
quærentibus se, palam appareat inter illos qui eum non
interrogabant, tota die expandat manus suas ad populum
non credentem sibi & contradicentem, resistentes ac lon-
ge positos vocet, inuitos attrahat ad salutem; peccare cu-
pientibus explēdæ copiam subtrahat voluntatis, ad nequi-
tiam properantibus benignus obsistat. Cui autem facile pa-
teat, quomodo salutis summa nostro tribuatur arbitrio, de
*Esai. 1.* quo dicitur: Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt
*Rom. 9.* terræ manducabitis: & quomodo nō volentis neque currē-
*Rom. 2.* tis, sed miserentis sit Dei? Quid etiam sit illud; quòd Deus
*Philip. 2.* reddet vnicuique secundum opera eius. & Deus est qui ope-
ratur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate; &
*Ephes. 2.* hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, vt
*Iacob. 4.* ne quis glorietur? Quid sit etiam illud quod dicitur: Appro-
pinquate Deo, & appropinquabit vobis. & quod alibi di-
*Ioan. 6.* cit: Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me attraxerit
*Prou. 4.* eū? Quid sit quod dicitur: Rectos cursus fac pedibus tuis,
*sec. lxx.* & vias tuas dirige: & quid sit quod orantes dicimus: Dirige
*Psal. 5.* in conspectu tuo viam meam. &: Perfice gressus meos
*Psal. 16.* in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea? Quid etiā
*Ezech. 18* sit quod iterum commonemur: Facite vobis cor nouum &
*Ezech. 11* spiritum nouum. & quid sit illud, quod repromittitur: Da-
bo eis cor nouum, & spiritum nouum tribuam in viscerī-
bus eorum; & auferam cor lapideum de carne eorum, &
dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, &
iudicia mea custodiant? Quid sit quod præcepit Dominus,
*Hiere. 4.* dicens: Laua a malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias:
& quid sit, quod id ipsum propheta a Domino postulat, di-
*Psal. 50.* cens: Cor mundum crea in me Deus. & iterum: Lauabis
*Ibid.* me, & super niuem dealbabor? Quid sit quod ad nos dici-

tur:



tur: Illuminate vobis lumen scientiæ. & quid sit quod de
Deo dicitur: Qui docet hominem scientiam. &: Dominus *Osee. 10.*
illuminat cæcos. vel certe quod orantes dicimus cum Pro- *sec. lxx.*
pheta: Illumina oculos meos ne vmquam obdormiam in *Psal. 93.*
mortem: nisi quòd in his omnibus & gratia Dei, & liber- *Psal. 145*
tas nostri declaratur arbitrij? & quia etiam suis interdum *Psal. 12.*
motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, sem-
per vero a Domino indigeat adiuuari? Nec enim cum vo-
luerit quis sanitate perfruitur; aut de ægritudinis morbo
pro arbitrij sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sa-
nitatis gratiam concupisse, nisi Dominus, qui vitæ ipsius
vsum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impartiat? Vt
autem euidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod
beneficio creatoris indultum est, nonnumquam bonarum
voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi a Domino
dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non
possint, Apostolus testis est dicens: Velle adiacet mihi, per- *Rom. 7.*
ficere autem bonum non inuenio.

*De liberi arbitrij infirmitate. Cap. X.*

NAm libertatem scriptura diuina nostri cōfirmat arbi-
trij, dicens: Omni custodia serua cor tuum. Sed infir- *Prou. 4.*
mitatem eius manifestat Apostolus, dicens: Dominus cu- *Philip. 4*
stodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Ie-
su. Virtutem liberi arbitrij Dauid enuntiat, dicens: Inclina-
ui cor meum ad faciendas iustificationes tuas. Sed infirmi- *Psal. 118*
tatem eius idem orans similiter docet: Inclina, inquiens,
cor meū in testimonia tua, & non in auaritiam. Salomon *Ibid.*
quoque ait: Inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in
vniuersis vijs eius, & custodiamus mandata eius, & cæri- *3. Reg. 8.*
monias eius, & iudicia. Potestatem designat arbitrij nostri
psalmographus, dicens: Cohibe linguam tuam a malo, & *Psal. 33.*
labia tua ne loquantur dolum. Infirmitatē eius nostra pro-
testatur oratio, dicentibus nobis: Pone Domine custodiam *Psal. 140*
ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Arbitrij no-
stri facultas a Domino declaratur, cum dicitur: Solue vin- *Esai. 52.*
cula colli tui captiua filia Sion. Fragilitatem eius Prophe-
ta decantat, dicens: Dominus soluit compeditos. &: Diru- *Psal. 145*
pisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Audiui- *Psal. 115*
mus in Euangelio Dominum conuocantem vt ad eum per-
liberum properemus arbitrium: Venite ad me omnes qui *Matt. 11.*
laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Sed infirmi-

*Ioan.6.* tatem eius idem Dominus proteſtatur, dicens: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me attraxerit eum. Apoſtolus liberum arbitrium noſtrum incitat, dicens: Sic curritе, vt comprehendatis. Sed infirmitatem eius Ioannes Baptiſta teſtatur, cum ait: Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo. Iubemur animas noſtras ſolicite cuſtodire, propheta dicente; Cuſtodite animas veſtras. Sed eodem ſpiritu alius proclamat propheta: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilauit qui cuſtodit eam. Apoſtolus Philippenſibus ſcribens, vt liberum eorum deſignet arbitrium: Cum metu & tremore, inquit, veſtram ſalutem operamini. Sed vt infirmitatem eius oſtẽdas, adiungit: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.

*1.Cor.9.* *Ioan.3.* *Hiere.17.* *Pſal.126.* *Philip.2.* *Ibid.*

*Vtrum bonam voluntatem noſtram ſequatur an præcedat gratia Dei. Cap. XI.*

ET ita ſunt hæc quodãmodo indiſcrete permixta atque confuſa, vt quid ex quo pendeat, inter multos magna quæſtione voluatur. Id eſt, vtrum quia initium bonæ volũtatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus; an quia Deus miſeretur, conſequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim ſingula hæc † credentes, ac iuſto amplius aſſerentes, varijs ſibiq. contrarijs ſunt erroribus inuoluti. Si enim dixerimus noſtrũ eſſe bonæ voluntatis principium, quid fuit in perſecutore Paulo, quid in publicano Matthæo, quorum vnus cruori ac ſupplicijs innocentum, alius violentijs ac rapinis publicis incubans attrahitur ad ſalutem? Sin vero gratia Dei ſemper inſpirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zacchæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicemus, qui deſiderio ſuo vim quandam regnis cæleſtibus inferentes, ſpecialia vocationis monita præuenerunt? Conſummationem vero virtutum & executionem mandatorum Dei, ſi noſtro deputauerimus arbitrio, quomodo oramus; Confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis. &: Opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos? Scimus ad maledicendum Iſraeli Balaam fuiſſe conductum, ſed videmus maledicere cupienti non fuiſſe permiſſum. Cuſtoditur Abimelech, ne Rebeccam tangens peccet in Deum. Ioſeph fratrum liuore diſtrahitur, vt deſcenſio filiorum Iſrael in Aegypto fieret, & illis de germani nece tractantibus, futuræ famis remedia pararẽtur. Quod idem Ioſeph

*al quærẽtes.* *Act.9.* *Matth.9.* *Luc.19.* *Luc.23.* *Pſal.67.* *Pſal.89.* *Num.22.* *Gen.26.* *Gen.37.*



ſeph a fratribus agnitus manifeſtat, dicens: Nolite pauere, nec durum vobis videatur, quòd vendidiſtis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos. Et infra: Præmiſit enim me Deus, vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuendum habere poſſitis. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis, & dominũ totius domus eius, & principem in omni terra Ægypti. Et cum poſt obitum patris formidantibus fratribus ſuſpicionem timoris auferret: Nolite, inquit, timere; numquid Dei poſſumus renuere voluntati? Vos cogitaſtis aduerſum me in malum, ſed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me ſicut in præſentiarum cernitis, vt ſaluos faceret populos multos. Quod etiam beatus Dauid œconomice tunc factum in pſalmo centeſimoquarto ſimiliter declarauit, dicens: Et vocauit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contriuit. Miſit ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Hęc duo, id eſt, vel gratia Dei, vel liberum arbitrium, ſibi quidem inuicem videntur aduerſa, ſed vtraque concordant, & vtraque nos pariter debere ſuſcipere pietatis ratione colligimus, ne vnum horum homini ſubtrahẽtes eccleſiaſticæ fidei exceſſiſſe regulam videamur. Nam cum viderit nos Deus ad bonũ velle deflectere; occurrit, dirigit, ac confortat: Ad voce enim clamoris tui, ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi; Et inuoca me, inquit, in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & glorificabis me. Et rurſus ſi nos nolle, vel intepuiſſe perſpexerit, adhortationes ſalutiferas admouet cordibus noſtris, quibus voluntas bona vel formetur vel reparetur in nobis.

*Gen.45.* *Ibid.* *Gen.50.* *Pſal.104.* *Eſai.30.* *Pſal.49.*

*Quod voluntas bona nec ſemper gratia, nec ſemper ſit homini tribuenda. Cap. XII.*

NEc enim talem Deus hominem feciſſe credendus eſt, qui nec velit vmquam, nec poſſit bonum. Alioquin nec liberum ei permiſit arbitrium, ſi ei tantummodo malum vt velit & poſſit, bonum vero a ſemetipſo nec velle nec poſſe conceſſit. Et quomodo ſtabit illa Domini poſt præuaricationem primi hominis lata ſententia: Ecce Adam factus eſt ſicut vnus ex nobis, ſciens bonum & malum? Non enim talis ante fuiſſe putandus eſt, qui boni eſſet prorſus ignarus: alioquin velut quoddam irrationabile atque inſenſatum animal eum fatendum eſt fuiſſe formatum. Quod ſatis abſurdum atque a catholica fide omnimodis

*Gen.3.*

eſt

est alienum. Quinimmo secundũ sapientissimi Salomonis
*Eccls. 7. sec. lxx.* sententiam: Fecit Deus hominem rectum, id est, vt tantummodo
*Ibid.* boni scientia iugiter frueretur; sed ipsi quæsierunt cogitationes multas; facti enim sunt (vt dictum est) scientes bonum & malum. Concepit ergo Adam post præuaricationem, quam non habuerat scientiam mali, boni vero quam acceperat non amisit. Denique nõ amisisse genus humanũ post pręuaricationem Adæ sciẽtiam boni, etiã Apo-
*Rom. 2.* stoli sententia euidẽtissime declaratur, qua dicit: Cũ enim gentes, quę legem nõ habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt; hi legẽ non habẽtes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum. Quo sensu etiam Dominus per propheram increpat Iudæorum non naturalem, sed voluntariam cæcitatem, quam sibi ipsi contumaciter
*Esai. 42.* inferebant: Surdi, inquit, audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis surdus nisi seruus meus, & cæcus nisi ad quem nuntios meos misi? Et ne forte hanc eorum cæcitatẽ aliquis naturæ nõ voluntati possit adscribere, alibi aitt:
*Esai. 43.* Educ foras populum cæcum & oculos habentem, surdum
*Hiere. 5.* & aures ei sunt. Et iterum: Qui habentes, inquit, oculos non videtis, & aures & non auditis. Dominus etiã in Euan-
*Mat. 13.* gelio: Quia videntes, inquit, non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia
*Act. 28.* Esaiæ, dicentis: Auditu audietis & non intelligetis, & vi-
*ex Esai. 6* dentes videbitis & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos concluserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem illos. De-
*Luc. 12.* nique vt possibilitatem boni eis inesse signaret, increpans Pharisæos: Quid autem, inquit, etiam ex vobis ipsis non iudicatis, quod iustũ est? Quod vtique eis non dixisset, nisi eos iudicio naturali id, quod æquum est, scisset posse discernere. Vnde cauẽdum est nobis, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi quod malum atque peruersum est naturæ adscribamus humanæ. In quo quidẽ sapientissimi Salomonis, immo Domini cuius hæc verba sunt, testimonio confutamur. Ita enim cum consummata
*3. Reg. 8.* templi extructione oraret effatus est. Voluitq. Dauid pater meus



meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel, & ait Dominus ad Dauid patrem meum: Quòd cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo; bene fecisti hoc ipsum mente pertractans, verumntamen non tu ędificabis domum nomini meo. Hæc ergo cogitatio atque iste tractatus regis Dauid, vtrum ne bonus & ex Deo, an malus & ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona & ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo, a quo inspirata est, eidem negatur effectus? Si autem mala & ex homine fuit, cur laudatur a Domino? Restat ergo vt & bona & ex homine fuisse credatur. In quem modum etiam nostras quotidie cogitationes possumus iudicare. Neque enim aut soli Dauid bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis ne quid boni vmquam sapere aut cogitare possimus naturaliter denegatur. Dubitari ergo non potest inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementũ perfectionis peruenire nõ potuerunt, quia secundũ beatum Apostolũ, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed *1. Cor. 3* qui incrementum dat Deus. Adiacere autem homini in quamlibet partem arbitrij libertatem etiam liber ille, qui *Liber Pastoris.* dicitur Pastoris apertissime docet, in quo duo angeli vnicuique nostrum adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus, in hominis vero optione consistere, vt eligat quem sequatur. Et idcirco manet in homine liberum semper arbitriũ, quo gratiam Dei possit vel negligere, vel amare. Nõ enim præcepisset Apostolus, dicens: Cum metu & tremore ve- *Philip. 2.* stram salutem operamini; nisi sciisset eam vel excoli a nobis posse vel negligi. Sed ne crederent se ad opus salutis *Ibid.* diuino auxilio non egere, subiungit: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Et idcirco Timotheum monens; Noli, inquit, negligere gra- *1. Tim. 2.* tiam Dei quæ est in te. Et iterum: Ob quam causam mo- *2. Tim. 1.* neo te: vt resuscites gratiã Dei quæ est in te. Inde est quòd etiam Corinthijs scribens hortatur & commonet, ne indignos se gratia Dei infructuosis operibus exhiberẽt, dicens: *2. Cor. 6.* Adiuuantes autem & obsecramus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quam sine dubio quia in vacuum receperat Simon, non profuit ei perceptio gratiæ salutaris. Nõ enim præceptis beati Petri maluit obedire dicentis: Pœniten- *Act. 8.* tiam age ab hac nequitia tua, & ora Deum si forte remittatur

tatur tibi hæc cogitatio cordis tui; in felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Præuenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini, de qua dicitur: Deus meus, misericordia eius præueniet me. Et rursus Dominum, remorantem atque vtiliter quodammodo subsistentem, vt nostrum experiatur arbitrium, voluntas præuenit nostra, cū dicitur: Et mane oratio mea præueniet te. & iterū: Præueni in maturitate & clamaui. &: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. Aduocat etiam nos & inuitat cum dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem mihi & contradicentem. Et inuitatur a nobis cum dicimus ei: Tota die expandi manus meas ad te. Expectat nos cum dicitur per prophetam: Propterea expectat Dominus vt misereatur nostri. Et expectatur a nobis, cum dicimus: Expectans expectaui Dominum, & intendit me. &: Expectabam salutare tuum Domine. Confortat nos cum dicit: Et ego erudiui & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam. Et vt nosmetipsos confortemus, hortatur cum dicit: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Clamat Iesus: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Clamat etiam ad eum Propheta: Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum. Quærit nos Dominus, dicens: Quæsiui & non erat vir, vocaui & non erat qui responderet. Quæritur & ipse a sponsa flebiliter conquerente: In cubili meo in noctibus quæsiui, quem dilexit anima mea, quæsiui eum, & non inueni, vocaui eum, & non respondit mihi.

*Psal. 58.* *Psal. 87.* *Psal. 118.* *Ibid.* *Rom. 10.* *ex Esai. 65.* *Psal. 87.* *Esai. 30.* *Psal. 39.* *Psal 117.* *Osee. 7.* *Esai. 35.* *Ioan. 7.* *Psal. 68.* *Esai. 50.* *Cantic. 5. sec. lxx.*

*Quod gratia Dei, humani conatus compensare non possint. Cap. XIII.*

ET ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque illud in omnibus adiuuat, protegit ac defendit, vt nonnumquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat vel expectet, ne penitus dormienti aut inerti otio dissoluto, sua videatur dona conferre, occasiones quodammodo quærens, quibus humanæ segnitiæ torpore discussio, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam sub colore cuiusdam desiderij ac laboris impartit, & nihilominus gratia Dei gratuita perseueret, dum exiguis quibusdam paruisq. conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate. Nec enim quia illius in cruce lationis præcesserat fides, idcirco pronuntiandum est non ei beatam commorationem paradisi gratuito esse promissam; aut pœnitentiam Dauid regis illam vnius verbi, qua dixit: Peccaui Domino; duo tam grauia eius crimina, & non potius clementiam Dei abstulisse credendum est, vt per Nathan prophetam mereretur audire: Et Dominus transtulit iniquitatem tuam, non morieris. Quòd igitur homicidium adulterio addidit, liberi vtique arbitrij fuit; quòd autem arguitur per prophetam diuinæ dignationis est gratia. Rursum quòd peccatū suum humiliatus agnoscit, propriæ libertatis est opus; quòd vero sub breuissimo temporis puncto indulgentiam tantorum criminum promeretur, Domini miserentis est donum. Et quid de hac tam breui confessione, & incomparabili diuinæ retributionis immensitate dicamus, cū beatus Apostolus ad illam magnitudinē futuræ remunerationis aspiciens, quid de illis tam innumeris persecutionibus suis pronuntiauerit considerare perfacile sit? Nam momentaneum hoc, inquit, & leue tribulationis nostræ supra modum vltra comparationem, æternum pondus gloriæ operatur in nobis. De quo & alibi cōstanter enuntiat, dicens: Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quantumlibet ergo enisa fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni par esse non poterit; nec ita laboribus suis diuinā imminuet gratiam, vt nō semper gratuita perseueret. Et idcirco prędictus magister gentiū, licet gratia Dei apostolatus gradū sortitū se fuisse testetur, dicēs: Gratia Dei sum, quod sum; tamē se quoque diuinæ gratiæ respondisse pronuntiat, dicens: Et gratia eius in me vacua nō fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui, nō autem ego, sed gratia Dei mecū. Nam cum dicit: Laboraui, conatum proprij signat arbitrij. Cum dicit: Non autē ego, sed gratia Dei, virtutem diuinæ protectionis ostendit. Cum dicit: Mecum, non otioso neque securo, sed laboranti ac desudanti eam cooperatam fuisse declarat.

*Luc. 23.* *2. Reg. 12.* *Ibid.* *2. Cor. 4.* *Rom. 8.* *1. Cor. 15.* *Ibid.*

*Quod tentationibus suis Deus virtutem humani experiatur arbitrij. Cap. XIV.*

QVod etiam in Iob probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam. Si enim contra inimicum

cum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, & absque vlla virtute patientiæ suæ diuina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles & exitia pertulisset, quomodo non illam calumniosam diabolus, quam
*Iob. 1. sec. lxx.* prius emiserat, vocem aduersus eum iustius iterasset: Numquid gratis Iob colit Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum eius, & vniuersam substantiam eius per circuitum? Sed auser manum tuam, id est, sine eum suis mecum viribus decertare; nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cum nullam eiuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur; licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem, non eum ab illius impugnatione sic protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum, sed hoc tantum procurans, ne violentissimus inimicus animam eius amentem faciens, & impotem sensu, impari eum atque iniquo certaminis pondere prægrauaret. Quòd ergo soleat interdum tentare Dominus fidem nostram, vt fortior vel glorioſior fiat, euangelici illius Centurionis edocemur exẽplo, cuius puerum cum sciret vtique potestate sermonis sui se Dominus curaturum, offerre maluit præsentiam corpo-
*Matth. 8.* ralem, dicens: Ego veniam, & curabo eum. Sed illo hanc eius oblationem feruentioris fidei flagrantia supergredien-
*Ibid.* te atque dicente: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed dic tãtum verbo, & sanabitur puer meus; miratur eum Dominus atque collaudat, cunctisq. illis qui
*Ibid.* ex Israelis populo crediderant præfert, dicens: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donauerat, prætulisset. alioquin dixisset: Non dedi tantam fidem in Israel. Quam explorationem fidei etiam in illo magnificẽtissimo patriarcha diuinam legimus dispensasse iustitiam,
*Gen. 22.* cum dicitur: Et factum est post hæc verba, tentauit Deus Abraham. Non enim illam fidem, quam ei Dominus inspirarat, sed illam, quã vocatus semel atque illuminatus a Domino, per arbitrij libertatem poterat exhibere, experiri voluit diuina iustitia. Vnde non immerito fidei eius constantia comprobatur, atque ad eum subueniente gratia Dei, quę pau-



pauliſper eum ſubreliquerat vt probaret; ita dicitur: Ne in- *Ibid.*
feras manum tuam in puerum, neque facias ei quidquam; nunc enim scio, quia times Dominum tu, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Quod tentationis genus nobis quoque ad probationis meritum posse contingere, satis euidenter a legislatore in Deuteronomio prædicatur: Si sur- *Deut. 13.*
rexerit, inquit, inter vos propheta, aut qui somnium vidisse *sec. lxx.*
se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus & seruiamus dijs alienis quos ignoratis, ne audias verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentans tentat te Dominus Deus tuus, vtrum diligas eum in toto corde tuo, & custodias mandata illius, an non. Quid ergo? Cum istum propheram aut somniatorem surgere permiserit Deus, ita ne eos quorum fidem probare disponit protecturus esse credendus est, vt nullum penitus locum, quo suis viribus cum tentatore confligant, libero eorum reseruet arbitrio? Et quid eos necesse est vel tentari, quos ita infirmos nouit ac fragiles, vt nequaquam virtute sua valeant resistere tentatori? Sed vtique nec tentari eos iustitia Domini permisisset, nisi parem in eis resistendi scisset inesse virtutem, qua possent æquitatis iudicio in vtroque merito vel rei, vel laudabiles iudicari. Tale est illud quod ab Apostolo dicitur: Itaq. qui se existimat *1. Cor. 10*
stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendit nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione & exitum, vt sustinere possitis. Cum enim dicit: Qui stat, videat ne cadat, solicitam reddit arbitrij libertatem, quam vtique nouerat percepta gratia, vel stare per industriam, vel cadere per negligentiam posse. Cum autem infert: Tentatio vos non apprehendit nisi humana, infirmitatem eorum & inconstantiam necdum robustæ mentis exprobrat, qua adhuc spiritalium nequitiarum turbinibus non poterant impugnari, aduersum quos semetipsum vel illos perfectos nouerat quotidie dimicare, de quibus ad Ephesios dicit: Iam non *Ephes. 6.*
est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Cum vero subiungit: Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id, quod potestis, nõ vtique optat ne eos Dominus tentari permitteret, sed ne supra id,

quod

quod sustinere poterant tentarentur. Illud enim indicat humani arbitrij facultatem, hoc vero Domini gratiam tentationum luctamina moderantis ostendit. In his igitur omnibus approbatur ita semper diuinam gratiam arbitrium hominis incitare, vt illud non in omnibus taliter protegat ac defendat, vt non etiam proprijs eum conatibus congredi aduersum spiritales faciat inimicos, in quibus vel gratiam Dei victor, vel infirmitatem suam superatus intelligat, & ita discat non de sua fortitudine, sed de diuino semper sperare suffragio, atque ad suum iugiter recurrere protectorem. Et vt hoc non nostra coniectura, sed euidentioribus scripturæ adhuc testimonijs approbetur, illud quod in
*Iudic.3.* Iesu Naue legitur retractemus: Has, inquit, gentes dimisit Dominus, ac disperdere noluit, vt in eis experiretur Israelem, vtrum custodiret mandata Domini Dei sui, & haberent consuetudinem cum hostibus præliandi. Et vt incomparabili creatoris nostri clementiæ mortale aliquid, non pro pietatis æqualitate, sed ex aliqua indulgentiæ similitudine comparemus, Si nutrix pia atque solicita diu sinu paruulum gestat, vt quandoque ingredi doceat, & primum quidem eum reptare permittit, dehinc erectum vt alternis passibus innitatur, dextræ suæ virtute sustentat, mox paululum derelictum, si titubantem viderit, protinus apprehendit, nutãtem suscipit, lapsum erigit, & vel arcet a casu, vel etiam decidere leuiter sinens, eleuat post ruinam; cum autem eum ad pueritiam vel adolescentiæ ac iuuentutis perduxerit robur, quædam etiã pondera vel labores, quibus nõ opprimatur, sed exerceatur iniungit, & cum æmulis decertare permittit: quanto magis cælestis ille omnium pater nouit, quẽ sinu gratiæ suæ gestet, quem liberæ volũtatis arbitrio in conspectu suo exerceat ad virtutem, & tamen adiuuat laborantem, exaudit vocantem, non relinquit quærentem, eripit de periculo interdum etiam nescientem?

*De multiplici vocationum gratia. Cap. XV.*

*Rom.11.* PEr quæ euidenter ostenditur, inscrutabilia esse iudicia Dei, & inuestigabiles vias eius, quibus ad salutem humanum attrahit genus. Quod etiam euangelicarum vo-
*Matt.4.* cationũ exemplis possumus approbare. Andream namque ac Petrum ceterosq. Apostolos, nihil de salutis suæ remedio cogitantes, spontanea gratiæ suæ dignatione prælegit.
*Luc.18.* Zacchæum ad cõspectum se Domini fideliter extendẽtem, &



& exiguitatem staturæ suæ sycomori celsitudine subleuãtem, non solum suscipit, verumetiam benedictione cohabitationis illustrat. Inuitũ ac repugnantẽ attrahit Paulum. *Act.9.* Alium ita præcipit sibi insepar abiliter inhærere, vt ei po- *Matth.8.* stulanti breuissimas pro sepultura patris nõ concedat inducias. Cornelio precibus & eleemosynis iugiter insistenti, *Act.10* velut remunerationis vice via salutis ostenditur, eiq. angeli visione præcipitur, vt accersiens Petrum verba salutis ab eo, quibus vna cum omnibus suis saluaretur, agnoscat. Et ita multiformis illa sapientia Dei, salutem hominũ multiplici atque inscrutabili pietate dispensat, ac secũdum capacitatẽ vniuscuiusque, gratiã suæ largitatis impertit, vt ipsas quoque curationes nõ secundũ vniformem maiestatis suæ potentiã, sed secundum mensurã fidei, in qua vnumquẽque reperit, vel sicut vnicuique ipse partitus est, maluerit exercere. Credentẽ namque quòd ad emundationẽ lepræ suæ voluntas Christi sola sufficeret, solo voluntatis suæ curauit assensu, dicẽs: Volo, mundare. Alteri deprecan- *Matth.8.* ti, vt adueniens per impositionem manus suæ defunctam *Matth.9.* filiã suscitaret, ingressus domum eius, eodem modo quo ille sperauerat, id quod rogabatur indulsit. Alij credenti summã salutis in verbi eius præceptione consistere, ac respondenti: Dic tantum verbo, & sanabitur puer meus, per ser- *Matth.8.* monis imperium resolutos artus pristino robore solidauit, dicens. Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Alijs de tactu fim- *Ibid.* briæ eius sperantibus medicinã, vbertim sanitatis dona lar- *Matth.9* gitus est. Aliorum morbis medelam rogatus indulsit. Alijs spontaneã præstitit medicinã. Alios hortatus est vt sperarent, dicẽs: Vis sanus fieri? Alijs non sperantibus vltro in- *Ioan.5.* gessit auxilium. Aliorum desideria priusquàm voluntati eorũ satisfaceret explorauit, dicẽs: Quid vultis vt faciã vo- *Matt.20.* bis? Alij ignoranti viã qua id quod concupierat obtineret, benignus ostendit: Si credideris, inquiens, videbis gloriam *Ioan.11.* Dei. Inter alios ita virtutẽ curationum affluenter effudit, vt de eis Euangelista commemoret: Et curauit omnes lan- *Matt.14* guidos eorum. Inter alios vero immensa illa Christi beneficiorum abyssus ita obturata est, vt dicatur: Et non poterat *Marc.6.* inter illos Iesus virtutes facere propter incredulitatem illorum. Et ita largitas Dei secundum capacitatem humanæ fidei etiam ipsa formatur, vt huic quidem dicat: Secun- *Matth.9* dum fidem tuam fiat tibi; illi vero: Vade, sicut credidisti *Matth.8*

*Luc. 8.* fiat tibi ; alij autem : Fiat tibi sicut vis. & rursum alteri: Fides tua te saluum fecit.

*Quod gratia Dei humanæ fidei transcendat angustias. Cap. XVI.*

NEmo autem existimet hæc a nobis ob hoc fuisse prolata, vt nitamur adstruere summã salutis in nostræ fidei ditione consistere, secundum quorundam profanã opinionem, qui totum libero deputantes arbitrio, gratiam Dei dispensari secundum meritum vniuscuiusque definiunt. Sed absoluta plane pronuntiamus sententia, etiam exuberare gratiam Dei, & transgredi humanæ interdum infidelitatis angustias. Quod in illo euangelico factum regulo reminiscimur, qui dum facilius credit ægrotantem filium suum posse curari, quàm mortuum suscitari, præsentiam Domi-
*Ioan. 4.* ni festinus implorat, dicens: Domine descende, priusquam
*Ibid.* moriatur filius meus. Cuius infidelitatem licet his sermonibus Christus arguerit: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis; tamen non secundum infirmitatem fidei eius gratiam suæ diuinitatis exercuit, nec præsentia corporali quemadmodum ille crediderat letales febrium morbos,
*Ibid.* sed verbo suæ potestatis excluſit, dicens: Vade, filius tuus viuit. Quam superabundantiam gratiæ, etiam in illius paralytici curatione Dominum legimus effudisse, cum ei languoris sui tantum, quo corpus fuerat resolutum reme-
*Matth. 9* dia deposcenti, animæ prius sospitatẽ ingerit, dicens: Constans esto fili, dimittuntur tibi peccata tua. Post quod non credentibus Scribis posse eum humana peccata remittere, ad confundendam incredulitatem eorum, etiam membra eius paralyseos valitudine resoluta, potestatis suæ sermone
*Ibid.* restrinxit, dicens: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere, Remittuntur tibi peccata; an dicere, Surge, & ambula? Vt sciatis autẽ quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.
*Ioan. 5.* Similiter autem in illo, qui triginta & octo annos iuxta natatoriæ crepidinem frustra decumbens, de aquæ illius motu sperauerat medicinam, munificentiam vltroneæ largitatis ostendit. Nam cum volens eum ad salutis remedia prouocare, dixisset ei: Vis sanus fieri? Cumque ille de humani
*Ibid.* adiutorij inopia quereretur, ac diceret: Hominẽ nõ habeo, vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam; incredulitati



dulitati eius & ignorantiæ veniam tribuens, pristinæ eum sanitati, non illa qua sperauerat via, sed qua Dominus voluit miseratione restituit, dicens: Surge, tolle lectum tuum, *Ibid.* & vade in domum tuam. Et quid mirum si hæc Domini potestate gesta narrentur, cum similia etiam per seruos suos diuina gratia fuerit operata? Ingredientibus namque tem- *Act. 3.* plũ Petro & Ioanne, cũ ille qui claudus ex vtero matris gressum penitus ignorabat, eleemosynam postularet; illi non vilia æra, quæ poscebat infirmus, sed gressus officia largiuntur, & paruissimæ stipis sperantem solatia, insperatæ salutis præmijs locupletant, dicente Petro: Argentum & *Ibid.* aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni, surge, & ambula.

*De inscrutabili dispensatione Dei. Cap. XVII.*

PEr hæc igitur exempla, quæ de euangelicis protulimus monumentis, euidentissime poterimus aduertere, diuersis atque innumeris modis & inscrutabilibus vijs, Deum salutem humani generis procurare, quorundam quidem volentium & sitientium cursum ad maiorem incitare flagrantiam, quosdam vero etiam nolentes inuitosq. compellere, & nunc quidem vt impleantur ea quæ vtiliter a nobis desiderata perspexerit adiuuare, nunc vero etiam ipsius sancti desiderij inspirare principia, & vel initium boni operis, vel perseuerantiam condonare. Inde est quòd orantes non solum protectorem ac saluatorem, sed etiam adiu-
torem ac susceptorem Dominũ proclamamus. In eo enim *Psal. 118* quòd prior aduocat, & ignorantes nos atque inuitos attrahit ad salutem, protector atque saluator est; in eo autem *Psal. 17.* quòd nobis annitentibus opem ferre, refugientesq. susci- *& 24.* pere ac munire consueuit, susceptor ac refugium nominatur. Denique hanc dispensationis Dei multiplicem largitatem, beatus Apostolus mente perractans, & in quoddam immensum atque interminabile pietatis Dei pelagus se incidisse conspiciens, exclamauit: O altitudo diuitiarũ *Rom. 11.* sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? Huius ergo scientiæ admirationem, quam talis ac tantus ille gentium magister expauit, euacuare conabitur quisque crediderit illius inæstimabilis abyssi profunditatem humana se posse ratione metiri. Nam qui ad plenum dispensationes Dei, quibus salutem in hominibus

Universidad de Deusto
Biblioteca



operatur, vel mente concipere, vel disserere se posse confidit, proculdubio impugnãs apostolicæ sententiç veritatẽ, scrutabilia esse Dei iudicia, & vestigabiles vias eius, profana pronuntiabit audacia, ipso quoque Domino hæc
*Esai. 55.* ad eos ita testante: Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus, quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a vijs vestris, & cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Hanc igitur dispensationẽ atque amorem suum, quem nobis tribuere Dominus indefessa pietate dignatur, volens motu humanæ affectionis exprimere, nec inueniens in hac creatura talem charitatis affectum, cui eum comparare dignius posset, tenerrimis piæ matris visceribus comparauit; & vtitur quidem hoc exemplo, quia carius aliud in na-
*Esai. 49.* tura hominum inueniri non potest, dicens: Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio
*Ibid.* vteri sui? Sed non contentus hac comparatione, transcendit eam confestim atque subiungit, dicens: Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.

### *Definitio patrum eo quod liberum arbitrium ad saluandum non sit idoneum. Cap. XVIII.*

PER quod euidenti ratione colligitur ab his, qui non loquacibus verbis, sed experientia duce, vel magnitudinem gratiæ, vel modulum humani metiuntur arbitrij, quia non leuibus cursus, nec fortibus prælium, nec sapientibus panis, nec prudentibus diuitiæ, nec scientibus gratia;
*1.Cor.12* sed operatur hæc omnia vnus atque idem spiritus, diuidens vnicuique prout vult. Et idcirco fide non dubia, &, vt ita dicam palpabili experientia comprobatur, vniuersitatis Deũ velut pijssimum patrem benignissimumq. medicũ, secundum Apostolum, indifferenter omnia in omnibus operari,
*Ibid.* & nunc quidem salutis inspirare principia, & inserere vnicuique bonæ voluntatis ardorẽ, nunc vero ipsius operationis effectum & consummationẽ donare virtutum, & nunc a ruina iam proxima lapsuq. præcipiti etiam inuitos & inscios reuocare, nunc autem occasiones & oportunitates salutis ingerere, ac præcipites violentosq. conatus a letalibus dispositionibus inhibere, & alios quidem volentes currentesq. suscipere, alios vero nolentes renitentesq. pertrahere, & ad bonam cogere voluntatem. Totum vero non semper resistentibus nec perseueranter inuitis nobis a diuinitate



diuinitate concedi, & summam salutis nostræ, non operũ nostrorum merito, sed cælesti gratiæ deputandam, ita Domini ipsius vocibus edocemur: Et recordabimini viarum *Ezech.12*
vestrarum, & omnium scelerum vestrorum quibus polluti estis in eis, & displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitijs vestris quas feciſtis, & scietis quia ego Dominus cum benefecero vobis propter nomen meum, non secundum vias vestras malas neque secundum scelera vestra pessima domus Israel. Et idcirco hoc ab omnibus catholicis patribus definitur, qui perfectionem cordis non inani disputatione verborum, sed re atque opere didicerunt diuini esse muneris; primum, vt accendatur vnusquisque ad desiderandum omne, quod bonum est, sed ita vt in alterutrã partem plenum sit liberæ voluntatis arbitriũ. Itemque etiam secundum, diuinæ esse gratiæ, vt effici valeant exercitia prædicta virtutum, sed ita vt possibilitas non extinguatur arbitrij. Tertium quoque, ad Dei munera pertinere, vt acquisitæ virtutis perseuerantia teneatur, sed ita vt captiuitatem libertas addicta non sentiat. Sic enim vniuersi- *1.Cor.12*
tatis Deus omnia in omnibus credendus est operari, vt inciet, protegat & confirmet, non vt auferat quam semel ipse concesſit arbitrij libertatem. Si quid sane versutius humana argumentatione collectum, huic sensui videtur obsistere, vitandum magis est, quàm ad destructionem fidei prouocandum. Non enim fidem ex intellectu, sed intellectum meremur ex fide, sicut scriptum est: Nisi credide- *Esai.7.*
ritis, non intelligetis. quia quemadmodum & Deus omnia *sec. lxx.*
operetur in nobis, & totum libero adscribatur arbitrio, ‡cui dicitur: Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt *Esai. 1*
terræ manducabitis,] ad plenum humano sensu ac ratione *Hæc ab-*
non potest (vt arbitror) comprehendi. Hoc nos beatus Chę- *sunt.*
remon confirmatos cibo laborem fecit tam inuij itineris *a v.c.*
non sentire.

## *COLLATIONIS TERTIAE abbatis Chæremonis de Protectione Dei, Finis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

# COLLATIO XIV. QVAE EST PRIMA ABBATIS NESTEROTIS

## DE SPIRITALI SCIENTIA.

*Verba Abbatis Nesterotis de religiosorum scientia. Cap. I.*

SPONSIONIS nostræ & itineris ordo conpellit, vt abbatis Nesterotis, præclari in omnibus summæq. scientiæ viri, institutio subsequatur. Qui cum sacrarum scripturarum nos aliqua memoriæ commendasse, & eorum intelligentiam desiderare sensisset, talibus nos adorsus est verbis. Multa quidem scientiarum in hoc mundo sunt genera; tãta si quidem earum quanta & artium disciplinarumq. varietas est. Sed cum omnes aut omnino inutiles sint, aut præsentis tantum vitæ commodis prosint, nulla est tamen quæ non habeat proprium doctrinæ suæ ordinem ac rationem, per quam ab expetentibus possit attingi. Si ergo illæ artes ad insinuationem sui certis ac proprijs lineis diriguntur, quanto magis religionis nostræ disciplina atque professio, quæ ad contemplanda inuisibiliũ sacramẽtorum tendit arcana, nec præsentis quæstus, sed æternorũ retribuitionem expetit præmiorum, certo ordine ac ratione subsistat? Cuius quidẽ duplex est scientia. Prima πρακτικὴ, id est, actualis, quæ emendatione morum, & vitiorum purgatione perficitur: altera θεωρητικὴ, id est, quæ in contemplatione diuinarum rerum & sacratissimorum sensuum † cognitione consistit.

† al. cogitatione.

*De apprehendenda spiritalium rerum cognitione. Cap. II.*

QVisquis igitur ad theoreticen voluerit peruenire, necesse est vt omni studio atque virtute actualem primum scientiam consequatur. Nam hæc quidẽ absque theoretice possideri potest, theoretice vero sine actuali omnimodis apprehendi non potest. Gradus enim quidam ita sunt ordinati atque distincti, vt his humilitas humana possit ad sublime conscendere: qui si inuicem sibi ea qua diximus ratione succedant, potest ad altitudinem perueniri, ad quã sublato primo gradu non poterit transuolari. Frustra igitur ad conspectum Dei tendit, qui vitiorum contagia non declinat: Spiritus namque Dei effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Sap. 1.*



*Quod actualis perfectio duplici ratione subsistat. Cap. III.*

HAec autẽ actualis perfectio duplici ratione subsistit. Nam primus eius est modus, vt omnium natura vitiorum & curationis ratio cognoscatur. Secundus, vt ita discernatur ordo virtutum, earumq. perfectione mens nostra formetur, vt illis non iam velut coacta, & quasi violento imperio subdita famuletur, sed tãquã naturali bono delectetur atque pascatur. & arduã illam atque angustã viam cum oblectatione conscendat. Quo enim modo, vel virtutũ rationem, qui secundus in actuali disciplina gradus est, vel rerum spiritalium & cęlestium sacramenta, quæ in theoreticæ gradu sublimiore consistunt, valebit attingere, qui naturam vitiorum suorum nec potuit intelligere, nec nisus est extirpare? Consequenter enim pronuntiabitur progredi ad excelsiora non posse, qui non euicerit planiora; multoq. minus ea, quæ sunt extrinsecus apprehender, quisque intelligere ea, quæ sibi sunt inserta non quiuerit. Sciendum tamen est duplici nobis laboris intentione sudãdum in expellendis vitijs, quãmin virtutibus acquirendis. Et hoc non nostra capiamus coniectura, sed illius sententia predocemur, qui solus opificij sui vires rationemq. cognoscit: Ecce inquit, constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. In expulsione enim noxiarum rerum quattuor esse necessaria designauit, idest, euellere, destruere, disperdere, dissipare. In perficiendis vero virtutibus, & his quæ ad iustitiam pertinent acquirendis, ędificare tantummodo atque plantare. Vnde liquido patet difficilius euelli ac destrui corporis animęq. passiones, quam spiritales extrui plantariq. virtutes. *Hiere. 1.*

*Quod actualis vita erga multas professiones ac studia deriuetur. Cap. IV.*

HAec igitur practice, quę duobus, vt dictum est, modis subsistit, erga multas professiones studiaq. diuiditur. Quidã enim summam intẽtionis suę erga eremi secreta, & cordis constituunt puritatem, vt in pręteritis Eliam &

Eliſæum, noſtrisq. temporibus beatum Antoniũ, aliosq. eiuſdem propoſiti ſectatores, familiariſſime Deo per ſolitudinis ſilentium cohæſiſſe cognoſcimus. Quidam erga inſtitutionem fratrum, & peruigilem cœnobiorum curam, omnem ſtudij ſui ſolicitudinem dediderunt, vt nuper abbatem Ioannem, qui in vicinia ciuitatis cui nomen eſt Thmuis, grandi cœnobio præfuit, ac nonnullos eiuſdẽ meriti viros, apoſtolicis etiam ſignis meminimus claruiſſe.

*Gen. 18.* Quoſdam xenodochij & ſuſceptionis pium delectat obſequium, per quod etiam in præteritis Abraham patriarchã:
*Gen. 19.* & Lot Domino placuiſſe ſcimus, & nuper beatum Ma-
*Hebr. 13* carium ſingularis manſuetudinis ac patientię virum, qui xenodochio ita apud Alexandriam præfuit, vt nulli eorum qui ſolitudinis ſunt ſecreta ſectati, inferior ſit credendus. Quidam eligentes ægrotantium curam, alij interceſſionẽ quæ pro miſeris atque oppreſſis impenditur exequentes, aut doctrinę inſtantes, aut eleemoſynas pauperibus largientes, inter magnos ac ſummos viros, pro affectu ſuo ac pietate viguerunt.

*De profeſſionis arreptæ perſeuerantia. Cap. V.*

QVapropter hoc vnicuique vtile atque cõueniens eſt, vt ſecundum propoſitum, quod elegit, ſiue gratiam quam accepit, ſummo ſtudio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire feſtinet, & aliorum quidem laudans admiransq. virtutes, nequaquam a ſua quam ſemel elegit profeſſione diſcedat; ſciens ſecundum Apoſtolum,
*Rom. 12.* vnum quidem eſſe corpus Eccleſiæ, multa autẽ membra, & habere eam donationes ſecundum gratiam, quæ nobis data eſt, differentes, ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, ſiue qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in
*1. Cor. 12* hilaritate. Nec enim vlla membra aliorum ſibi membrorum poſſunt miniſteria vindicare, quia nec oculi manum, nec nares aurium vtuntur officio; & idcirco non, omnes Apoſtoli, non omnes prophetæ, non omnes doctores, non omnes gratias habent curationum, non omnes linguis loquuntur, non omnes interpretantur.

*De infirmorum mobilitate. Cap. VI.*

SOlent enim hi, qui necdum ſunt in illa quamarripuerunt profeſſione fundati, cum audierint quoſdam in diuerſis



uerſis ſtudijs ac virtutibus prædicari: ita eorum laude ſuccendi, vt imitari eorum protinus geſtiant diſciplinam; in quo irritos neceſſario impẽdit conatus humana fragilitas. Impoſſibile namque eſt vnum eundemq. hominẽ ſimul vniuerſis, quas ſuperius comprehendi, fulgere virtutibus. Quas ſi quis voluerit pariter affectare, in id eum incidere neceſſe eſt, vt dum omnes ſequitur, nullam integre conſequatur, magisq. ex hac mutatione ac varietate diſpendiũ capiat, quàm profectum. Multis enim vijs ad Deum tenditur, & ideo vnuſquiſque illam, quam ſemel arripuit, irreuocabili curſus ſui intentione conficiat, vt ſit in qualibet profeſſione perfectus.

*Exemplum caſtitatis cuiuſdam, quo docetur non omnia ab omnibus æmulanda. Cap. VII.*

ABſque illo namque diſpendio quo feriri monachum diximus, qui mobilitate mentis ad ſtudia cupit tranſire diuerſa, etiam hinc periculum mortis incurritur, quod nonnumquam recte quædã ab alijs geſta, malo ab alijs præſumuntur exemplo, & quæ nonnullis bene ceſſerunt, pernicioſa ab alijs ſentiuntur (vt quiddã exempli gratia proferamus) velut ſi quis illam viri illius imitari virtutem velit, quam ſolet abbas Ioannes, non ad immitationis formulam ſed tantummodo pro admiratione proferre. Nam quidam veniens ad prædictum ſenem habitu ſæculari, cum ei quaſdam frugum ſuarum primitias detuliſſet, ferociſſimo quendam dæmonio arreptũ ibidem reperit. Qui cũ abbatis Ioãnis obteſtationes ac præcepta deſpiciens, teſtaretur ſe numquam ad illius imperiũ de corpore, quod obſederat migraturũ, huius aduentu perterritus, cum reuerentiſſima nominis illius inclamatione diſceſſit. Cuius tam euidentem gratiã ſenex non mediocriter admiratus, eoq. amplius obſtupeſcens, quòd eum habitu cerneret ſæculari, cœpit ab eo vitæ ac profeſſionis eius ordinẽ diligenter inquirere. Cũque ille ſæcularẽ ſe atque vxorio vinculo colligatum eſſe dixiſſet beatus Ioannes excellentiam virtutis eius & gratiæ mẽte pertractans, quænam illi eſſet conuerſatio attentius explorabat. Ille ſe ruſticum, & quotidiano manuum opere victum quærere, nec vllius boni eſſe ſe cõſcium teſtabatur, niſi quòd numquam ad ruris opera mane exercenda procederet, neque veſpere domũ reuerteretur, niſi in eccleſia pro quotidianæ vitæ commeatu, largitori eius Deo gratias retuliſſet

Universidad de Deusto
Biblioteca



tulisset; neque se vmquam de fructibus suis aliquid vsurpasse, nisi prius Deo primitias eorum ac decimas obtulisset, & numquam se boues suos per alienæ messis traduxisse confinium, nisi eorum prius ora clausisset, ne vel parũ damni per incuriam eius proximus sustineret. Et cum hæc quoque abbati Ioanni necdum ad comparationem tantæ gratiæ, qua eum sibi prælatum esse cernebat, idonea viderentur, atque ab eo quidnam esset illud, quod tantæ gratię meritis conferri posset scisitans scrutaretur, ille reuerentia tam solicitæ inquisitionis adstrictus, vxorem se parentum vi imperioq. compulsum, cum profiteri monachum vellet, ante vndecim annos accepisse confessus est, quam nemine etiam nunc conscio sororis loco a se virginem custodiri. Quod factum cum audisset senex, tanta est admiratione permotus, vt coram ipso publice proclamaret: Non immerito dæmonem, qui se despexerat, illius non toleraſſe præsentiam, cuius ipse virtutem non solum in iuuentutis ardore, sed ne nunc quidem sine discrimine castitatis auderet appetere. Quod factum abbas Ioannes licet
*al. protulerit.* summa admiratione† prætulerit, tamen neminem monachorum vt experiretur hortatus est, sciens multa recte ab alijs gesta, magnam alijs imitantibus intulisse perniciem, nec vsurpari ab omnibus posse, quod paucis Dominus speciali munere contulisset.

### *De spiritali scientia. Cap. VIII.*

SEd ad expositionem scięntiæ, de qua sumptum est sermonis exordiũ, reuertamur. Itaque, sicut superius diximus, practice erga multas professiones ac studia deriuatur. Theoretice vero in duas diuiditur partes, id est, in historicam interpretationem, & intelligentiam spiritalem. Vnde etiã Salomon cum Ecclesiæ multiformẽ gratiam enumerasset,
*Prou. 31. sec. lxx.* adiecit: Omnes enim qui apud eam sunt, vestiti sunt dupliciter. Spiritalis autem scientiæ genera sunt tria. Tropologia, Allegoria, Anagoge; de quibus in Prouerbijs ita dicitur:
*Prou. 22. sec. lxx.* Tu autem describe tibi ea tripliciter, super altitudinẽ cordis tui. Itaque historia præteritarũ ac visibilium agnitionem complectitur rerum, quæ ita ab Apostolo replicatur: Scriptum est enim, quia Abraham duos filios habuit,
*Galat. 4. Gen. 16. & 21.* vnum de ancilla, & alium de libera. sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem. Ad allegoriam autem pertinent quæ sequũtur,
quia



quia ea, quæ in veritate gesta sunt, alterius sacramenti formam præfigurasse dicuntur: Hæc enim, inquit, sunt duo te- *Galt. 4.*
stamenta: vnum quidem de monte Sina, in seruitutem generans, †quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui *al. quæ*
cõparatur huic, quæ nunc est Hierusalẽ, & seruit cum filijs suis. Anagoge vero de spiritalibus mysterijs ad sublimio- *Ibid.*
ra quædã & sacratiora cælorum secreta conscendens, ab Apostolo ita subijcitur: Quæ autem sursum est Hierusalẽ, *Esai. 54.*
libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij desertæ, magis quàm eius, quæ habet virũ. Tropologia est moralis explanatio, ad emendationem vitæ & institutionem pertinens actualem: velut si hęc eadẽ duo testamenta intelligamus practicen & theoreticen disciplinam, vel certe si Hierusalem aut Sion animam hominis velimus accipere, secundum illud: Lauda Hierusalem *Psal. 147.*
Dominum, lauda Deum tuum Sion. Igitur prædictę quattuor figuræ in vnum ita si volumus confluunt, vt vna atque eadem Hierusalem quadrifariam possit intelligi: secundum historiam ciuitas Iudæorum, secundum allegoriam Ecclesia Christi, secundum anagogen ciuitas illa cælestis, quæ *Galat. 4.*
est mater omniũ nostrum; secundum tropologiam anima hominis quę frequenter hoc nomine aut increpatur, aut laudatur a Domino. De his quattuor interpretationũ generibus beatus Apostolus ita dicit: Nũc autẽ fratres, si venero *1. Cor. 14.*
ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scięntia, aut in prophetia, aut in doctrina? Reuelatio namque ad Allegoriam pertinet, per quam ea, quę tegit narratio historica, spiritali sensu & expositione reserantur; vt verbi gratia: Si illud aperire tente- *1. Cor. 10.*
mus, quemadmodum patres nostri omnes sub nube fuerint, & omnes in Mose baptizati sint in nube & in mari, & quemadmodum omnes eandem escam spiritalem manducauerint, & eundem spiritalem de consequenti petra biberint potum; petra autem erat Christus. Quę expositio
prę figurationi corporis & sanguinis Christi, quem quotidie sumimus comparata, Allegorię rationem continet. *1. Cor. 14.*
Scientia vero quę similiter ab Apostolo memoratur, Tropologia est, qua vniuersa quę ad discretionem pertinent actualem, vtrum vtilia vel honesta sint, prudenti examinatione discernimus, vt est illud; cum apud nosmetipsos iudi- *1. Cor. 11.*
care

Universidad de Deusto
Biblioteca



care præcipimur, vtrum deceat mulierem non velato capite orare Deum. Quæ ratio, vt dictum est, moralem continet intellectum. Item prophetia, quam tertio Apostolus intulit loco, Anagogen sonat, per quam ad inuisibilia ac futura sermo transfertur, vt est illud: Nolumus autem ignorare vos fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quoniam nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, nō præueniemus eos qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in iussu & in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgēt primi. Qua exhortationis specie Anagoges figura præfertur. Doctrina vero simplicem historicæ expositionis ordinem pandit, in qua nullus occultior intellectus, nisi qui verbis resonat, continetur, sicut est illud: Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, & quia visus est Cephæ. &: Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Siue illud: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.

*1.Thess.4*
*1.Cor. 15*
*Galat. 4.*
*Deut. 6.*

*Quod actuali scientia proficiatur ad spiritalem.*

*Cap. IX.*

QVapropter si vobis curæ est ad spiritalis scientiæ lumen, non inanis iactantiæ vitio, sed emundationis gratia peruenire, illius primum beatitudinis cupiditate flammamini, de qua dictum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; vt etiam ad illam scientiā peruenire possitis, de qua angelus ad Danielem ait: Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et in alio propheta: Illuminate vobis lumen scientiæ dum tempus est. Tenentes itaque illam quā habere vos sentio diligentiam lectionis, omni studio festinate actualem, id est, ethicam, quà primum ad integrum comprehendere disciplinam. Absque hac namque illa quam diximus theoretica puritas non poterit apprehendi, quam hi tantum qui non aliorum docētium verbis, sed proprio-

*Matth.5.*
*Dan. 12*
*Osee. 10.*
*sec. lxx.*

rum



rum actuum virtute perfecti sunt, post multa operum ac laborum stipendia, iam quasi in præmio consequuntur. Non enim a meditatione legis intelligentiam, sed de fructu operis acquirentes, cum psalmographo canunt: A mandatis tuis intellexi. Et excoctis passionibus vniuersis fiducialiter dicunt: Psallam & intelligam in via immaculata. Ille enim psallens intelligit quæ canuntur, qui in via immaculata gressu puri cordis innititur. Et idcirco si scientiæ spiritali sacrum in corde vestro vultis tabernaculum præparare, ab omni vos vitiorum contagione purgate, & curis sæculi præsentis exuite. Impossibile namque est animā quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, donum scientiæ promereri, vel generatricem spiritalium sensum, aut tenacem sacrarum lectionum fieri. Obseruate igitur in primis, & maxime tu Ioannes, cui magis ad custodienda hæc quæ dicturus sum, ætas adolescētior suffragatur, ne studium lectionis, ac desiderij tui labor, vana elatione cassetur, vt indicas summum ori tuo silentiū; hic est enim primus disciplinæ actualis ingressus: Omnis quippe labor hominis in ore ipsius; & vt omnium seniorū instituta atque sententias intento corde & quasi muto ore suscipias, ac diligenter in tuo pectore condens, ad perficienda ea potius quàm ad docenda festines. Ex hoc enim cenodoxiæ pernicioſa præsumptio, ex illo autē fructus spiritalis intelligentiæ pullulabunt. Nihil itaque in collatione seniorū proferre audeas, nisi quod interrogare te aut ignoratio nocitura, aut ratio necessariæ cognitionis impulerit, vt quidā vanæ gloriæ amore distenti: pro ostentatione doctrinæ, ea quæ optime norunt, interrogare se simulant. Impossibile est enim eum qui proposito acquirendæ laudis humanæ, studio lectionis insistet, donum veræ scientiæ promeriti. Nam qui hac passione deuinctus est, necesse est vt alijs quoque & maxime superbiæ vitijs obligetur, & ita in actuali atque ethica congressione prostratus, scientiam spiritalē quæ ex ea nascitur, minime consequetur. Esto ergo per omnia citus ad audiendum, tardus autem ad loquendum, ne cadat in te illud quod notatur a Salomone: Si videris virū velocem in verbis, scito quia spem habet magis insipiens quàm ille. Nec quemquam verbis docere præsumas, quod opere ante non feceris. Hunc enim nos ordinem tenere debere, etiam exemplis suis Dominus noster instituit, de quo

*Psal.118.*
*Psal.100.*
*Eccls. 6.*
*Iacob. 1.*
*Prou. 29.*
*sec. lxx.*

ita

Act. 1. ita dicitur: Quę cœpit Iesus facere, & docere. Caue ergo ne ante actum prosiliens ad docendum, in illorum numero deputeris, de quibus in Euãgelio Dominus ad discipu-
Matth. 23 los loquitur: Quæ dicunt vobis seruate, & facite; secundũ vero opera eorum nolite facere: dicũt enim & non faciunt. Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt ea super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea
Matth. 5. mouere. Si enim ille, qui vnum mandatum minimum soluens docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum; qui multa & maiora negligens docere præsumpserit, consequens profecto est, vt non iã minimus in regno cælorum, sed in gehennæ supplicio maximus habeatur. Et ideo cauendum tibi est, ne illorum ad docendum inciteris exemplis, qui peritiam disputãdi ac sermonis affluentiam consecuti, quia possunt ea, quæ volunt ornate copioseq. disserere, scientiam spiritalem possidere creduntur ab his, qui vim eius & qualitatem discernere non nouerunt. Aliud namque est facilitatem oris & nitorem habere sermonis, & aliud venas ac medullas cælestium intrare dictorum, ac profunda & abscondita sacramenta purissimo cordis oculo cõtemplari, quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio sæcularis, sed sola puritas mentis per illuminationem sancti Spiritus obtinebit.

*De apprehendenda vera scientia disciplina. Cap. X.*

FEstinandum igitur tibi est, si ad veram scripturarũ scientiam peruenire desideras, vt humilitatem cordis immobilem primitus consequaris; quæ te non ad illam, quæ
1. Cor. 8. inflat, sed ad eam, quæ illuminat scientiam, charitatis consummatione perducat. Impossibile namque est immundãmentem donum scientiæ spiritalis adipisci. Et idcirco omni cautione deuita, ne tibi per studium lectionis, non scięti lumen, nec illa perpetua, quę per illuminationem doctrinę promittitur gloria, sed instrumenta perditionis de arrogantiæ vanitate nascantur. Deinde hoc tibi est omnimodis enitendum, vt expulsa omni solicitudine & cogitatione terrena, assiduum te ac potius iugem sacrę prębeas lectioni, donec continua meditatio imbuat mentem tuam, & quasi in sui similitudinem formet, arcam quodammodo
Hebr. 9. ex ea faciens testamenti, habentem scilicet in se duas tabulas lapideas, id est, duplicis instrumenti perpetuam firmitatem: vrnam quoque auream, hoc est, memoriã purã atque sin-



cerã, quæ reconditum in se manna perpetua tenacitate conseruet, spiritalium scilicet sensuum, & angelici illius panis perennem cælestemq. dulcedinem: necnon etiã virgam Aaron, id est, summi veriq. pontificis nostri Iesu Christi salutare vexillum, immortalis memoriæ semper viriditate frondescens. Hæc namque est virga, quæ postquam *Esai. 11.* de radice Iesse succisa est, viuacius mortificata reuirescit. Hæc autem omnia duobus Cherubim, id est, historicæ & spiritalis scientię plenitudine protegentur; Cherubim enim interpretatur scientię multitudo; quæ propitiatorium Dei, id est, placiditatem pectoris tui iugiter protegent, & a cunctis spiritalium nequitiarum incursibus obumbrabunt. Et ita mens tua non solum in arcam testamenti diuini, verum etiam in regnum sacerdotale prouecta, per indissolubilem puritatis affectum, quodammodo absorpta spiritalibus disciplinis, illud implebit pontificale mandatum, quod a legislatore ita præcipitur: Et de sanctis non egreditur, ne *Leuit. 21* polluat sanctuariũ Dei; id est, cor suum, in quo iugiter habitaturum se Dominus repromittit, dicens: Inhabitabo in *2. Cor. 6.* eis, & inter illos ambulabo. Quamobrem diligenter me- *ex Leuit.* moriæ commendanda est, & incessabiliter recensenda sa- *26.* crarum series scripturarum. Hęc enim meditationis iugitas duplicem nobis conferet fructum. Primum, quòd dum in legendis ac parandis lectionibus occupatur mentis intentio, necesse est vt nullis noxiarum cogitationum laqueis captiuetur; deinde quòd ea, quæ creberrima repetitione percursa, dum memoriæ tradere laboramus, intelligere id temporis obligata mente non quiuimus, postea ab omniũ actuum ac visionũ illecebris absoluti, pręcipueq. nocturna meditatione taciti reuoluentes, clarius intuemur, ita vt occultissimorum sensuum, quos ne tenui quidem vigilantes opinatione percepimus, quiscentibus nobis, & velut soporis stupore demersis, intelligentia reueletur.

*De multiplici intellectu diuinarum scripturarum. Cap. XI.*

CRescente autem per hoc studium innouatione mentis nostrę, etiam scripturarum facies incipiet innouari, & sacrationis intelligentię pulchritudo quodammodo cum proficiẽte proficiet. Pro capacitate enim humanorum sensuum, earum quoque species coaptatur, & vel terrena carnalibus, vel diuina spiritalibus apparebit, ita vt hi quibus antea

antea videbatur crassis quibusdam nebulis inuoluta, nec subtilitatem eius deprehendere, nec fulgorem valeant sustinere. Sed vt hoc ipsum quod adstruere nitimur, aliquo clarius pandatur exemplo, vnum legis testimonium protulisse sufficiat, per quod etiã omnia præcepta cælestia secundum mensuram status nostri ad omne hominum genus
*Exod. 20* probemus extendi. Scriptum est in lege: Non fornicaberis. Hoc ab homine carnalium adhuc obscœnitatum passionibus obligato secundum simplicem litterę sonum salubriter custoditur. Ab eo autem qui iam ab hac lutulenta actione, & impuro discessit affectu, necesse est idipsum spiritaliter obseruari, vt scilicet non solum a cæremonijs idolorum, sed etiam ab omni superstitione gentilium &
*Galat. 4.* auguriorum, omniumq. signorum & dierum ac temporum obseruatione discedat, vel certe ne quorundam verborum aut nominum coniecturis, quæ sinceritatem fidei poldiscipulos post se. Hanc etiam qui potuerit declinare, caueat ne subtiliore peccato in fornicationis vitium collabatur, quę scilicet in cogitationum peruagatione consistit: quia omnis cogitatio non solum turpis, sed etiam otiosa & a Deo quantulumcumque discedens, a perfecto viro immundissima fornicatio deputatur.

*Interrogatio quomodo possit ad obliuionem sæcularium carminum peruenire. Cap. XII.*

GERMANVS

AD hęc ego occulta primum compunctione permotus, ac deinde grauiter ingemiscens, Hęc, inquam, omnia quę copiosissime digessisti, maiora mihi intulerũt desperationis augumenta, quàm hactenus sustinebam. Quippe cui pręter illas generales animę captiuitates, quibus non dubito infirmos quosque pulsari, extrinsecus speciale impedimentũ salutis accedit, per illam quã tenuiter videor attigisse notitiam litterarum: in qua me ita vel instantia pędagogi, vel continuæ lectionis macerauit intentio, vt nunc mens mea poeticis velut infecta carminibus, illas fabularum nugas historiasq. bellorum, quibus a paruulo primis studiorum imbuta est rudimentis, orationis etiam tempore mediretur, psallentiq., vel pro peccatorum indulgentia supplicanti, aut impudens poematum memoria suggeratur, aut quasi bellantium heroum ante oculos imago versetur, taliumq. me phantasmatũ imaginatio semper illudens, ita mentem meam ad supernos intuitus aspirare non patitur; vt quotidianis fletibus non possit expelli.

*Responsio quo pacto memoriam eorum possimus abluere. Cap. XIII.*

NESTEROS

DE hac ipsa re vnde tibi purgationis maxima nascitur desperatio, citum satis atque efficax remedium poterit oboriri, si eandem instantiam ac diligentiam, quã te in illis sęcularibus studijs habuisse dixisti, ad spiritalium scripturarum volueris lectionem meditationemq. transferre. Necesse est enim mentẽ tuam tamdiu illis carminibus occupari, quãdiu sibi aliqua quę intra semetipsam recolat, simili studio & assiduitate conquirat, ac pro illis infructuosis atque terrenis, spiritalia ac diuina parturiat. Quę cum profunde alteq. cõceperit, atque in illis fuerit enutrita: uel expelli priores sensim poterunt, vel penitus aboleri. Vacare enim cunctis cogitationibus mens humana non potest, & ideo quamdiu spiritalibus studijs non fuerit occupata,

neceſſe eſt, eam illis quæ pridem didicit implicari. Quãdiu enim nõ habuerit quo recurrat, & indefeſſos exerceat motus, neceſſe eſt, vt ad illa quibus ab infantia imbuta eſt collabatur, eaq. ſemper reuoluat, quæ longo vſu ac meditatione concepit. Vt igitur hæc in te ſcientia ſpiritalis ſoliditate perpetua roboretur, nec ea iam temporarie perfruaris, ſicut illi, qui eam non ſuo ſtudio, ſed aliena relatione contingunt, & velut aereo, vt ita dixerim, odore percipiunt, ſed vt ſenſibus tuis inuiſcerata quodammodo & perſpecta atque palpata condatur, illud omni obſeruantia cuſtodire te conuenit, vt etiamſi ea, quæ optime noſti, forte audieris in collatione proferri, non ex hoc quòd tibi iam nota ſint, aſpernanter faſtidioſeq. ſuſcipias, ſed ea cordi tuo illa auiditate commendes, qua debẽt deſiderabilia ſalutis verba, vel auribus noſtris indeſinenter infundi, vel de noſtro iugiter ore proferri. Quamuis enim adhibeatur ſanctarũ rerum crebra narratio, numquam tamen animæ ſitim veræ ſcientiæ ſuſtinẽti, ſatietas generabit horrorem, ſed ea quotidie velut noua ac deſiderata ſuſcipiens, quanto frequentius hauſerit, tanto auidius vel audiet vel loquetur; & confirmationem potius perceptæ ſcientiæ ex eorum repetitione quàm vllum ex frequenti capiet collatione faſtidium. Euidens namque eſt tepidæ ac ſuperbæ mentis indicium, ſi verborum ſalutarium medicinam, quamuis ſtudio nimiæ aſſiduitatis ingeſtam, faſtidioſe negligenterq. ſuſcipiat:

*Prou. 27. ſec. lxx.* Anima enim quę in ſatietate eſt, fauis illudit; animæ autem egenti etiam amara dulcia videntur. Si itaque hæc diligenter excepta, & in receſſu mentis condita, atque indicta fuerint taciturnitate ſignata, poſtea vt vina quædam ſuaue olentia & lætificantia cor hominis, cum ſenſus canitie & patientię fuerint vetuſtate decocta, cum magna ſui fragrantia de vaſe tui pectoris proferentur, & tamquam perennis fons de experientiæ venis & irriguis virtutum meatibus redundabunt, fluentaq. continua velut de quadam abyſſo tui cordis effundent. Eueniet namque in te illud quod in Prouerbijs ad illum dicitur, qui hæc opere conſummauit:

*Prou. 5. ſec. lxx.* Bibe aquas de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fonte. ſuperfluant tibi aquæ de tuo fonte, in tuas autem plateas pertranſeant aquæ tuæ. Ac ſecun-

*Eſai. 58.* dum Eſaiam prophetã: Eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum cuius non deficient aquæ: & ædificabuntur in



tu te deſerta a ſæculis; fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis: & vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas in quietem. Illa etiam tibi beatitudo proueniet, quam idem propheta promittit: & non faciet Dominus auolare a te vltra doctorem tuum; & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monenits: Hæc via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Atque ita fiet vt non ſolum omnis directio ac meditatio cordis tui, verum etiam cunctæ euagationes atque diſcurſus cogitationum tuarum, ſint tibi diuinæ legis ſancta & inceſſabilis ruminatio. *Eſai. 30.*

## *Quod immunda anima neque tradere neque percipere poſſit ſcientiam ſpiritalem.* Cap. XIV.

IMpoſſibile eſt autem hæc, ſicut præfati ſumus, inexpertum quemquam vel agnoſcere vel docere. Nam qui ne ad percipiẽdum quidem capax eſt, quomodo erit idoneus ad tradendum? De quibus tamen etiam ſi aliquid docere præſumpſerit, inefficax proculdubio & inutilis vſque ad aures tantummodo audientium eius ſermo perueniet, cor autem eorum penetrare non poterit, inertia operum & infructuoſitate ſuæ proditus vanitatis; quia non de theſauro bonę promitur conſcientię, ſed de inani iactantiæ pręſumptione. Impoſſibile namque eſt immundam animam quãtalibet deſudauerit lectionis inſtantia, adipiſci ſcientiam ſpiritalem. Nemo enim in vas fœtidum atque corruptum vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretioſi quidquam liquoris infundit. Facilius enim quamuis odoratiſſimum myrum ſemel horrendis imbuta fœtoribus teſta contaminat, quàm vt aliquid ex eo ſuauitatis aut gratię ipſa concipiat: quia multo citius munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur. Ita igitur & vas pectoris noſtri niſi prius fuerit ab omni fœtidiſſima vitiorum contagione purgatum, non merebitur ſuſcipere illud benedictionis vnguentum, de quo dicitur per Prophetam: Sicut vnguentum in capite, quod deſcẽdit in barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius: nec illam ſcientiam ſpiritalem & eloquia ſcripturarum, quę ſunt dulciora ſuper mel & fauum; immpollura ſeruabit. Quę enim participatio iuſtitię cum iniquitate? Aut quę ſocietas luci cũ tenebris? Quę autem conuentio Chriſti ad Belial? *Pſal. 132* *Pſal. 18.* *2. Cor. 6.*

*Obiectio de eo quod multi immundi scientiam habeant, & sancti eam non habeant. Cap. XV.*

GERMANVS.

DEfinitio ista nequaquam videtur nobis veritate suffulta, aut probabili ratione subnixa. Cum enim omnes qui fidem Christi aut nequaquã susciṗiunt, aut impia dogmatum prauitate corrumpunt, immundi esse cordis manifestum sit; quomodo multi Iudęorum atque hæreticorũ, vel etiam catholicorũ, qui diuersis vitijs inuoluntur, perfectam scripturarum scientiam consecuti, de spiritalis doctrinæ magnitudine gloriantur; & econtra sanctorum virorum innumera multitudo, quorum cor ab omni peccatorum contagione purgatum est, simplicis fidei pietate cõtenta, profundioris scientiæ ignorat arcana? Quemadmodum ergo stabit ista sententia, quæ scientiam spiritualẽ soli cordis tribuit puritati?

*Responsio, quod mali scientiam veram habere nonpossunt. Cap. XVI.*

NESTEROS.

HAud recte virtutem definitionis explorat, qui non omnia diligenter prolatæ sententię verba perpendit. Prędiximus namque huiusmodi homines disputandi tantũ habere peritiam & elocutionis ornatum, ceterum scripturarum venas & arcana spiritalium sensuum intrare non posse. Etenim vera scientia non nisi a veris Dei cultoribus posHiere. 5. sidetur, quã is vtique non habet populus cui dicitur: Audi popule stulte qui non habes cor; qui habentes oculos non Osee. 1. uidetis, & aures, non auditis, & iterum: Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Colos. 2. Cum enim in Christo omnes thesauri sapientię & scientię absconditi esse dicantur, quomodo is, qui Christum inuenire contempsit, aut inuentũ sacrilego ore blasphemat, aut certe catholicam fidem immundis operibus polluit, Sap. 1. ueram scientiã assecutus esse credendus est? Spiritus enim Dei effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Non ergo aliàs ad scientiam spiritalem nisi hoc ordiOsee. 10. ne peruenitur, quem vnus prophetarum eleganter expres- sec. lxx. sit, dicens: Seminate vobis ad iustitiam, metite † spem f. speciem χαρπὸν vitę; illuminate vobis lumen scientiæ. Primum ergo seminandum nobis est ad iustitiam, hoc est, vt actualem perfectionem operibus iustitiæ propagemus, deinde metenda f. species. est nobis † spes vitæ, id est, virtutum spiritalium fructus expulsione vitiorum carnaliũ cõgregandi; & ita illuminare no-



te nobis lumen scientię poterimus. Quem ordinem etiam psalmographus teneri debere decernit, dicens: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, beati qui scrutantur testimonia eius. Non enim prius dixit: Beati qui scrutantur testimonia eius, & postea intulit: Beati immaculati in via; sed prius inquit: Beati immaculati in via: per hoc euidenter ostendens, neminem recte posse ad perscrutanda Dei testimonia peruenire, nisi prius per actualem conuersationem in via Christi immaculatus incedat. Hi ergo, quos dixistis non istam quam immundi habere nõ possunt, sed ψευδωνύμου, hoc est, falsi nominis scientiam possident, de qua beatus Apostolus: O, inquit, Timothee depo- 1. Tim. 6 situm custodi; deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quod in Græco dicitur: ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. De istis ergo qui imaginem quandam scientiæ videntur acquirere, vel de his qui cum sacrorũ voluminũ lectioni ac memoriæ scripturarũ diligenter insistant, carnalia tamen vitia non relinquunt, in Prouerbijs eleganter exprimitur: Sicut inauris Prou. 11. aurea in naribus suis, ita mulieri male moratæ species. sec. lxx. Quid enim prodest quempiam ornamentum eloquiorum cælestium & illam pretiosissimam scripturarum speciem consequi, si eam lutulentis operibus vel sensibus inhærendo, quasi immundissimam terram subigendo confringat, aut cœnosis libidinum suarum polluat volutabris? Fiet enim vt id quod recte vtentibus decori esse consueuit, non solum istos ornare non possit, verum etiam maioris cœni colluuione sordescat. Ex ore enim peccatoris non est pul- Eccli. 15 chra laudatio, cui dicitur per Propheram: Quare tu enar- Psal. 49. ras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? De huiusmodi animabus, quæ nequaquam stabiliter timorem Domini possidẽtes (de quo dicitur: Timor Do- Prou. 15. mini disciplina & sapientia est) scripturarũ acquirere sen- & 16. sec. sum de earum memoria & iugi meditatione conatur, sa- lxx. tis proprie in Prouerbijs memoratur: Vt quid fuerunt di- Prou. 17. uitiæ insipienti? Possidere enim sapientiam exors non po- sec. lxx. terit. Intantum vero ab illa eruditione sæculari quæ carnalium vitiorũ sorde polluitur, vera hæc & spiritalis scientia submouetur, vt eam in nonnullis elinguibus ac pene illitteratis sciamus nõnumquam mirabiliter viguisse. Quod in Apostolis multisq. etiam sanctis viris euidentissime

comprobatur; qui non inani foliorum dilatabãtur luxuria, sed veris spititalis scientiæ fructibus curuabantur. De quibus in actibus Apostolorum scriptum est: Videntes autem Petri constantiam & Ioannis, & comperto quòd homines essent sine litteris & idiotę, admirabãtur. Et idcirco si tibi curæ est ad eius immarcescibilem fragrantiam peruenire, cunctis primum conãtibus elabora, vt a Domino puritatem castitatis obtineas. Nullus enim, in quo adhuc carnalium passionum, & maxime fornicationis dominatur affectus, spiritalem poterit scientiam possidere, In corde enim bono requiescet sapientia. & : Qui timet Dominum, inueniet scientiam cum iustitia. Hoc autẽ quo prædiximus ordine ad spiritalem scientiam peruenirι, etiam beatus Apostolus docet. Nam cum vniuersarum virtutum suarum nõ solũ catalogum texere, verumetiam ordinem vellet exponere, vt quæ quam sequeretur, vel quæ quam parturiret exprimeret, post aliqua intulit, dicens: In vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate nõ ficta. In qua †coniugatione virtutum euidentissime nos voluit erudire, de vigilijs atque ieiunijs ad castitatem, de castitate ad scientiam, de scientia ad longanimitatem, de longanimitate ad suauitatem, de suauitate ad Spiritum sanctum, de Spiritu sancto ad charitatis non fictę præmia peruenirι. Cum igitur hac disciplina atque hoc ordine tu quoque ad scientiã spiritalem peruenerις, habebis proculdubio, sicut diximus, nec sterilem, nec inertem, sed viuidam fructuosamq. doctrinam; semenq. salutaris verbi quod a te fuerit audientium cordibus commendatũ, subsequens Spiritus sancti imber largissimus fecundabit; ac secundũ id quod pollicitus est propheta, dabitur pluuia semini tuo, vbicumque seminaueris ĩ terra, & panis frugũ terrę tuę erit vberrimus & pinguis.

Act. 4.

Prou. 14.
Eccli. 32.

2. Cor. 6.

al. coniunctione.

Esai. 30.

*Quibus ratio perfectionis debeat aperiri. Cap. XVII.*

CAue etiam ne hæc quæ tam lectione quàm experientiæ sudore didiceris, cum te ętas maturior prouexerit ad docendum, vanæ gloriæ seductus amore, immundis hominibus passim ingeras, illudq. quod sapientissimus Salomon interdixit, incurras: aNoli applicare impiũ ad pascua iusti, neque seducaris saturitate ventris. bNõ enim expediũt stulto delicię: cNec opus est sapiẽtia vbi deest sensus; magis enim ducitur insipientia; quia: dSeruus durus non emen-

a Prou 24 sec. lxx.
b Prou 19 sec. lxx.
c Prou 18 sec. lxx.
d Prou. 29 sec. lxx.



emendabitur verbis; si enim & intellexerit, non obediet. & : In aures imprudentis noli quidquam dicere, ne forte irrideat sapientes sermones tuos. &: Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpãt vos. Oportet itaque vt huiusmodi hominibus spiritaliũ sensuũ contegens sacramenta efficaciter canas: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Sed dicas forsitan: Et quibus diuinarum scripturarum dispẽsanda sunt sacramenta? Docet te sapientissimus Salomõ: Date, inquit, ebrietatem his qui in tristitia sunt, & vinum bibere his qui in doloribus sunt, vt obliuiscantur paupertatis, & dolorum suorum non meminerint amplius; id est, his qui pro pœnitudine actuum pristinorum mærore atque tristitia deprimuntur, spiritalis scientiæ iucunditatem, velut vinũ quod lætificat cor hominis, affluenter infundite, eosq. salutaris verbi crapula refouete, ne forte iugitate mæroris ac letali desperatione demersi, abundantiore tristitia absorbeantur qui eiusmodi sunt. De illis vero qui in tẽpore ac negligentia constituti, nullo cordis sui dolore mordẽtur, ita dicitur: Nam qui suauis & sine dolore est, in egestate erit. Quanta potes igitur cautione deuita, ne vanæ gloriæ amore detentus, illius quem Propheta collaudat, particeps esse non possis: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Omnis enim qui eloquia Dei (de quibus dicitur: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum) humanę laudis amore dispensat, pecuniam suam erogat ad vsuram, nõ solum nulla pro hoc præmia, sed etiam supplicia meriturus. Ob hoc enim pecunias Domini maluit profligare, vt ex ea temporalem consequeretur ipse mercedem, non vt Dominus (sicut scriptum est) veniens, quod suum est reciperet cum vsura.

Prou. 23 sec. lxx.
Matth. 7
Psal. 118
Prou. 31. sec. lxx.
Psal. 103
2. Cor. 2.
Prou 14. sec. lxx.
Psal. 14.
Psal. 11.
Matt. 25.

*Quibus de causis spiritalis doctrina infructuosa sit. Cap. XVIII.*

DVabus autem ex causis ineffĩcacem spiritalium rerũ constat esse doctrinã. Nam aut ille qui docet inexperta commendans, vano verborum sono instruere nititur auditorem, aut certe nequam ac vitijs refertus auditor, salutarẽ spiritalis viri sanctamq. doctrnam obturato corde nõ recipit. De quibus dicitur per prophetam: Excęcatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt,

Matt. 13. ex Esai. 6

Universidad de Deusto
Biblioteca



runt, & oculos suos concluserunt, ne quando videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem illos.

*Quod plerumque etiam indigni gratiam salutiferi sermonis accipiant. Cap. XIX.*

1.Tim.2. NOnnumquam tamen dispensatoris nostri Dei, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, munifica liberalitate conceditur, vt is qui dignum se euangelicæ prædicationi irreprehensibili conuersatione non præbuit, pro salute multorum spiritalis doctrinæ gratiam consequatur. Quibus autem modis etiã charismata curationum ad expellendos dæmones, a Domino concedantur, consequens est vt simili disputatione pandamus, quam consurgentes ad refectionem in vesperam reseruemus; quia efficacius semper corde cõcipitur, quidquid sensim & absque nimio labore corporis intimatur.

*COLLATIONIS PRIMAE abbatis Nesterotis de Spiritali Scientia, Finis.*

# COLLATIO XV. QVAE EST SECVNDA ABBATIS NESTEROTIS DE CHARISMATIBVS DIVINIS.

*Disputatio abbatis Nesterotis de tripertita charismatum ratione. Cap. I.*

POST synaxin vespertinam ad repromissam narrationem intenti, psiathijs pariter ex more consedimus. Cumque silentiũ aliquantisper pro senis reuerentia præberemus, taciturnitatem verecundiæ nostræ tali prœuenit eloquio: Vsque ad spiritaliũ rationem charismatum proferendam præcedens disputationis



tionis ordo peruenit, quã tripertitam esse maiorum rraditione percepimus. Prima siquidem curationum causa est, cum pro merito sanctitatis electos quosque ac iustos viros signorũ gratia comitatur, sicut Apostolos, multosq. sanctorum signa ac prodigia secundum auctoritatem Domini fecisse manifestum est, ita dicẽtis: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite; gratis accepistis, gratis date. Secunda, cum ob ædificationem Ecclesiæ, vel eorum, qui infirmos suos ingerunt, vel eorum qui curandi sunt fidem, sanitatum virtus etiam a peccatoribus indignisq. procedit. De quibus Saluator in Euangelio: Multi, inquit, dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, Quia numquam noui vos: discedite a me operarij iniqnitatis. Et econtrario si offerentinm vel infirmorum desit fides, etiam illos quibus curationum dona collata sunt, non finit sanitatum exercere virtutem. De qua re Lucas Euangelista: Et non poterat, inquit, Iesus facere inter eos virtutes propter incredulitatẽ illorũ. Vnde idẽ Dominus: Multi, inquit, leprosi erãt in Israel sub Elisæo propheta, & nemo eorũ mundatus est nisi Naaman Syrus. Tertius curationũ modus, etiam colludio ac factione dæmonũ simulatur, vt dum homo manifestis criminibus obligatus propter admirationem signorum sanctus ac Dei famulus creditur, etiam vitiorum eius æmulatio suadeatur, & per hoc obtrectationis aditu reserato, etiã religionis sanctitas infametur; vel certe, vt is, qui curationum dona habere se credit, superbia cordis elatus grauius elidatur. Inde est quòd inuocantes eorum nomina, quos nulla merita sanctitatis, nec vllos spiritales fructus habere cognoscunt, vri se eorum meritis, ac de obsessis simulant corporibus effugari. De quibus in Deuteronomio: Si surrexerit, inquit, in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis; non audias verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non, in toto corde & in tota anima vestra. Et in Euangelio: Exsurgent, inquit, pseudochristi, &

Matt. 10

Matth. 7

Luc. 13.

Marc. 6.

Luc. 4.

4.Reg. 5.

Deut. 13

Matt. 24

sti,& pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.

*In quo quis sanctos viros debeat admirari Cap. II.*

QVa propter numquam debemus eos,qui hoc affectant in his virtutibus admirari, sed potius intueri, vtrum vitiorum omnium expulsione, & morum emendatione perfecti sint. Quod vtique non pro alterius fide, aut diuersitate causarum,sed pro vniuscuiusque studio Dei gratia dispensante conceditur. Hæc namque est actualis scien-
1. Cor. 13 tia,quæ alio vocabulo charitas ab Apostolo nuncupatur,& vniuersis linguis hominum & angelorum, & plenitudini fidei quæ etiam montes transferat, & omni scientię, ac prophetiæ,& erogationi omnium facultatum, ipsiq. postremo glorioso martyrio,apostolica auctoritate præfertur. Nam cum dinumerasset vniuersa charismatum genera,
1. Cor. 12 atque dixisset: Alij datur per spiritum sermo sapientiæ,alij sermo scientiæ, alij fides, alij gratia sanitatum,alij operatio virtutũ, & reliqua;de charitate dicturus, quemadmodũ eam cunctis prętulerit charismatibus paucis aduerte:& adhuc, inquit, supra modum excellentiorem viam vobis demonstro. Per quod euidenter ostenditur perfectionis ac beatitudinis summam, non in illorum mirabilium operatione, sed in charitatis puritate consistere. Nec immeri-
1. Cor. 13 to: Omnia enim illa euacuanda ac destruenda sunt, charitas vero perpetuo permãsura. Ideoq. a patribus nostris opera ista signorum nequaquã vidimus affectata; quinimmo cum ea Spiritus sancti gratia possiderent, numquam exercere voluerunt,nisi forte extrema illos & ineuitabilis necessitas coartasset.

*De suscitato mortuo ab abbate Macario. Cap. III.*

SIcut & ab abbate Macario,qui habitationẽ Scithicæ solitudinis primus inuenit,mortuum reminiscimur suscitatum. Nam cum hæreticus quidam qui Eunomij perfidiã sectabatur, sinceritatem catholicæ fidei arte dialectica subuertere conaretur, magnamq. iam hominum multitudinẽ decepisset,rogatus a catholicis viris, qui tantę subuersionis ruina grauissime mouebantur, beatus Macarius, vt simplicitatem totius Ægypti ab infidelitatis naufragio liberaret,aduenit. Quem cũ hæreticus arte dialectica fuisset aggressus, & ad Aristotelicas ignorantem spinas vellet abducere; beatus Macarius apostolica multiloquium eius





breuitate concludens: Non est, inquit, in verbo regnum 1. Cor. 4
Dei, sed in virtute. Eamus igitur ad sepulchra, & nomen Domini super mortuum qui primus inuentus fuerit inuocemus, ac, sicut scriptum est,ostendamus ex operibus fidẽ Iacob. 2.
nostram, vt manifestissime rectę fidei documenta eius testimonio declarentur,& perspicuam veritatem non inani disputatione verborum sed virtute signorum, & illo quod non potest falli iudicio comprobemus. Quo audito, hæreticus coram circumstanti plebe pudore constrictus, cum ad præsens præbere se cõdicioni propositæ simulasset assensum,seq. affuturũ in crastinũ promisisset,postero die expectantibus vniuersis qui studiosius ad condictum locum, spectaculi huius cupiditate confluxerant, exterritus conscientia suæ infidelitatis aufugit, ac ab vniuersa Ægypto protinus transmigrauit. Quem cũ beatus Macarius vsque ad horam nonam cũ populis præstolatus,pro sua conscientia declinasse vidisset, assumens plebem quæ ab illo fuerat deprauata,ad condita sepulchra perrexit Hunc autem Ægyptijs morem Nili fluminis inuexit eluuies, vt quoniam vniuersa terræ illius latitudo instar immensi pelagi, non paruo anni tempore solita aquarum eruptione contegitur, ita vt nulla tunc cuiquã viandi copia nisi lemborum trãsuectione tribuatur, corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus,in editioribus cellulis recondantur. Nam madens ebrietate continua terræ illius solum, humandi arcet officium. Si qua enim cadauera defossa susceperit, euomere ad superficiem suam inundationum nimietate compellitur. Cum igitur antiquissimo cuidam cadaueri beatus Macarius adstitisset, O homo, inquit, si venisset huc mecũ hæreticus ille filius perditionis, & adstante ipso, nomen Christi Dei mei inuocans exclamassem, vtrum necora his qui pene eius fuerant fraude subuersi, surrecturus fuisses edicito. Tum ille consurgens aduentis voce respondit. Quem interrogans abbas Macarius, quinam aliquando fuisset cum frueretur hac vita, vel qua hominum fuisset ætate, aut si nomen Christi tunc temporis cognouisset: ille se sub antiquissimis regibus vixisse respondit, Christiq. nomen asseruit illis se non audisse temporibus. Cui rursus abbas Macarius: Dormi, inquit, in pace cum ceteris in
1. Cor. 15 tuo ordine a Christo in fine temporum suscitandus. Hæc igitur eius virtus & gratia quantum in ipso fuit,semper fortasse

taſſe latuiſſet, niſi eum neceſſitas totius prouinciæ periclitantis, & erga Chriſtum plena deuotio amorq. ſincerus, iſtud exercere miraculum compuliſſet. Quod vtique vt ab eo fieret, non oſtentatio gloriæ, ſed charitas Chriſti & to-
3.Reg.18 tius plebis extorſit vtilitas, vt beatum quoque. Eliam feciſſe Regnorum lectio manifeſtat, qui ignem de cælo ſuper hoſtias impoſitas pyrę idcirco deſcendere poſtulauit, vt periclitantem pſeudoprophetarum præſtigijs fidem totius populi liberaret.

*De miraculo quod abbas Abraham in mulieris fecit vberibus. Cap. IV.*

QVid etiam abbatis Abrahæ geſta commemorem, qui πατὴς pro ſimplicitate & innocentia morum cognominatur? Qui cum metẽdi gratia ad Ægyptum de eremo diebus quinquageſimæ perrexiſſet, & a muliere quadã paruulum ſuum lactis inopia iam tabidũ atque ſeminecem pręferente, lacrymoſis precibus fuiſſet obſtrictus, calicem ei aquæ potandum impreſſo crucis ſignaculo dedit, cuius hauſtu confeſtim mirum in modum arida iam penitus vbera copia lactis redundante fluxerunt.

*De claudi cuiuſdam curatione, quam eſt operatus. Cap. V.*

VEl cum idem ipſe pergens ad vicum, circumdatus eſt illudentium turbis, qui ſubſannantes oſtendebant ei quendam hominem contracto genu, multis iam annis greſſus officio deſtitutum, & antiqua debilitate reptantem; ac tentantes eum. Oſtende, aiebant, abba Abraham, ſi ſeruus es Dei, & reſtitue hunc priſtinæ ſanitati, vt nomen Chriſti quem colis, vanum non eſſe credamus. Tunc ille cõfeſtim inuocato Chriſti nomine, inclinans ſe & apprehẽdes aridũ pedem hominis traxit, cuius tactu ſiccum continuo genu incuruumq. directum eſt, ac recepto vſu greſſuum, quem obliuioni tradiderat annoſa debilitas, lætus abſceſſit.

*Quod meritum vniuſcuiuſque non ex ſignis debeat æſtimari. Cap. VI.*

HI itaque viri nihil ſibi pro talium mirabilium virtute donabant, quia non hæc ſuo merito agi, ſed Domini miſericordia fatebãtur, his apoſtolicis verbis in admiratio-
Act. 3. ne ſignorum humanã gloriam refutantes: Viri fratres, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? Nec quemquam in donis ac mirabilibus Dei, ſed potius ex proprijs virtu-



virtutum fructibus prædicandum eſſe cenſebant, qui induſtria mentis & virtute operum generãtur. Plerumq. enim, vt ſupra iam dictum eſt, homines mente corrupti ac reprobi circa fidem, in nomine Domini & dæmonia expellunt, & virtutes maximas operantur. De quibus cũ Apoſtoli cauſarentur, & dicerẽt: Præceptor vidimus quendã in nomine *Luc. 9.* tuo eijcientẽ dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum; licet eiſdem ad præſens reſponderit Chriſtus: Nolite prohibere; qui enim non eſt aduerſum nos, pro *Ibid.* nobis eſt; tamen eis in fine dicentibus: Domine, Domine, *Matth. 7* nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Reſponſurum ſe eſſe teſtatur, Quia numquam noui *Luc. 13.* vos; diſcedite a me operarij iniquitatis. Et idcirco etiam iſtos quibus hanc gloriam ſignorũ atque virtutum pro merito ſanctitatis ipſe conceſſit, ne in his extollãtur admonet, dicens: Nolite gaudere quia dæmonia vobis ſubijciuntur; *Luc. 10.* gaudete autem, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

*Quod chariſmatum virtus non in mirabilibus, ſed in humilitate conſiſtat. Cap. VII.*

DEnique ipſe auctor ſignorum omnium atque virtutũ, cum ad doctrinæ ſuæ magiſterium diſcipulos aduocaret, quid ab eo veri atque rectiſſimi ſectatores peculiariter diſcere deberent, euidenter oſtendit: Venite, inquit, & diſcite a me, non vtique vt dæmones cæleſti poteſtate pellatis, non vt leproſos mundetis, non vt cæcos illuminetis, non vt mortuos ſuſcitetis: Hæc enim etiam ſi per quoſdam ſeruos meos operor, non poteſt ſe inſerere laudibus Dei humana condicio, nec vllam ſibi in hoc miniſter & famulus decerpere portionẽ, vbi ſolius diuinitatis eſt gloria. Vos autẽ, inquit, hoc diſcite a me, quia mitis ſum & humilis cor- *Matt. 11* de. Hoc enim eſt quod cunctis generaliter diſcere & exercere poſſibile eſt opera autem ſignorum atque virtutũ nec ſemper neceſſaria, nec omnibus cõceduntur. Humilitas eſt ergo omniũ magiſtra virtutum; ipſa eſt cęleſtis ædificij firmiſſimum fundamentum, ipſa eſt donum proprium atque magnificum Saluatoris. Is etenim vniuerſa miracula quæ Chriſtus operatus eſt, ſine periculo elationis exercet, qui mitem Dominum, non ſublimitate ſignorum, ſed patientiæ atque humilitatis virtute ſectatur. Qui vero immundis ſpiritibus imperare, aut lãguentibus ſanitatum dona

con

conferre, aut aliquod signum mirabile populis gestit ostendere, quamuis in ostentationibus suis Christi inuocet nomen, tamen alienus a Christo est, quia humilitatis magistrum superba mente non sequitur. Nam etiam cum ad patrem remeans quoddam, vt ita dixerim, conderet testamé-
Ioan. 13. tum, hoc suis discipulis dereliquit: Mandatum, inquit, nouum do vobis, vt diligatis inuicē sicut dilexi vos, vt & vos
Ibid. diligatis inuicem. Statimque subiunxit: In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in inuicem. Non ait, Si signa atque virtutes similiter feceritis, sed si dilectionem in inuicem habueritis, quam certū est nisi mites atque humiles seruare non posse. Quapropter numquam monachos probos nec morbo cenodoxiæ vacuos nostri maiores esse dixerunt, qui semetipsos exorcistas coram hominibus profitentur, & inter admirantium turbas hanc quam vel meruerunt, vel præsumpserunt gratiam iactantissima ostentatione diffamant; sed incassum.
Prou. 10. Qui enim nititur mendacijs, hic pascit ventos, idem autem
Prou. 25. sec. lxx. ipse sequitur aues volantes. Sine dubio enim eueniet eis illud quod in Prouerbijs dicitur: Sicut venti & nubes & pluuiæ manifestissimæ sunt, ita qui gloriantur in dato falso. Et ideo si quis coram nobis horum aliquid fecerit, non de admiratione signorum, sed de ornatu morū debet apud
1. Cor. 13 nos esse laudabilis; nec vtrum dæmonia ei subiecta sint, sed vtrum charitatis membra quæ describit Apostolus, possideat, inquirendum.

*Quod mirabilius sit de semetipso vitia, quam de altero dæmones extrusisse. Cap. VIII.*

ET reuera maius miraculum est de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis; & magnificentius signum est, virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quàm aereis principibus imperare; plusq. est exclusisse edacissimos de corde proprio tristitiæ morbos, quàm valitudines alterius febresq. corporeas expulisse. Postremo multis modis præclarior virtus, sublimiorq. profectus est, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni. Quanto enim hęc sublimior carne est, tanto præstantior eius est salus, quantoq. pretiosioris excellentiorisq. est substantiæ, tanto grauioris ac perniciosioris est & ruinę.

Quan-



*Quantum præcellat vitæ probitas opera signorum. Cap. IX.*

ET de illis quidem curationibus ita beatissimis Apostolis dicitur: Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subij- Luc. 10.
ciuntur. Hoc enim faciebat non eorum potestas, sed uirtus nominis inuocati; & idcirco monentur, vt ex hac parte nihil sibi beatitudinis aut gloriæ audeant vindicare, quæ Dei tantum potentia ac virtute perficitur, sed ex illa vitæ suæ cordisq. intima puritate, ob quam nomina eorum scribimerentur in cęlis.

*Reuelatio de perfecta castitatis experimento. Cap. X.*

ET vt hoc ipsum, quod diximus vel testimonijs veterum, vel diuinis oraculis approbemus, quid beatus Paphnutius vel de admiratione signorum, vel de gratia senserit puritatis, immo quid angeli relatione cognouerit, ipsius verbis atque experimentis rectius proferemus. Hic namque ita multis vigens annis districtione pręcipua, vt crederet se etiam carnalis concupiscentiæ laqueis penitus absolutum (eo quòd cunctis infestationibns dæmonum, quibus diu aperteq. conflixerat, superiorem se factum esse sentiret) dū aduenientibus viris sanctis pulmentum lenticulæ quod illi atheran nominant, præpararet, manus eius in clibano, vt assolet, flamma superuolante combusta est. Quo facto tristificatus magnum in modum, cœpit secum tacitus voluere: Cur ignis, inquiens, mecum non habet pacem, cum diriora mihi dæmonum cesserint prelia? aut quemadmodum me in illo metuendo examinis die per se transiturum ille ignis inextinguibilis, & inquisitor meritorum omnium non tenebit, cui nunc extrinsecus hic temporalis ac paruulus non pepercit? Cumque æstuanti huiuscemodi cogitationibus atque tristitia sopor subitus obrepsisset, aduęniens angelus Domini: Cur, inquit, Paphnuti, tristis es, quòd necdum pacatus tibi sit ignis iste terrenus, cum adhuc resideat in membris tuis carnalium motuum necdum ad purum excocta commotio? Cuius radices donec in tuis viuunt medullis, ignem istum materialem nequaquam tibi pacificum esse permittent. Quem vtique innoxium aliàs sentire non poteris, nisi omnes internos motus his indicijs in temetipso experiaris extinctos. Vade apprehende nudam & pulcherrimam virginem, & si illā tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem æstusq. carnales pacificos in te senseris perdurasse, huius quoque visibilis flam-

mæ

Dan. 3. mæ mitis atque innoxius in modum illorum triũ in Babylonia puerorum te allambet attactus. Itaque senex huiusmodi reuelatione perculsus, non quidem experimenti diuinitus demonstrati pericula consuluit: sed interrogans conscientiam suam, & puritatem sui cordis examinans, nec adhuc pondus castimoniæ suæ huius probationis ponderi compensare coniectans: Non mirum est, ait, si cedentibus mihi immundorum spirituum prælijs, adustiones ignis quas dirissimis congressibus dæmonum inferiores esse credebam, adhuc aduersum me senserim sæuientes. Maior quippe est virtus ac sublimior gratia, internam libidinem carnis extinguere, quàm nequitias dæmonum extrinsecus irruentes signo Domini ac virtutis Altissimi potentia subiugare, vel de obsessis corporibus diuini nominis inuocatione propellere. Hucusque abbas Nesteros orationẽ de vera charismatum operatione consummans; nos ad senis Ioseph cellam, quæ sex fere millibus ab ipso aberat properantes, doctrinæ suæ institutione prosecutus est.

*COLLATIONIS SECVNDAE abbatis Nesterotis de Charismatibus diuinis, Finis.*

COLLA-

# COLLATIO XVI. QVAE EST PRIMA ABBATIS IOSEPH DE AMICITIA.

*Quid a nobis abbas Ioseph primitus inquisierit. Cap. I.*

BEATVS Ioseph, cuius nunc instituta ac præcepta pandenda sunt, vnus ex tribus quorum in prima collatione fecimus mẽtionem, claræ admodum familiæ, ac primarius ciuitatis suæ intra Ægyptum fuit quæ appellatur Thmuis, & ita non solum Ægyptia, sed etiam Græca facundia diligenter edoctus, vt vel nobis, vel his qui Ægyptiam linguam penitus ignorabant, non vt ceteri per interpretem, sed per semetipsum elegantissime disputaret. Qui cum institutionem suam nos desiderare sensisset, percontatus primum, vtrumnam essemus germani fratres, audiensq. a nobis quòd non carnali sed spiritali essemus fraternitate deuincti, nosq. ab exordio renuntiationis nostræ, tam in peregrinatione, quæ ab vtroque nostrũ fuerat obtentu militiæ spiritalis arrepta, quàm in cœnobij studio indiuidua semper coniunctione sociatos, tali vsus est sermonis exordio. *Collat. XI cap. 3.*

*Disputatio eiusdem senis, de infido amicitiarum genere. Cap. II.*

AMicitiarum ac sodalitatis multa sunt genera, quæ diuersis modis humanum genus dilectionis societate connectunt. Quosdam enim præcedens commendatio primum notitiæ, post etiam amicitiæ fecit inire commercia. In quibusdam vero contractus quidam seu dati acceptiue depactio, charitatis fœdera copulauit. Quosdam negotiationis seu militiæ vel artis ac studij similitudo atque communio amicitiæ vinculis nexuerunt, per quam ita etiam effera sibi inuicem corda mansuescunt, vt etiam hi qui in siluis ac montibus la-

trocinijs gaudent, & effusione humani sanguinis delectantur, suorum scelerum participes amplectantur ac foueant. Est etiam aliud dilectionis genus, quod instinctu naturæ ipsius & consanguinitatis lege connectitur, quo vel contribules, vel coniuges, vel parentes, seu fratres, ac filij naturaliter ceteris præferuntur, quod non solum humano generi, verumetiam omnibus alitibus atque animantibus inesse deprehenditur. Nam pullos vel catulos suos naturali affectu instigante sic protegunt ac defendunt, vt frequenter pro ipsis etiam objcere se periculis mortiq. non metuant. Denique etiã illa bestiarum vel serpentium vel alitum genera, quæ intolerabilis feritas, ac letale virus ab omnibus separat ac secernit, vt sunt basilici, vel monocerotes, vel gryphes, cum etiam visu ipso cunctis pernicioſa esse dicantur, inter se tamen pro originis ipsius affectionisq. consortio pacata & innoxia perseuerant. Sed hæc omnia, quę diximus, genera charitatis, sicut malis ac bonis, feris etiam atque serpentibus videmus esse cõmunia, ita etiam vsque in finem certum est perseuerare non posse. Etenim interrumpit ea frequenter ac diuidit locorum discretio, & obliuio temporalis, & verbi vel causæ negotiorumq. cõtractus. Vt enim ex diuersis vel lucri, vel libidinis, vel consanguinitatis ac necessitudinum variarum societatibus acquiri solẽt, ita intercedente qualibet diuortij occasione soluuntur.

*Vnde insolubilis amicitia sit. Cap. III.*

IN his igitur cunctis vnum genus est insolubile charitatis, quod nec cõmendationis gratia, nec officij vel munerum magnitudo, cõtractusq. cuiusquam ratio, vel naturæ necessitas iungit, sed sola similitudo virtutum. Hæc, inquam, est quę nullis vmquam casibus scinditur, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum interualla non prævalent, sed ne mors quidem ipsa diuellit. Hęc est vera & indirupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concrescit. Cuius semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentioſa dirumpet contrarietas voluntatum. Ceterũ multos nouimus in hoc proposito cõstitutos, qui cum pro charitate Christi flagrantissima essent sodalitate deuincti, non perpetuo eam, nec indirupte seruare potuerunt, quia licet bono societatis principio niterentur, non tamen vno nec pari studio arreptum propositum tenuerunt, fuitq. inter eos quædam temporalis affectio, quia non æquali vtriusque virtute, sed vnius patientia seruabatur. Quæ quamuis ab vno magnanimiter atque infatigabiliter retentetur, necesse est tamen eam alterius pusillanimitate dirumpi. Infirmitates namque eorum, qui tepidius perfectionis expetunt sanitatẽ, quantalibet fortium tolerantia sustententur, ab ipsis tamẽ qui infirmi sunt non feruntur, & (vt ita dicam) ipsum tolerari non tolerant. Habent enim insitas commotionum causas, quæ eos quietos esse non sinant, vt solent hi qui carnali ægritudine detinentur, stomachi sui infirmitatisq. fastidia, coquorum vel ministrantium negligentijs imputare, & quantalibet eis obsequentium solicitudo deseruiat, nihilominus tamen sanis causas suæ commotionis adscribere, quas sibi vtique vitio suæ valetudinis inesse non sentiunt. Quamobrem hæc est amicitiæ, vt diximus, fida insolubilisq. coniunctio, quę sola virtutum parilitate fundatur: Dominus enim inhabitare facit vnius moris in domo. *Psal.67.* Et ideirco in his tantum indirupta potest dilectio permanere, in quibus vnum propositum ac voluntas, vnum velle ac nolle consistit. Quam si vos quoque cupitis inuiolabilem retentare, festinandũ est vobis vt expulsis primitus vitijs, mortificetis proprias voluntates; & vt vnito studio atque proposito, illud quo Propheta admodũ delectatur, gnauiter impleatis: Ecce quàm bonum & quàm iucundũ, habitare fratres in vnum. *Psal.132.* Quod non localiter, sed spiritaliter oportet intelligi. Nihil enim prodest, si moribus ac proposito dissidentes vna habitatione iungantur; nec obest parili virtute fundatis, per locorum interualla disiungi. Apud Deum namque morũ cohabitatio, non locorum vnita fratres habitatio coniungit; nec potest vmquam pacis integritas custodiri, vbi voluntatum diuersitas inuenitur.

*Interrogatio vtrum vtile aliquid etiam contra votum fratris effici debeat. Cap. IV.*

GERMANVS. QVid ergo si vno volente perficere aliquid quod secundum Deum commodũ & salubre perspexerit, alius non præstet assensum, exequendumne etiam contra votum fratris est, an pro eius arbitrio negligendum?

*Responsio quod perpetua amicitia nisi inter perfectos stare non possit. Cap. V.*

IOSEPH. IDeirco diximus plenam atque perfectã amicitiæ gratiã, nisi inter perfectos viros eiusdemq. virtutis perseuerare

non posse, quos eadem voluntas vnumq. propositum, aut numquam, aut certe raro facit diuersa sentire, aut in his quæ ad profectum spiritalis pertinent vitæ, patitur dissidere. Quòd si animosis cœperint contentionibus æstuare, liquet vtique eos numquã secundum regulam, quam prædiximus, fuisse concordes. Sed quia nemo potest a perfectione habere principium, nisi qui ab ipso eius cœperit fundamento, & vos non quanta eius sit magnitudo, sed quemadmodum ad eam peruenire possit inquiritis, necessarium reor vt paucis regulam vobis eius ac tramitem quendam, per quem gressus vestri dirigantur, aperiam, vt patientiæ ac pacis bonum facilius obtinere possitis.

*Quibus modis inuiolabilis possit societas retentari. Cap. VI.*

PRima igitur sunt veræ amicitiæ in contemptu substantię mundialis, & omnium quas habemus rerum despectione fundamina. Perquam enim iniustum atque impium est, si post abrenuntiatam mundi & omnium, quæ in eo sunt, vanitatem, pretiosissimæ fratris dilectioni supellex vilissima, quæ superfuit, præferatur. Secundũ est, vt ita suas vnusquisque resecet voluntates, ne sapientẽ atque consultũ esse se iudicans, suis malit quàm proximi definitionibus obedire. Tertiũ est, vt sciat omnia etiam quæ vtilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis ac pacis. Quartum, vt credat nec iustis nec iniustis de causis penitus irascendum. Quintum, vt aduersus se iracundiam fratris, etiã sine ratione conceptam, eodem modo quo suam curate desideret, sciens æqualiter sibi pernicioſam alterius esse tristitiam ac si aduersus alium ipse moueatur, nisi eam quantũ in se est etiam de fratris mente depulerit. Postremum illud est, quod generaliter vitiorum omniũ peremptorium esse non dubiũ est, vt se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Quæ persuasio non solum nullam in corde tristitiã residere permittet, verum etiã vniuersos concupiscentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Hæc igitur quicumque tenuerit, amaritudinem iræ atque discordiæ nec pati poterit, nec inferre. His autem cessantibus, cũ primum ille æmulus charitatis in cordibus amicorum tristitię sensim venena suffuderit, necesse est vt frequẽtibus surgijs paulatim dilectio tepefacta, amantium corda diu exulcerata quãdoque dissocier. Nam qui per callẽ prędictæ directionis ingreditur, in quo ab amico vmquam suo poterit



rit dissidere, qui primam litium causam, quæ ex paruulis rebus, vilissimisq. materijs generari solet, nihil suum vindicans radicitus amputarit, illud quod in actibus Apostolorum legimus de vanitate credentium omni virtute custodiens: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quę possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia? Deinde quemadmodum ab eo seminarium dissensionis exsurget, qui non suę sed fratris seruiens voluntati, Domini atque auctoris sui fuerit imitator effectus, qui loquens ex persona hominis quem gerebat: Non veni, inquit, vt faciem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me? Quo autem modo vllum contentionis fomitem suscitabit, qui de intelligentia ac sensu suo, non tam proprio iudicio quàm fratris credere decreuit examini, pro eius scilicet arbitrio, vel probans sua inuenta, vel improbans, & euangelicum illud pij cordis humilitate consummans: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu? Aut qua ratione aliquid quo frater mœstificetur admittet, qui bono pacis nihil pretiosius iudicat, Dominicæ illius sententię memoriam non amittens: In hoc cognoscent omnes quòd mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in inuicem, per quam velut speciali signaculo gregem ouium suarum in hoc mundo voluit Christus agnosci, atque hoc a ceteris, vt ita dixerim, charactere discerni? Qua uero ex causa vel in se recipere, vel in alio residere rancorem tristitiæ sustinebit, cui summa definitio est, iracundiæ quæ pernicioſa & illicita est, iustas causas esse non posse, eodemq. se modo succensente sibi fratre orare non posse, quo si fratri suo ipse succẽseat; illam Domini Saluatoris humili semper retinẽs corde sententiam: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vades prius reconciliare fratri tuo, & sic veniens offer munus tuum? Nihil enim proderit si te quidem asseras non irasci, & credas te illud implere mandatum quo dicitur: Sol non occidat super iracundiam vestram. &: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; alterius vero tristitiam quam delinire tua mansuetudine potuisti, contumaci corde despicias. Eodẽ namque modo præcepti Dominici prævaricationẽ plecteris. Qui enim dixit irasci te aduersus alterum non debere,

*Act. 4.*

*Ioan. 5.*

*Matt. 26.*

*Ioan. 13.*

*Matth. 5.*

*Epheſ. 4.*

*Matth. 5.*

dixit nec alterius contemmi debere triſtitiam; quia non in-
2.Tim.2. tereſt apud Deum qui omnes homines vult ſaluos fieri, vtrum te an alium quempiam perdas. Vnum ſiquidem cuiuſlibet interitu ei naſcitur detrimentum, itidemque illi cui grata omnium perditio eſt, vnum lucrum, vel tua vel fratris morte conquiritur. Quemadmodum poſtremo poterit vel tenuem contra fratrem retinere triſtitiam, qui ſe credit quotidie, immo continuo ab hoc ſæculo migraturum?

*Quod nihil charitati præponendum ſit, nec iracundiæ poſtponendum. Cap. VII.*

SIcut ergo nihil præponendum eſt charitati, ita furori vel iracundiæ nihil eſt e contrario poſtponendum. Omnia namque quamuis vtilia ac neceſſaria videantur, ſpernenda tamen ſunt, vt iræ perturbatio deuitetur; & omnia etiam, quæ putantur aduerſa, ſuſcipienda atque toleranda ſunt, vt dilectionis pacisq. tranquillitas illibata ſeruetur; quia nec ira atque triſtitia perniciosius quidquam, nec charitate vtilius eſt credendum.

*Quibus de cauſis inter ſpiritales naſcatur diſſenſio. Cap. VIII.*

NAm quemadmodũ carnales adhuc & imbecilles fratres ob vilem terrenamq. ſubſtantiam cito inimicus ille diſiungit, ita etiam inter ſpiritales gignit pro intellectuum diuerſitate diſcordiam. Ex qua ſine dubio contentio-
Galat. 5. nes rixęq. verborum, quas Apoſtolus damnat, plerumque conſurgunt, vnde conſequẽter diuortia inter vnanimes fratres hoſtis inuidus ac malignus interſerit. Vera eſt namque
Prou. 10. ſapientiſſimi Salomonis illa ſententia: Odiũ ſuſcitat contẽ-
ſec. lxx. tio, vniuerſos vero qui non contendunt, proteget amicitia.

*De amputandis etiã ſpiritalibus cauſis diſcordiarũ. Cap. IX.*

QVapropter ad conſeruandam perpetuam & indiuiduã charitatem, nihil prodeſt primam cauſam amputaſſe diſſidij, quæ ſolet naſci de rebus caducis atque terrenis; & vniuerſa deſpexiſſe carnalia, atque omniũ quibus noſter vſus indiget rerum indiſcretam communionem fratribus permiſiſſe, niſi etiam ſecundã quæ ſub ſpecie ſpiritalium ſenſuum naſci ſolet, ſimiliter abſcidẽtes, acquiſierimus in omnibus humilẽ ſenſum, & conſonã voluntatem.

*De optimo examine veritatis. Cap. X.*

MEmini namque cum me adhuc adhærere cõſortio ętas iunior hortaretur, huiuſmodi nobis intelligentiam, vel



vel in moralibus diſciplinis, vel in ſcripturis ſacris frequenter inſertam, vt nihil ea verius, nihilq. rationabilius crederemus. Sed cum in vnum conuenientes ſententias noſtras promere cœpiſſemus, quædam communi examinatione diſcuſſa, primum ab altero falſa ac noxia notabantur, mox deinde vt pernicioſa communi pronuntiata iudicio damnabantur, quæ in tantum prius infuſa a diabolo velut luce fulgebant, vt facile potuiſſent generare diſcordiam, niſi præceptum ſeniorum velut diuinum quoddam oraculum cuſtoditum ab omni contentione nos reuocaſſet, quo ab illis legali quadam ſanctione præſcriptum eſt, vt neuter noſtrum plus iudicio ſuo quàm fratris crederet, ſi numquam vellut diaboli calliditate deludi.

*Quod impoſſibile ſit quemquam, qui proprio fidit iudicio, diaboli illuſione non deciꝑi. Cap. XI.*

ETenim ſæpe illud quod Apoſtolus dicit, probatum eſt euenire: Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in angelum 2.Cor.11. lucis, vt obſcuram ac tetram caliginem ſenſuum pro vero lumine ſcientię fraudulenter offundat. Qui niſi humili & manſueto corde ſuſcepti, maturiſſimi fratris vel probatiſſimi ſenioris reſeruentur examini, & eorum iudicio diligenter excuſſi, aut abijciantur, aut recipiantur a nobis; ſine dubio venerantes in cogitationibus noſtris pro angelo lucis angelum tenebrarum, grauiſſimo feriemur interitu. Quam perniciem impoſſibile eſt euadere quem piam iudicio proprio confidentem, niſi humilitatis verę amator & executor effectus, illud quod Apoſtolus magnopere deprecatur, omni contritione cordis implerit: Si qua ergo, inquit, con- Philip. 2.
ſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores vobiſmetipſis alterutrum ar- Rom. 12.
bitrantes. & illud: Honore alterutrum pręuenientes; vt plus vnuſquiſque conſorti ſuo ſcientię & ſanctitatis adſcribeans, ſummam diſcretionis veræ, in alterius magis quàm in ſuo credat ſtare iudicio.

*Quam ob cauſam non debeant inferiores in collatione contemni. Cap. XII.*

SAepe autem accidit, ſiue illuſione diaboli, ſiue interceſſu erroris humani, quòd nullus eſt in hac carne qui falli

velut homo non possit, vt & ille interdum qui acrioris ingenij scientiæq. maioris est, aliquid falsum mente concipiat, & ille qui tardioris ingenij ac minoris est meriti, rectius aliquid veriusq. persentiat. Et idcirco nullus sibi quãuis scientia præditus, inani tumore persuadeat, quòd possit collatione alterius nõ egere. Nam etiam si iudiciũ eius diabolica non fallat illusio, elationis tamen & superbiæ grauic-
2.Cor. 13 tes laqueos nõ euadet. Quis enim hoc sibi absq. ingenti poterit vsurpare pernicie, cum vas electionis in quo Chaistus, vt ipse professus est, loquebatur, ob hoc solum modo
Gal. 1. se asserat Hierosolymam conscendisse, vt cum suis coæpo-
& 2. stolis Euangelium, quod gentibus reuelante & cooperante Domino prædicabat, secreta examinatione conferret. Per quod ostenditur non solum vnanimitatem atque concordiã per hæc præcepta seruari, verumetiam cunctas diaboli aduersantis insidias & illusionum eius laqueos non timeri.

*Quod charitas non solum res Dei, sed etiam Deus sit, Cap. XIII.*

DEnique in tantũ virtus charitatis extollitur, vt eã beatus Ioannes Apostolus, non solum rem Dei, sed etiam
1.Ioan.2. Deum esse pronuntiet, dicens: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Nam vsque adeo illam diuinam esse perspicimus, vt illud Apostoli ma-
Rom. 5. nifestissime vigere sentiamus in nobis: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui habitat in nobis. Quod tale est, ac si dicat: Quoniam Deus diffusus est in cordibus nostris per Spiritum sanctum
Rom. 4. qui habitat in nobis. Qui etiam cum ignoremus quid debeamus orare, interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda scit, quid desideret spiritus quia secundum Deum postulat pro sanctis.

*De gradibus charitatis. Cap. XIV.*

ILlam igitur charitatem quæ ἀγάπη dicitur, possibile est
Galt. 6. omnibus exhibere, de qua beatus Apostolus: Ergo dum tempus habemus, inquit, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Quæ in tantum omnibus est generaliter exhibẽda, vt eam etiam inimicis nostris a-
Matth.5. Domino iubeamur impendere, nam, Diligite, inquit, inimicos vestros διάθεσις autem, id est affectio, paucis admodum, & his qui vel paritate morum, vel virtutum societate connexi sunt exhibetur, licet etiã ipsa diathesis multam in



in se differentiam habere videatur. Aliter enim parentes, aliter coniuges, aliter fratres, aliter filij diliguntur, & in ipso quoque harum affectu necessitudinum magna distantia est nec vniformis parentũ dilectio erga filios inuenitur. Quod etiam Iacob patriarchę probatur exemplo, qui cum esset duodecim filiorum pater, omnesq. paterna charitate diligeret, tamẽ propensiore Ioseph dilexit affectu, vt de eo aper
te scriptura commemoret: Inuidebant autem ei fratres sui, Gen. 37.
eo quòd diligeret eum pater suus; non scilicet quòd vir iustus, & pater, non valde diligeret etiam ceteram prolem, sed quòd huius qui typũ Domini praferebat, affectui dulcius quodammodo atque indulgentius inhæreret. Hoc etiã de Ioanne Euangelista euidentissime legimus designari, cum de ipso dicitur: Discipulus ille quem diligebat Iesus; Ioan. 13.
cum vtique etiam reliquos vndecim similiter lectos, ita præcipua dilectione complexus sit, vt hoc etiam euangelica attestatione designet, dicens: Sicut dilexi vos, & vos Ibid.
diligite inuicem. De quibus & alibi dicitur: Diligens suos Ibid.
qui erant in mundo, vsque in finem dilexit eos; sed †hic vni- al. hac
us dilectio non erga reliquos discipulos teporem charitatis, sed largiorem erga hunc superabundantiam amoris expressit, quam ei virginitatis priuilegium & carnis incorruptio conferebat. Quæ idcirco velut sublimior cum quadam exceptione signatur, quia non eam odij comparatio, sed affluentior gratia exuberantissimi amoris extollit. Tale quid etiam ex persona sponsæ legimus in Cantico canticorum, dicentis: Ordinate in me charitatem. Hæc enim est vere Cant.2.
charitas ordinata, quæ odio habens neminem, quosdam sec. lxx.
meritorum iure plus diligit, quæque cum generaliter diligat cunctos, excipit tamen sibi ex his quos debeat peculiari affectione complecti, & rursum inter ipsos qui in dilectione summi atque præcipui sunt, aliquos sibi, qui ceterorum affectui superextollantur excerpit.

*De his qui vel suam vel fratrum commotionem dissimulatione corroborant. Cap. XV.*

EContra nouimus (quod vtinam nesciremus) nonnullos frartum tantę obstinationis atque duritiæ, vt cum vel suos aduersus fratrem, vel fratris aduersum se sensetint animos excitatos, ad dissimulandam mentis suæ tristitiam, qua ex indignatione alterutræ commotionis exorta est, secedentes ab eis quos humili satisfactione ac colloquio

quio lenire debuerant, aliquos psalmorum incipiunt decantare versiculos. Qui dum conceptam cordis amaritudinem delinire se putant, insultando augent, quod statim extinguere potuerunt, si magis anxij atque humiles esse voluissent; vt oportuna compunctio & ipsorum cordibus mederetur, & fratrum animos deliniret. Nam illo vtique modo pusillanimitatis, immo superbię suæ vitium palpant, & nutriunt potius, quàm extirpant fomitem iurgiorum, Dominicæ illius præceptionis immemores, quæ ait: Qui iratscitur fratri suo, reus erit iudicio. &: Si recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. *Matth. 5.* *Ibid.*

*De eo quod si frater aduersum nos aliquid habeat simultatis, munera orationum nostrarum a Domino respuantur. Cap. XVI.*

IN tantum igitur non vult nos Dominus noster alterius despectui habere tristitiam, vt si aliquid aduersum nos frater habuerit, nec munera nostra suscipiat, id est, nec orationes sibi a nobis permittat offerri, donec de animo eius tristitiã iuste iniusteve conceptam, celeri satisfactione tollamus. Neque enim ait: Si habet veram querelam aduersum te frater tuus, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare ei, sed: Si recordatus fueris, inquit, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, id est, etiam si leue aliquid ac vile sit quo fratris in te fuerit excitata commotio, & hoc memoriam tuam subita recordatione pulsauerit, scias te offerre precum tuarum spiritalia munera non debere, nisi prius qualibet ex causa ortam tristitiam de corde fratris benigna satisfactione depuleris. Si igitur euangelicus sermo etiam pro præterita & minima simultate, ac de exiguis causis oborta, satisfacere nos irascentibus iubet; quid de nobis miseris fiet, qui recentes & maximas causas nostroq. errore commissas, pertinaci dissimulatione contemnimus, & tumore diabolico inflati, dum humiliari erubescimus, auctores nos fraternæ tristitiæ denegamus, ac rebelli spiritu subijci præceptis Domini dedignantes, nequaquam ea vel obseruari debere, vel impleri posse contendimus? Eoque fit vt iudicantes eum impossibilia vel incongrua præcepisse, efficiamur secundum Apostolum non factores, sed iudices legis. *Ibid.* *Iacob. 4.*

De



*De his qui patientiã sæcularibus magis putant impendendam esse quam fratribus. Cap. XVII.*

ILlud quoque quibus lacrymis est deflendum, quòd nonnulli fratrum cum fuerint contumelia cuiuslibet sermonis accensi, si alterius cuiuspiam qui eã lenire desiderat precibus fatigentur, cum audierint nequaquam debere aduersus fratrem concipi tenerive tristitiam, secundum illud quod scriptum est: Qui iratscitur fratri suo, reus erit iudicio. &: Sol non occidat super iracundiam vestram; proclamant illico: Si paganus aliquis, si hoc sæcularis fecisset, aut ista dixisset, recte debuit sustineri; quis autem ferat fratrem tam grauis conscium culpæ, aut tam insolens de ore conuicium proferentem? Quasi vero patientia infidelibus tantum, atque sacrilegis, & non omnibus sit generaliter exhibenda; aut iracundia contra gentilem noxia, contra fratrem vtilis æstimãda sit; cum vtique perturbatæ mentis obstinata commotio, non dissimile, contra quemuis fuerit excitata, sibi inferat detrimentum. Quantæ autem obstinationis, immo quantæ vecordiæ est, vt nec ipsam verborum proprietatem brutæ mentis stupore discernat. Quia non dicitur: Omnis qui iratscitur alienigenæ, reus erit iudicio, quod fortasse poterat secundum illorum sensum, consortes nostræ fidei & conuersationis excipere; sed significanter expressit euangelicus sermo, dicens: Omnis qui iratscitur fratri suo, reus erit iudicio. Licet itaque secundum regulam veritatis omnem hominem fratrem debeamus accipere, tamen hoc in loco magis fidelis ac nostræ cõuersationis particeps quàm ethnicus ipso fratris vocabulo designatur. *Matth. 5.* *Ephes. 4.* *Matth. 5.*

*De his qui patientiam mentientes, ad iracundiam fratres silentio accendunt. Cap. XVIII.*

ILlud vero quale est, quòd interdum patientes esse nos credimus, quia respondere cõtemnimus lacessiti, sed ita commotos fratres amara taciturnitate, vel motu gestuq. irrisorio subsanamus, vt eos magis ad iracundiam vultu tacito prouocemus, quàm tumida potuissent incitare conuicia: in eo nos æstimantes minime apud Deum reos, quia nihil ore protulimus quod nos notare hominum iudicio aut condemnare potuisset? Quasi vero apud Deum verba tantummodo, & non præcipue voluntas vocetur in culpã, & opus solum peccati, non etiam votum ac propositum habeatur in crimine; aut hoc tantũ quòd vnusquisque fecerit

Universidad de Deusto Biblioteca

rit per loquelam, & non quod etiam per taciturnitatem facere ſtuduerit, in iudicio ſit quærendum. Non enim ſola commotionis illatę qualitas, ſed etiam propoſitum irritantis in noxa eſt. Et idcirco non quemadmodum iurgium fuerit excitatum, ſed cuius conflagrauerit vitio, verum iudicis noſtri perquiret examen: † Effectus enim peccati, non ordo eſt conſiderandus admiſſi. Quid enim differt vtrum quis gladio ipſe peremerit fratrem, an aliqua ad mortem fraude compulerit, cum ipſius eũ dolo vel crimine conſtet extinctum? Quaſi vero cęcum in præceps manu propria non impegiſſe ſufficiat, cum ſimiliter reus ſit qui pronum & imminentem iam foueæ, cum potuerit reuocare contemſerit; aut ille ſolus in crimine ſit, qui manu ſua quempiam laqueauerit, & non etiam is qui vel parauerit vel ingeſſerit laqueum, vel certe cum potuerit auferre noluerit. Ita igitur tacere nil prodeſt, ſi idcirco nobis indicamus ſilentium, vt quod agendum conuicio fuerat, hoc taciturnitate faciamus, † aſſimilantes quoſdam geſtus, quibus & ille quẽ curari oportuit, iracundia vehementiori inardeſcat, & nos ſuper hæc omnia damno illius ac perditione laudemur, quaſi vero non etiam ex hoc ipſo quis criminoſior ſit, quòd gloriam ſibi de fratris voluerit perditione conquirere. Vtrique enim tale ſilentium erit æqualiter noxium: quia ſicut exaggerat in alterius corde triſtitiam, ita in ſuo non permittit extingui. Contra quos illa prophetæ ſatis proprie directa eſt maledictio: Væ qui potat amicum ſuum, mittens fel ſuum, & inebriãs vt aſpiciat nuditatẽ eius: repletus eſt ignominia pro gloria. Illud quoque quod per alium de talibus dicitur: Quia omnis frater ſupplãtans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquentur. Extenderunt enim linguam ſuam quaſi arcum mendacij & non veritatis. Sæpe autem ficta patientia etiam acrius ad iracundiam, quàm ſermo ſuccendit, & atrociſſimas verborum tranſcendit iniurias maligna taciturnitas; leuiusq. tolerantur inimicorũ vulnera quàm irridentium ſubdola blandimenta. De quibus proprie dicitur per Prophetam: Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Et alibi: Verba callidorum mollia, hæc autem feriunt in penetralia ventris. Quibus etiam illud poteſt eleganter aptari: In ore pacem cum amico ſuo loquitur, & occulte ponit ei inſidias, quibus tamen

*al. Affectus.*
*al. aſſimulantes.*
*Habac. 2.*
*Hiere. 9.*
*Ibid.*
*Pſal. 54.*
*Prou. 26. ſec. lxx.*
*Hiere. 9.*



men magis decipitur ipſe qui decipit. Nam qui præparat ante faciem amici ſui rete, circumdat illud pedibus ſuis. &: Qui fodit foueam proximo ſuo, incidet in eã ipſe. Denique cum magna ad comprehendendum Dominum cum gladijs & fuſtibus multitudo veniſſet, nemo in auctorem vitæ illo cruentior extitit parricida, qui cunctos ficto ſalutationis honore præueniens, oſculum ſubdolæ charitatis ingeſſit. Cui Dominus: Iuda, inquit, oſculo filium hominis tradis? Id eſt, amaritudo perſecutionis atque odij tui hoc tegmẽ aſsũpſit, quo dulcedo veri amoris exprimitur? Apertius quoque ac vehementius per Prophetam vim huius doloris exaggerat: Quoniam ſi inimicus meus, inquit, maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique; & ſi is qui oderat me, aduerſum me magna locutus fuiſſet, ac abſcondiſſem me vtique ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.

*Prou. 29. ſec. lxx.*
*Prou. 26. ſec. lxx.*
*Matt. 26.*
*Luc. 22.*
*Pſal. 44.*

*De his qui ex indignatione ieiunant. Cap. XIX.*

ALiud quoque profanum triſtitiæ genus eſt, quod dignũ commemoratione non fuerat, niſi id a nonnullis fratribus ſciremus admitti, qui cum triſtificati fuerint vel irati, ab ipſo etiam pertinaciter abſtinẽt cibo; ita vt (quod etiã dicere abſque pudore non poſſumus) illi qui dum placidi ſunt refectionem cibi vſque ad horam ſextam, vel vt multũ nonam, negant ſe poſſe differre, cum fuerint triſtitia vel furore ſuppleti, ieiunia etiam biduana non ſentiãt, tantamq. inediæ defectionem iracundiæ ſatietate ſuſtentent. In quo plane ſacrilegij crimen euidenter incurrunt, ieiunia ſcilicet quæ ſoli Deo pro humiliatione cordis & purgatione vitiorum ſunt ſpecialiter offerenda, pro tumore diabolico tolerantes. Quod tale eſt, ac ſi orationes atque ſacrificia non Deo ſed dæmonijs deferant, illamq. Moſaicam increpationem mereantur audire: Sacrificauerunt dæmonijs & non Deo, dijs quos ignorabant.

*Deut. 32.*

*De quorundam ſimulata patientia, qui maxillam alteram ingerunt verberandam. Cap. XX.*

NOn ignoramus etiam aliud dementiæ genus, quod ſub colore fucatæ patientię in nonnullis fratribus inuenitur, quibus parum eſt iurgia commouiſſe, niſi etiam inſtigatorijs verbis vt feriantur † irritent; eumq. vel leui fuerint impulſione contacti, aliam quoque partem corporis

*al. inuitent;*

*Matth. 5.* ris ingerunt verberandam, quasi per hoc perfectionē mandati illius impleturi, quo dicitur: Si quis te percusserit in dextram maxillā tuam, præbe illi & alteram; scripturæ vim ac propositum penitus ignorantes: euangelicā namque patientiam per iracundiæ vitium exercere se putant, ob quod radicitus excidendum, non solum vicissitudo talionis, & concertandi irritatio prohibetur, sed etiam furorem verberantis geminatæ iubemur iniuriæ tolerantia mitigare.

*Interrogatio quemadmodum Christi mandatis obtemperantes euangelica perfectione fraudentur.*

GERMANVS. *Cap. XXI.*

QVomodo reprehendendus est is, qui præcepto euangelico satisfaciens, non solum nō intulit talionem, sed etiam paratus est, vt sibi geminetur iniuria?

*Responsio quod Christus non solum facti, sed etiam voluntatis inspector sit. Cap. XXII.*

IOSEPH. SIcut paulo ante dictum est, non solum res ipsa, quæ geritur, sed etiam qualitas mentis & propositum facientis est intuendum. Et idcirco si id, quod ab vnoquoque perficitur, quo animo fiat, vel quo procedat affectu, intimo perpendatis cordis examine, videbitis patientiæ lenitatisq. virtutem nequaquam posse contrario spiritu, id est, impatientiæ ac furoris impleri. Siquidem Dominus noster atque Saluator ad profundam nos instruens patientiæ lenitatisq. virtutem, id est, vt non labijs eam tantummodo præferamus, sed vt in intimis animæ nostræ † abditis recondamus, *al. adytis*
istam nobis perfectionis euangelicæ formulam dedit, dicens: Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alterā; subauditur sine dubio, dextram. Quæ alia dextra, nisi interioris hominis, vt ita dixerim, facies accipi potest? Per hoc omnem penitus iracundiæ fomitē de profundis cupiens animæ penetralibus extirpare, id est, vt si exterior dextera tua impetum ferientis exceperit, interior quoque homo per humilitatis assensum dexterā suam præbeat verberandam, compatiens exterioris hominis passioni, & quodammodo succumbens atque subijciens suū corpus ferientis iniuriæ, ne exterioris hominis cęde vel tacitus moueatur interior. Videtis ergo longe eos ab euangelica perfectione distare, quę patientiam docet, non verbis, sed interiore cordis tranquillitate seruandam, eamq. a nobis cum quid aduersi euenerit ita præcipit custodiri, vt non solum



solum nosmetipsos alienos ab iracundię perturbatione seruemus, sed etiam illos, qui suo cōmoti sunt vitio, succumbentes iniurijs eorum ad placiditatem expleta cædis satietate cogamus, furorem eorum nostra lenitate vincentes. Et ita etiam apostolicum illud implebimus: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. *Rom. 12.* Quod ab illis impleri nō posse certissimum est, qui illo spiritu ac tumore verba humilitatis ac lenitatis emittunt, vt non solum non mitigent conceptum furoris incendiū, sed magis illud tam in suo quàm in fratris commoti sensu faciant conflagrare, qui tamen etiam si possent aliquo modo ipsi mites ac placidi permanere, nec sic quidem aliquos iustitiæ caperent fructus, cum dāno proximi patientiæ sibi gloriā vindicantes, & per hoc ab illa apostolica charitate omnimodis alieni, quæ non quærit quæ sua sunt, sed ea quæ aliorum. non enim ita di- *1. Cor. 13*
uitias concupiscit, vt lucrum sibi de proximi faciat detrimēto, nec acquirere quidquā cū alterius desiderat nuditate.

*Quod ille sit fortis & sanus qui succumbit alterius voluntati. Cap. XXIII.*

SCiendum sane generaliter illū partes agere fortiores, qui volūtati fratris suam subijcit voluntatem, quàm eū qui in defendendis suis definitionibus ac tenendis pertinacior inuenitur. Ille enim sustentans ac tolerans proximū sani ac validi, hic autem infirmi quodammodo & ægrotantis obtinet locum, quem ita palpari necesse est ac foueri, vt interdū etiā a rebus necessarijs pro eius quiete ac pace salubre sit aliquid relaxari. In quo quidē non se credat quis aliquid de sua perfectione minuisse, tametsi quiddam de proposita districtione cōdescendendo submiserit, sed econtrario multo amplius se pro longanimitatis & patientiæ bono nouerit acquisisse. Apostolicū namque præceptū est: Vos qui fortes *Rom. 15.*
estis, imbecillitates infirmorum sustinete. &: Alterutrum *Galat. 6.*
onera vestra portate, & sic adimplebitis legē Christi. Numquam enim infirmus sustentat infirmum, nec tolerare poterit, aut curare languentē is qui simul ægrotat; sed ille medelam tribuit imbecillo, qui imbecillitati ipse non subiacet. Merito enim ei dicitur: Medice, cura teipsum. *Luc. 4.*

*Quod infirmi iniurioſi sint, & iniurias ferre non possint. Cap. XXIV.*

NOtandum etiam illud est, infirmorum naturam esse semper eiusmodi, vt prompti quidem ac faciles sint ad con-

contumelias ingerendas, & iurgia conserenda, ipsi vero ne minima quidem iniuriæ velint suspicione contingi; cumq. inferētes proterua conuicia incōsiderata superequitent libertate, ne parua quidem atque leuissima sustinere contenti sunt. Ideoq. secundum prædictam seniorum sententiam, charitas stabilis atque indirupta non poterit perdurare, nisi inter viros eiusdem virtutis atque propositi. Scindi etenim necesse est eam quocumque tempore, quantalibet fuerit cautione ab altero custodita.

*Interrogatio quomodo fortis sit qui non semper sustentat infirmum. Cap. XXV.*

GERMANVS. IN quo ergo laudabilis perfecti viri potest esse patientia, si tolerare non valet semper infirmum?

*Responsio quod infirmus se non sinat sustentari. Cap. XXVI.*

IOSEPH. NEc ego dixi quòd illius qui fortis est ac robustus, virtus tolerātiaq. vincenda sit, sed quòd infirmi pessima valitudo, illius qui sanus est sustentatione nutrita, atque in deterius quotidie prolabens generatura sit causas ob quas vel ipse vltra non debeat sustineri, vel certe patientiā proximi notam, ac deformationem impatientiæ suæ esse conijciens, abire quādoque malit, quàm magnanimitate semper alterius sustineri. Hæc ergo ab his qui sodalitatis affectum cupiunt inuiolabilem custodire, præ omnibus obseruanda censemus, vt primum quibuslibet iniurijs lacessitus non solum labia, sed etiam profunda pectoris sui monachus tranquilla custodiat, quæ tamen si vel tenuiter sensérit fuisse turbata, omni semetipsum taciturnitate contineat, & ilud quod Psalmista commemorat diligenter obseruet: Turbatus sum, & non sum locutus. &: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam dum consisteret peccator aduersum me; obmutui & humiliatus sum, & silui a bonis: nec præsentem considerans statum, ea proferat quæ ad horam turbulentus suggerit furor dictatq. animus asperatus, sed vel præteritæ charitatis recolat gratiam, vel reformandæ pacis redintegrationem mente perspiciat; eamq. velut continuo reuersurā, etiam in ipso commotionis tempore contempletur. Dumq. se ad dulcedinem seruat concordiæ mox futuræ, amaritudinem præsentium non sentiet iurgiorum, & ea potissimum respondebit, e quibus vel a semetipso reus fieri, vel ab

*Psal. 76.* *Psal. 38.*



ab alio reprehendi restituta charitate nō possit, sicq. adimplebit propheticum illud eloquium: In ira misericordiæ memor eris. *Habac. 3.*

*Quomodo sit iracundia comprimenda. Cap. XXVII.*

COhibere ergo nos oportet omnes iracundiæ motus, & discretione gubernatrice moderari, ne in illud quod a Salomone damnatur, præcipiti furore raptemur: Totam iram suam profert stultus, sapiens autem dispensat per partes, id est, stultus quidem ad vltionem sui iræ perturbatione succenditur, sapiens autem paulatim eam maturitate consilij ac moderationis extenuat, & expellit. Tale est & illud, quod ab Apostolo dicitur: Non vosmetipsos vindicantes charissimi, sed date locum iræ. id est, nequaquam ad vindictam iracundia cogente tendatis, sed date locum iræ: hoc est, non sint corda vestra sic impatientiæ ac pusillanimitatis angustijs coartata, vt violentam commotionis procellam cum irruerit sustinere non possint; sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes aduersos iracundiæ fluctus in illis extentis sinibus charitatis, quæ omnia sufert, omnia sustinet. & ita mens vestra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in se consiliorum salutares recessus, in quibus receptus quodammodo atque diffusus teterrimus iracundiæ fumus, protinus euanescat. Vel certe ita intelligendum est: Damus locum iræ quotiens commotioni alterius humili atque tranquilla mente succumbimus, & quodammodo dignōs nos qualibet iniuria profitentes, impatientiæ sæuientis obsequimur. Ceterum hi qui ita sensum apostolicæ perfectionis inclinant, vt locum iræ illos dare existiment, qui ab irascente discedunt, videntur mihi dissensionum fomitem nō abscidere, sed nutrire. Nisi enim iracundia proximi humili statim satisfactione vincatur, prouocat eam fugiens potius quàm declinat. Illud quoque huic simile est, quod Salomon ait: Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu insipientium requiescit. &: Noli procurrere in rixam cito, ne pœniteat te in nouissimo. Neque enim ita festinationē rixæ vel iracundiæ culpat, vt earundem approbet tarditatē. Similiter & illud suscipiendū est: Stultus eadem ipsa hora pronuntiat irā suam, occultat autem ignominiam suam astutus. Nō enim ignominiosam iracundiæ passionē ita a sapientibus occultari, debere decernit, vt iracundiæ velocitatem culpās, non

*Habac. 3.* *Rom. 12.* *1. Cor. 13.* *Eccles. 7. sec. lxx.* *Prou. 25. sec. lxx.* *Prou. 12. sec. lxx.*

prohibeat tarditatem, quam vtique si per necessitatem humanæ infirmitatis irruerit ideo censuit occultandam, vt dum ad præsens sapienter obtegitur, in perpetuum deleatur. Hæc enim natura est iræ, vt dilata langueſcat & pereat, prolata vero magis magisq. conflagret. Dilatanda ergo atque amplianda sunt pectora, ne angustijs pusillanimitatis artata, iracundiæ turbulentis æstibus oppleantur, & recipe-
*Psal. 118.* re, secundum Prophetam, illud nimis latum mandatũ Dei
*Ibid.* angusto corde nequeamus, nec dicere cum Propheta: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum. Nam quia longanimitas sapientia sit, euidentissimis scri-
*Prou. 14. sec. lxx.* pturæ testimonijs edocemur: Longanimis enim vir nimius in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est. Et idcirco de illo qui sapientiæ donum laudabiliter a Domino
*3. Reg. 4.* postulauit, scriptura commemorat: Et dedit Dominus Salomoni sapientiam prudentiamq. multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam maris innumerabilem.

*Amicitias coniuratione initas, firmas esse non posse. Cap. XXVIII.*

ILlud quoque multis experimentis est sępissime cõprobatum, nullo modo eos qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indiruptam potuisse seruare concordiam, siue quòd eam non pro desiderio perfectionis, nec pro apostolicæ charitatis imperio, sed pro amore terreno, & per necessitatem ac vinculum pacti retinere conati sunt, siue quòd ille callidissimus inimicus vt eos prævaricatores sui faciat sacramenti, celerius ad irrumpenda amicitiarum
*sup. cap. 5* vincla præcipitat. Certissima ergo est prudentissimorum virorum illa sententia, Veram concordiam & indiuiduam societatem, nisi inter emendatos mores, eiusdémq. virtutis ac propositi viros stare non posse. Hæc de amicitia beatus Ioseph spiritali narratione disseruit, nosq. ad custodiendam sodalitatis perpetuam charitatem ardentius incitauit.

*COLLATIONIS PRIMÆ abbatis Ioseph de Amicitia, Finis.*

COLLA-

# COLLATIO XVII. QVAE EST SECVNDA ABBATIS IOSEPH DE DEFINIENDO

*De vigilijs quas pertulimus. Cap. I.*

PRAECEDENTE igitur collatione finita, pariterq. nocturno intercedente silentios cũ fuissemus a sancto abbate Ioseph ad sepositam cellulam causa quietis adducti, & sermonibus eius igne quodã in nostris cordibus excitato, totam noctem habuissemus insomnem, egressi cellam, & centum fere ab ea passibus secedentes, in loco remotiore consedimus. Cum itaque secreti colloquij nobis familiariter etiam nocturnis tenebris oportunitas pręberetur, ilico vt resedimus abbas Germanus grauiter ingemiscens.

*De abbatis Germani anxietate super sponsionis nostræ recordatione. Cap. II.*

QVid agimus, inquit? Ingenti namque discrimine nos videmus, & perquàm miserabili cõdicione constrictos, quos & ratio ipsa conuersatioq. sanctorum quid salubrius sit ad profectum vitę spiritalis efficaciter docet, & eligere id quod expedit, data senioribus sponsio non admittit. Etenim potuimus exemplis talium ac tantorum virorum ad perfectiorem vitã propositumq. formari, nisi nos instanter ad cœnobium recurrere promissi pactio coartaret. Quo si reuersi fuerimus, nulla nobis copia vlterius remeãdi tribuetur. Sin vero hic residentes desideriũ nostrum maluerimus explere, quid agimus de spõsionis fide, quam seniorbus nostris velocissimum reditum pollicẽtes dedisse nos nouimus, vt vel cursim liceret nobis huius prouincię sanctos ac monasteria circumire? Cumq. sic ęstuantes quid super statu salutis nostrę definiendum esset, nequaquam inuenire possemus, solo gemitu testabamur durissimæ condicionis necessitatem, accusantes teneritudinem frontis nostræ, & ingenitam nobis verecundiam dete-

ſtantes, cuius onere prægrauati, etiam contra vtilitatem ac propoſitum noſtrum, retinentium precibus alias non potuiſſemus obſiſtere, niſi maturiſſimo reditu repromiſſo illius ſcilicet nos pudoris vitio laboraſſe deflentes, de quo
Prou. 26. ſec. lxx. dicitur: Eſt pudor afferens peccatum.

*Quid mihi ad hoc viſum ſit. Cap. III.*

TVm ego: Compendium, inquâ, anguoribus afferat noſtris conſilium, immo auctoritas ſenis, ad quem oportet vt noſtras ſolicitudines deferamus; & quidquid fuerit eius ſententia definitum, velut diuinum & cęleſte reſponſum cunctis æſtibus noſtris terminum ponat. Quod quidem nobis per os ſancti huius a Domino tribuendum, & ob illius meritum & ob noſtram fidem minime dubitemus. Ipſius enim munere ſalubre conſilium & creduli ab indignis, & increduli a ſanctis frequenter adepti ſunt, Domino id vel propter meritum reſpondentium, vel propter fidem conſulentium largiente. His itaque ſermonibus a ſancto abbate Germano ea alacritate ſuſceptis, ac ſi eos nō a memetipſo, ſed inſtinctu Domini protuliſſem, aduentum ſenis atque inſtantem iam horam nocturnę ſynaxeos paululum pręſtolati, poſtquam eum ſolita ſalutatione ſuſcepimus, & legitimus orationum atque pſalmorum impletus eſt numerus, ijſdem rurſus quibus ad quietem compoſiti fueramus pſiathijs ex more conſedimus.

*Interrogatio abbatis Ioſeph, noſtraq. reſponſio, vnde anxitas emerſiſſet. Cap. IV.*

TVm venerabilis Ioſeph deiectiores nos animo contemplatus, atque hoc nobis non ſine cauſa conijciens ac-
Gen. 40. cidiſſe, illo nos patriarchę Ioſeph ſermone compellat: Quid
Ibid. vtique vultus veſtri triſtes ſunt hodie? Cui nos, nō ſicut vinculati illi Pharaonis miniſtri; Somnium vidimus, & qui interpretetur non eſt, ſed: Inſomnem, inquam, duximus noctem, & qui æſtuum noſtrorum moles ſubleuet, non eſt, niſi eas Dominus tua diſcretione ſubmouerit. Tum ille qui patriarchæ virtutem & merito referret & nomine: Nonne per Dominum, inquit, eſt humanarum cogitationum curatio? Proferantur in medium; potens eſt enim diuina clementia ſecundum fidem veſtram noſtro eis medelam præbere conſilio.

*Expo-*



*Expoſitio abbatis Germani cur vel in Ægypto reſidere mallemus, vel retraheremur ad Syriam. Cap. V.*

AD hæc Germanus: Credebamus, inquit, nos veſtræ beatitudinis viſione non ſolū lætitia ſpiritali, ſed etiā profectu abunde repletos, ad noſtrum cœnobium recurſuros, & ea, quæ fuiſſemus veſtro magiſterio conſecuti, a nobis poſt reditum vel tenui æmulatione ſectanda. Hoc enim & ſeniorum noſtrorum dilectio ſibi ſpondere nos compulit, dum ſublimitatem vitæ veſtrę atque doctrinæ poſſe nos aliquatenus imitari in illo cœnobio crederemus. Vnde cū ex hoc nobis omnem æſtimaremus lętitiam conferendam, intolerabili econtrario dolore conficimur, conſiderantes illo nos ordine id quod ſalutare nobis eſſe cognoſcimus obtinere non poſſe. Ex vtroque ergo nunc latere coartamur. Si enim promiſſioni, quam coram cunctis fratribus in ſpelæo, in quo Dominus noſter ex aula vteri virginalis effulſit, ipſo teſte deprompſimus, ſatisfacere voluerimus, ſummum ſpiritalis vitæ detrimentum incurrimus. Sin autem ſponſionis immemores, & in his regionibus reſidentes, vtilitati perfectionis noſtræ illam voluerimus poſtponere pactionem, abrupta mendacij pericula formidamus. Sed ne hoc quidem æſtus noſtros poſſumus releuare conſilio, vt poſtquam velociſſimo reditu ſponſionis fuerit impleta condicio, hæc denuo loca celeri petamus recurſu. Nam quamuis ad profectum ſpiritalium rerum, virtutemq. tendentibus periculoſa ac noxia ſit etiam parua dilatio, tamen pollicitationem fidei noſtræ quamuis moroſo reditu ſolueremus, niſi nos non ſolum auctoritate, verum etiam charitate ſeniorum noſtrorū ſciremus inexſolubiliter colligandos, ita vt remeandi ad hęc loca nobis poteſtas deinceps nullo modo tribuatur.

*Interrogatio abbatis Ioſeph an in Ægypto maior profectus nobis, quàm in Syria conferretur. Cap. VI.*

AD hæc beatus Ioſeph, interpoſito aliquantiſper ſilentio: Certi, inquit, eſtis maiorem ſpiritalium rerū profectum in regione hac vobis poſſe conferri?

*Reſponſio de differentia inſtitutionum vtriuſque*
GERMANVS. *prouinciæ. Cap. VII.*

QVamuis etiam illorum doctrinæ ſummas grates rependere debeamus, qui nos docuerunt a paruulis

magna conari, & dato boni sui gustu, egregiam perfectionis sitim nostris visceribus indiderunt, si quid tamen iudicio nostro creditur, nullam ducimus comparationem inter hæc atque illa, quæ illic percepimus instituta; vt sileamus conuersationis vestræ inimitabilem puritatem, quam vobis non solum mentis ac propositi districtione, sed etiam locorum credimus beneficio patrocinante conferri. Vnde nō dubitamus ad imitandam perfectionis vestræ magnificentiam, hanc, quæ cursim traditur, doctrinam non posse sufficere, nisi nobis etiam commorationis ipsius affuerint adiumenta; longiq. temporis eruditio quotidiana institutione corporem nostri cordis vtcumque discusserit.

*Quod perfecti viri nihil absolute debeant definire, vel vtrum sine peccato possint definita rescindere.*

IOSEPH. *Cap. VIII.*

SAnum quidem est atque perfectum, nostrēq. professioni omnino conueniens, vt ea quę sub aliqua sponsione decernimus, efficaciter impleamus. Ob quā rem nihil oportet abrupte monachū definire, ne aut id quod incaute promisit implere cogatur, aut consideratione honestioris intuitus reuocatus, sponsionis suę prēuaricator existat. Sed quia nunc propositū nobis est, non tam de sanitatis statu quàm de infirmitatis curatione tractare, nō quid priore loco a vobis fuerat actitādum, sed quemadmodum de scopulo huius pernicioſi naufragij possitis euadere salubri est consilio requirendum. Quando igitur nullum nos coartat vinculum, nulla condicio constringit, de comparatione secundarū rerum optione proposita, id quod maioris est cōmodi præeligatur; quādo vero aliqua dispendiorum obsistit aduersitas, in comparatione damnorum illud est appetendum quod leuioribus subiacet detrimentis, vt a quodam dictum est: De maximis malis minima deligas. Proinde quātum vestra pace facit assertio, cum ad id vos loci sponsio inconsulta perduxerit, vt ex vtroque vobis grauis incommodi subeunda iactura sit, in eā partē inclinandum est electionis arbitrium, quę vel tolerabiliora dispendia inferat, vel satisfactionis remedio facilius expietur. Si ergo maiora spiritui vestro lucra ex hac commoratione creditis conferenda, quàm illa sunt quę vobis de cōuersatione illius cœnobij nascebātur, neque sine iactura ingentium commodorum potest condicio vestræ sponsionis impleri, satius est hoc vos mendacij vel non im-



impletę promissionis subire dispendium, quod semel præteritum nec ipsum vltra iam repeti, nec alia per semet poterit generare peccata, quam in illud incidere, per quod tepidioris vitæ, vt dicitis, status, quotidiano vos atque interminabili afficiat detrimento. Veniabiliter enim, immo vero etiam laudabiliter definitio incauta mutabitur, si ad salubriorem transeat partem; nec constantiæ prævaricatio, sed temeritatis emendatio esse credenda est, quotiens sponsio vitiosa corrigitur. Quæ omnia scripturarū quoque possunt testimonijs apertissime comprobari, quàm multis etiā letaliter cesserit statuta complesse, & econtrario quàm multis eadem refugisse commodum fuerit ac salubre.

*Quod plerumque vtilius sit statuta dirumpere, quam implere. Cap. IX.*

QVod vtrumque liquidissime sancti Apostoli Petri, & Iudæ traditoris exempla testantur. Ille enim quia discessit ab inconsultę definitionis sentētia qua dixerat: Non mihi lauabis pedes in æternū; immortale Christi omniumq. sanctorum consortium promeretur: abscidendus proculdubio ab huius beatitudinis gratia, si in sermonis sui obstinatione mansisset. hic uero pertinaciam suæ retinens sponsionis, perpetua morte damnatur: qua fuisset proculdubio liberatus, si definitionis suæ maluisset destitutor potius quàm ptinax inueniri. Quod in illis quoque duobus filijs, qui in Euangelio ad operationem vineæ destinantur, euidentissime perdocemur. quorū vnus patris resistit imperio, alius prona responsione cōsentit. Sed nec illi profuit humilis obsecundaq. respōsio, quia prœceptū patris opere detrectauit implere, nec illi refragatio iussionis obfuit, eo quòd statuti sermonis obstinatione mutata, scopō patris operis executione cōpleuit, & id quod reptehēsibiliter statuerat, definitione correcta laudabiliter emendauit. Necnon & Herodis cruentissimi regis exemplum, qui fidē inconsulte retinens sacramenti, cruentissimus Præcursoris Domini extitit interemptor, vanoq. timore periurij damnationi semetipsum atque supplicijs perpetuæ mortis immersit. Primum etenim est optima statuere; quòd si aliter cesserit, sequens est in melius ea quæ sunt statuta mutare, ordinationibusq nostris iam iacentibus, ut ita dixerim, dexteram manum porrigere. Vbi principia consilij non approbantur, prudentia est, vt vtili prouisione addita reparentur.

*Ioan. 13.*

*Matt. 21.*

*Matt. 14.*

Si ad prima ſtatuta claudicat diſpoſitio, adhibeatur ad ſecunda correctio. In omnibus ergo rebus conſiderandus eſt finis, & ſecundum eum propoſiti noſtri dirigendus eſt curſus; quem ſi ſuperueniente ſalubriore conſilio ad deteriorem partem vergere viderimus, rectius eſt incongrua conſtitutione ſubmota, ad meliorem tranſire ſententiam, quàm ſtatutis pertinaciter inhærendo, peccatis grauioribus obligari.

*Interrogatio noſtra de metu præbitæ in cœnobio Syriæ ſponſionis. Cap. X.*

GERMANVS.

QVantum ſpectat ad deſiderium noſtrum, quod a nobis pro ſpiritalis commodi vtilitate ſuſceptum eſt, optaremus ædificari veſtri iugitate conſortij. Si enim ad cœnobium noſtrum fuerimus reuerſi, non ſolum nos ab hoc tam ſublimi propoſito relapſuros, ſed etiam pro mediocritate conuerſationis illius, multis certum eſt diſpendijs quatiendos. Verum illud nos euangelicum mandatum
*Matth. 5.* veheméter abſterret: Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, nō: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt. Credimus enim tanti tranſgreſſionem præcepti nulla poſſe iuſtitia compenſari, nec in extremis recte cedere, quod malo initio ſemel fuerit inchoatum.

*Reſponſio quod propoſitum gerentis, non negotij ſit conſiderandus effectus. Cap. XI.*

IOSEPH.

IN omnibus, vt diximus, cauſis non proceſſus operis, ſed voluntas operantis eſt intuenda; nec ſtatim quid quis egerit, ſed quo voto egerit inquirendum, ita vt nonnullos pro his factis, de quibus bona poſtea orta ſunt, reperiamus fuiſſe damnatos; & econtrario quoſdam per reprehenſibiles actus ad ſummam perueniſſe iuſtitiam. Et nec illi vtilis rerum exitus profuit, qui peſſimo rem aggreſſus propoſito, non illam quæ ſubſecuta eſt vtilitatem, ſed quiddā contrarium voluit operari; nec huic nocuit reprehenſibiliter inchoaſſe, qui non pro contemptu Dei, nec delinquendi propoſito, ſed neceſſarij & ſancti finis intuitu, vituperabilis initij neceſſitatem ſuſtinuit.

*Quod boni prouentus malignis auctoribus non profuerint, nec bonis mala geſta nocuerint. Cap. XII.*

ET vt hæc eadem ſanctarum ſcripturarum dilucidemus exemplis; quid ſalubrius, quidve vtilius vniuerſo orbi potuit procurari, quàm Dominicæ paſſionis ſalutare remedium?



dium? Et tamen non ſolum non profuit, verumetiam in tantum illi obfuit traditori, cuius miniſterio probatur impletum, vt abſolute pronuntietur de illo: Bonum erat ei, ſi *Matt. 26.* natus non fuiſſet homo ille. Nō enim ſecundum hoc quod euenit, fructus illi eſt ſui operis repenſandus, ſed ſecundum id quod facere voluit, vel effecturum eſſe ſe credidit. Et rurſus, quid criminoſius dolo atque mendacio, etiam in extraneum, ne dixerim in germanum fratrem commiſſo? Et tamen non ſolum nullam pro his damnationem aut reprehenſionem Iacob patriarcha contraxit, verumetiam *Gen. 27.* perpetua benedictionis hęreditate ditatus eſt. Nec immerito, quia & iſte benedictionem primogenito deſtinatam, non ex præſentis lucri auaritia, ſed ex fide ſanctificationis perpetuæ concupiuit; & ille non humanæ ſalutis obtentu, ſed philargyriæ crimine morti tradidit omnium redemptorem. Et idcirco vtrique eorum fructus operationis ſuæ ſecundum deſtinationem mentis ac propoſitum voluntatis adſcriptus eſt, quia nec ille fraudem, nec iſte ſalutem ſtatuit operari. Illud enim pro retributione mercedis iuſte vnicuique repenſatur, quod principaliter mente conceperit, non quod exinde bene vel male contra votum operantis emerſerit. Ideoq. iuſtiſſimus iudex excuſabilem, immo laudabilem talis mendacij cenſuit præſumptorem, quia ſine eo ad benedictionem primitiuorum non poterat peruenire. Nec debuit in crimen vocari, quod deſiderio benedictionis exortum eſt. Alioquin non modo iniquus in fratrem patriarcha prædictus, ſed etiam circumuentor in patrem, & ſacrilegus extitiſſet, ſi habens aliam viam, qua ad benedictionis illius gratiam peruenire, hanc quæ fratri damnoſa eſſet ac noxia expetere maluiſſet. Videtis ergo apud Deum non proceſſum operis, ſed deſtinationem mentis inquiri. His itaque præſtructis, vt ad propoſitam quæſtionem ob quam hæc vniuerſa præmiſſa ſunt reuertamur, reſpondeatis mihi primitus velim, cuius rei cauſa vos illius ſponſionis nexibus vinxeritis.

*Reſponſio noſtra, quæ cauſa a nobis exegerit ſponſionem. Cap. XIII.*

GERMANVS.

PRima, vt diximus, extitit cauſa, quia noſtros mæſtificare ſeniores ac præceptis eorum obſiſtere verebamur. Secunda, quia ſiquid perfectum atque magnificū, vel viſu, vel

vel auditu percepiſſemus a vobis, cum reuerſi ad cœnobium fuiſſemus, exercere nos poſſe inconſultiſſima perſuaſione credidimus.

*Diſputatio ſenis, quod ſine culpa actionis ordo mutetur, dum* IOSEPH. *modo boni ſtudij capiatur effectus. Cap. XIV.*

SIcut præfati ſumus, deſtinatio mentis vel remunerat hominem, vel condemnat, ſecundum illud. Et inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum. Illud etiam. Ego autem opera & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis. Quamobrẽ deſiderio perfectionis, vt video, hoc vos ſponſionis vinculo colligaſtis, dum credidiſtis illo eam poſſe ordine comprehendi, quo nunc ſuperueniente pleniore iudicio, ad ſublimitatem eius conſcendi non poſſe perſpicitis. Non ergo præiudicat quidquid diſcrepans ab illa diſpoſitione viſum fuerit accidiſſe, ſi modo nulla principalis illius propoſiti diuerſitas ſubſequatur. Neque enim opificij cuiuſquam deſertio eſt, demutatio ferramenti; aut ſegnitiem arguit viatoris, viæ compendioſioris ac directioris electio. Ita igitur & in hac parte emendatio diſpoſitionis improuidæ, nõ ſpiritalis voti eſt iudicanda tranſgreſſio. Quidquid enim pro charitate Dei & pietatis amore perficitur, quæ promiſſionem habet vitæ quę nunc eſt, & futurę, tametſi duris atque aduerſis videatur principijs inchoare, non ſolum nulla reprehenſione, ſed etiam laude digniſſimum eſt. Et idcirco nihil præiudicat refragatio ſponſionis incautæ, ſi quolibet genere ſcopos tantum, id eſt, propoſita pietatis deſtinatio teneatur. Omnia namque ob hoc agimus, vt Deo cor mũdum exhibere poſſimus; cuius conſummatio ſi in his locis facilior iudicatur, nihil vobis oberit extortæ mutatio pactionis, dummodo principalis illius perfectio puritatis, pro qua ſponſio veſtra proceſſerat, ſecundum Domini voluntatem maturius acquiratur. Non enim ex hac immutatione vllum poteſt iudicari mendacium, ſed inconſultæ definitionis prudens ſalutarisq. correctio. Et vt etiam de phyſicis quod nodum propoſitæ quæſtionis abſoluat aliquid inferamus, natura ipſa in nobis opera ſua de conſilio diuinæ maieſtatis immutat. Nam de infantia in pueritiam, de pueritia in iuuentam, de iuuenta in ſenectutis vlteriora transferimur, atque ita hæc in nobis conditoris noſtri peragit conſummatio, vt ex hac permutatione nullum mendacium adſcribatur ætati. Ita etiam interior homo noſter ablactatus a primordiorũ tenerrimis inſtitutis, cum per diuerſas proiectus ætates ad robuſtiorem de vnaquaque profecerit, atque exinde ad canitiem ſenſuum, ac virum perfectũ & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti peruenies, depoſuerit ea quæ erant paruuli, numquid varietatem incurriſe mendacij, & non potius perfectionis plenitudinem conſecutus eſſe credendus eſt? Sic rudimenta veteris inſtrumenti, diſpenſatione legiſlatoris Dei, ad perfectionem beatitudinis euangelicæ transferuntur, nec tamen ex hoc immutatio aut diuerſitas præteritæ ſanctionis interueniſſe credenda eſt, ſed adimpletio & cumulus ſublimiorum & cæleſtium præceptorum: nec ſacræ promulgationis illius æſtimanda eſt abolitio, ſed aſcenſus; nec varietas, ſed profectus. Vnde & Dominus noſter: Nolite, inquit, æſtimare quòd veni ſoluere legem aut prophetas; non veni ſoluere, ſed adimplere; id eſt, non antiquare priora, ſed ad perfectionem imperfecta perducere.

Rom. 2. Eſai. 66. 1.Tim.4. Ephes. 4. 1.Cor. Matth.5.

*Interrogatio an abſque peccato ſit, quod infirmis noſtra conſcientia occaſionem ingerit mentiendi.*

GERMANVS. *Cap. XV.*

QVantum ſpectat ad vim ſermonum, qui rationabiliter prudenterq. digeſti ſunt, haud difficile ſponſionis noſtræ ſcrupulus a nobis potuiſſet extrudi, niſi illud nos vehemẽtiſſime deterreret, quod infirmioribus quibuſque intromitti fortaſſe per hæc videtur exẽpla occaſio mẽtiendi, ſi vllo modo pacti fidem diſſolui poſſe cognouerint; quippe cum tantis hoc ipſum & tam minacibus interdicatur eloquijs, Propheta dicente: Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ. &: Os quod mentitur, occidit animam.

Pſal. 5. Sap. 1.

*Reſponſio, quod nõ propter infirmorum ſcandalum, ſcripturarũ veritas ſit mutanda. Cap. XVI.*

IOSEPH.

OCcaſiones cauſæq. perditionum his, qui perituri ſunt, immo qui perire deſiderant, deeſſe non poſſunt. Neque enim abijcienda ſunt teſtimonia ſcripturarũ, ac de ſuo corpore penitus abradenda, quibus vel hæreticorum prauitas animatur, vel Iudæorum infidelitas obduratur, vel tumor ſapiẽtiæ gentilis offenditur; ſed vtique & pie credenda & immobiliter ſunt tenenda, & ſecundum veritatis regulam prædicanda. Et idcirco non debemus alienæ infideli-

delitatis obtentu οἰκονομίας, id est, dispensationes prophetarum atque sanctorum, quas scriptura commemorat abdicare, ne dum infirmitati eorum condescendere debere nos credimus, non solum mendacij, verum etiam sacrilegij crimine polluamur; sed quemadmodũ diximus, oportet nos ea, & secundum historiam confiteri, & quemadmodum pie gesta sint explanare. Ceterum his, qui praui propositi sunt, non ex hoc mẽtiendi aditus obstruetur, si earum rerũ quas vel prolaturi sumus, vel protulimus veritatem, aut penitus abnegare, aut extenuare allegoricis interpretationibus laboremus. Quid enim illis horum testimoniorum nocebit auctoritas, quibus etiam sola corruptio sufficit voluntatis?

*Quod venialiter mendacio sancti tamquam helleboro vsi sint.*
*Cap. XVII.*

ITaque taliter de mendacio sentiendũ, atque ita eò vtendũ est, quasi natura ei insit hellebori. Quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre, ceterum absque summi discriminis necessitate perceptũ præsentis exitij est. Ita namque etiã sanctos ac probatissimos Deo viros veniabiliter legimus vsos fuisse mendacio, sicut Rhaab, cuius cum non solum nulla virtutum, sed etiam impudicitiæ monimenta scriptura commemoret, pro tali mẽdacio quo exploratores maluit occultare quàm prodere, admisceri populo Dei æterna benedictione promeruit. Quæ si veritatem loqui, aut saluti ciuium consulere maluisset, nulli dubium, quòd nec imminentem cum vniuersa domo sua fugisset interitum, nec auctoribus Dominicæ natiuitatis inserta, & in patriarcharum annumerata catalogo, per successionem suæ prolis edere meruisset omnium Saluatorum. Denique Dalida quæ vtilitati ciuium consulens exploratam prodidit veritatem, perpetuæ perditionis vicissitudinem consecuta, solam criminis sui cunctis memoriam dereliquit. Quando igitur graue aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia, ita tamen vt reatu humilis conscientiæ salubriter mordeamur. Vbi autem nulla condicio summæ necessitatis incumbit, omni cautione mendacium velut mortiferũ deuitandum est, quemadmodũ de hellebori diximus potu, quod salubre est quidem, si tunc demum sumatur, cum inuitabilis atque mortifera imminet ægritudo: sin vero integra

*Iosu. 2. & 6.*

*Matth. 1.*

*Iudic. 16.*



tegra & imperturbata corporis sanitate sumatur, statim ad præoccupanda vitalia vis pernicioſa pertendit. Quod de Rhaab Hierichontia, & de Iacob patriarcha euidenter ostensum est, e quibus nec illa mortem aliàs quàm hoc remedio potuisset euadere, nec iste ad benedictionem primogeniti peruenire. Non enim Deus verborum tantum actũq. nostrorum discussor & iudex, sed etiam propositi ac destinationis inspector est. Qui si quid causa salutis æternæ ac diuinæ contemplationis intuitu, ab vnoquoque vel factum viderit vel promissum, tametsi hominibus durum atque iniquum esse videatur, ille tamen intimam cordis inspiciens pietatem, non verborum sonum, sed votum dijudicat voluntatis; quia finis operis & affectus considerandus est perpetrantis, quo potuerunt quidam, vt supra dictũ est, etiam per mendacium iustificari, & alij per veritatis assertionem peccatum perpetuæ mortis incurrere. Ad quem finem etiam Iacob patriarcha respiciens, hispidam fraterni corporis speciem, obuolutione pellium simulare non timuit, & instiganti ad hoc mendacium matri laudabiliter acquieuit. Videbat enim ex hoc maiora sibi lucra benedictionis atque iustitiæ, quàm per simplicitatis obseruantiam conferenda. Non enim dubitabat mendacij huius maculam inundatione paternæ benedictionis protinus abluendam, & velut nubeculam quandam flatu Spiritus sancti velociter absumendam, atque vberiora sibi per hanc affectatitiam simulationem, quàm per illam ingenitam veritatem meritorum præmia conferenda.

*Ioſu. 2.*

*Gen. 27.*

*Ibid.*

*Obiectio, quod illi tantum impune mendacio vsi sint, qui sub lege vixerunt.* Cap. XVIII.

GERMANVS. NOn mirum est has dispensationes in veteri testamento licentius vsurpatas, ac nonnumquam viros sanctos veniabiliter fuisse mentitos, cum multo maiora eis pro temporum rudimentis licuisse videamus. Cur enim mirum sit, quòd beatus Dauid fugiens Saulem, percontanti Achimelech sacerdoti atque dicenti: Quare tu solus, & nullus est tecum? ita respondit: Rex, inquit, præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem propter quam missus es: nam & pueris condixi in illum & illum locum, & iterum: Si habes hic ad manum hastam aut gladiũ? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum; sermo enim regis vrgebat. Vel illud: Cum perductus ad Achis regem

*1. Reg. 21*

*Ibid.*

*Ibid.*

regem Geth, insanum se furiosumq. simulauit, ac mutauit os suum coram eis,& collabebatur inter manus eorum & impingebat in ostium portæ, defluebantq. saliuæ eius in barbam. Cumq. etiam vxorum concubinarumq. gregibus licite fruerentur,nec vllum eis imputaretur ex hac parte peccatum; insuper etiam inimicorum sanguinem propria manu frequenter effunderent, idq. non solum irreprehensibile,verum etiam laudabile crederetur. Quæ ita nunc, Euangelio coruscante, videmus omnimodis interdicta, vt sine ingenti crimine ac sacrilegio quidquam horum non possit admitti. In quem modũ nec mendacium vllũ quàmlibet pio colore contectum, veniabiliter a quoquam credi-
*Matth.5.* mus vsurpari,dicente Domino: Sit sermo vester, est, est; non,non:quod autem his abundantius est,a malo est. Apo-
*Colos. 3.* stolo quoque in eadẽ congruente: Nolite mentiri inuicem.

*Responsio, quod licentia mendacij,quæ ne in veteri quidem indulta est testamento,veniabiliter a multis fuerit vsurpata.*

IOSEPH. *Cap. XIX.*

VXorum quidem concubinarumq. multarum antiqua illa libertas,instante iam temporum fine, & multiplicatione humanæ generationis expleta; non immerito velut minus iam necessaria per euangelicam perfectionem debuit amputari. Nam vsque ad aduentum Christi oportuit benedictionem primordialis illius vigere sententiæ,
*Gen. 1.* qua dictum est: Crescite & multiplicamini & replete terram. Et idcirco iustissimum fuit, vt ex illa radice fecunditatis humanę quæ in synagoga pro dispensatione temporis vtiliter viguit, angelicæ virginitatis flosculi germinarent,ac suaueolentes continentię fructis in Ecclesia gignerentur. Mendacia vero etiam tunc fuisse damnata, totius veteris
*Psal. 5.* instrumenti textus euidenter ostendit, dicens: Perdes om-
*Prou. 20.* nes qui loquuntur mendacium, Et iterum: Suauis est homini panis mendacij,& postea replebitur os eius calculo. Et
*Exod. 23.* ipse legislator: Mendacium,inquit,fugies. Sed tunc demum id veniabiliter diximus vsurpatum, cum ei necessitas aliqua seuo dispensatio salutaris adiuncta est,ob quam nõ debuerit condemnari: quale est illud, quod commemoraſtis de Dauid rege, cum fugiens insectationem Saulis iniustã,
*1.Reg. 21* ad Achimelech sacerdotem, non proposito cuiusquam lucri,nec studio lædendi quempiam,sed vt tantummodo semetipsum ab impijssima eius insectatione saluaret, mendaci



dacibus vtitur verbis, quippe qui manus suas inimici regis sanguine, & quidem a Deo sibi totiens traditi, contaminare noluerit,dicens: Propitius mihi sit Deus,ne faciam *1.Reg. 24* rem hanc domino meo Christo Domini, vt mittam manũ meam in eum, quia christus Domini est. Et idcirco dispensationes has,quas vel ob voluntatem Dei, vel ob præfigurationem spiritalium sacramentorum,vel ob quorundã salutem, sanctos viros in veteri testamento legimus executos, intantum nos quoque cum necessitas coartauerit non possumus abdicare, vt ne ipsos quidẽ Apostolos, vbi consideratio alicuius vtilitatis exegit, ab eis declinasse cernamus. Quæ paulisper interim differentes, digestis primitus quæ adhuc de veteri testamento proferre disponimus, post hæc congruentius inferemus, vt facilius approbetur viros iustos & sanctos, tam in nouo quàm in veteri testamento in his œconomijs sibi per omnia concordasse. Quid enim de illo Chusi ad Absalon pro salute regis Dauid pia simulatione dicemus, quæ cum toto fallentis & circumuenientis promatur affectu, & vtilitatem consulentis impugnet, scripturæ diuinę testimonio comprobatur,ita dicentis: Do- *2.Reg.17.* mini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile,ut induceret Dominus super Absalon malum? Nec enim reprehendi poterat id,quod recto proposito ac pio iudicio pro iustis partibus gerebatur, ac pro illius cuius pietas Deo placebat salute atque victoria, religiosa fuerat simulatione conceptum. Quid etiam de illius feminæ pronuntiabimus facto, quę suscipiens illos, qui ad regem Dauid a prędicto Chusi fuerant destinati, abscondit in puteo, & expandens uelamen super os eius, cum ptisanas se torrere simulasset: Trãsierunt, inquit, gustata paululum aqua, at- *Ibid.* que hoc eos figmento ab insequentium manibus liberauit? Quapropter respondete quæso mihi,quid fuissetis acturi, si qua vobis nunc sub Euangelio constitutis similis fuisset exorta condicio, vtrum nam maluissetis eos simili celare mendacio, dicentes eodem modo: Transierunt gustata paululum aqua; & implere illud quod præcipitur: Erue eos *Prou. 24.* qui ducuntur ad mortem, & redimere eos qui interficiun- *sec. lxx.* tur ne parcas: an veritatis confessione, latitantes prodere perempturis? Et vbi est illud Apostoli: Nemo quod suum *1.Cor.10.* est quærat, sed quod alterius. &: Charitas non quærit quæ *1.Cor.13.* sua sunt,sed quæ aliorum? Ac de seipso: Non quæro,inquit, *Philip. 2.* quod *1.Cor.10.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant? Si enim ea, quæ nostra sunt, quærimus, & id quod nobis vtile est pertinaciter volumus retentare, etiam in huiusmodi necessitatibus nos loqui necesse est veritatem, & reos fieri alienæ mortis. Si vero ea, quæ alijs salutaria sunt, nostris vtilitatibus præponentes, apostolico satisfecerimus imperio, sine dubio subeunda est nobis necessitas mentiendi. Et idcirco nec integra charitatis viscera possidere, nec ea, quæ aliorum sunt, secundum apostolicam disciplinam quærere poterimus, nisi his quę districtioni nostræ perfectioniq. cóueniunt paululum relaxatis, condescendere vtilitatibus a-
2. Cor. 9. liorum prono maluerimus affectu, & ita cum Apostolo infirmis efficiamur infirmi, vt lucrari possimus infirmos.

*Quod veniabile plerumque mendaciũ, & noxiam veritatem esse etiam Apostoli censuerunt.* Cap. XX.

QVibus eruditus exẽplis beatus quoque Iacobus Apostolus omnesq. illius Ecclesiæ primitiuæ præcipui
Act. 21. principes, Apostolum Paulum ad simulationis figmenta descendere, pro imbecillitate infirmantium cohortantur, eumq. purificari secundum obseruantiam legis, caput radere, vota offerre compellunt, præsens illud dispendium, quod ex hac hypocrisi gignebatur, nihili reputantes, sed contemplantes potius lucra, quæ erant ex illius diutina prędicatione parienda. Non enim tãtum Apostolo Paulo lucrum ex hac eius fuerat districtione collatum, quantum celeri eius exitio vniuersis gentibus detrimentum. Quod sine dubio vniuersæ tunc euenisset Ecclesiæ, nisi illum hæc vtilis ac salubris hypocrisis prædicationi euangelicæ reseruasset. Tunc enim necessario ac veniabiliter acquiescitur detrimento mendacij, quando maius, vt diximus, imminet de veritatis confessione dispendium, & vtilitas, quæ nobis de veritate confertur, compensare illa quæ generanda sunt damna non prævalet. Quod temperamentum etiam alijs verbis idem beatus Apostolus vbique se
1. Cor. 9. semper tenuisse testatur. Nam cũ dicit: Factus sum Iudęis tamquam Iudæus, vt Iudæus lucrifacerem: his qui sub lege erant, quasi sub lege essem, cum ipse sub lege nõ essem, vt eos, qui sub lege erant lucrifacerem: his qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, vt eos qui sine lege erant lucrifacerem: factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: rem omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos: quid aliud ostendit, quàm secundum infirmitatẽ atque mẽsuram eorum, qui instituebantur cõdescendisse se semper, & a perfectionis rigore aliquid relaxasse, nec tenuisse se id quod districtio poscere videbatur, sed illud magis præposuisse, quod infirmantium vtilitas exigebat? Et vt hęc eadem attentius indagantes, sigillatim apostolicarum virtutum insignia replicemus, quæret aliquis quomodo omnibus per omnia beatus Apostolus suam probetur aptasse personam? Vbi factus sit Iudæis sicut Iudæus? Profecto ibi, vbi illam sententiam intimo corde custodiens, quam Galatis denuntiauerat, dicẽs: Ecce ego Paulus dico vobis, quia *Galat. 5.*
si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. In Timothei tamen circumcisione imaginem quodammodo Iudai- *Act. 16.*
cę superstitionis assumpsit. Et rursus: Vbi factus est sub lege eis, qui sub lege erant? Nempe ibi, vbi Iacobus omnesq. seniores Ecclesiæ formidantes ne in eum illa irrueret Iudæorum credentium, immo Christianorum Iudaizantium multitudo, quæ ita fidem Christi receperat, vt adhuc ritu cæremoniarum legalium teneretur, discrimini eius hac persuasione ac consilio succurrerunt, dicentes: Vides fra- *Act. 21.*
ter quot milia sunt in Iudæis qui crediderunt, & hi omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per gentes sunt Iudęorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos. Et
infra: Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quat- *Ibid.*
tuor votum habentes super se. His assumptis, sanctifica tecum illis, & impende in illis vt radant capita, & scient omnes quoniam ea quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Et ita pro illorum qui sub lege erant salute, illam paulisper districtionem sententiæ suę
calcans, qua dixerat: Ego enim per legem legi mortuus *Galat. 2.*
sum, vt Deo viuam; caput radere, purificari secundum legem atque in templo Mosaico ritu vota offerre compellitur. Quæris etiam vbi pro salute eorum, qui legem Dei penitus ignorabant, tamquam & ipse sine lege esset effectus sit? Lege in Athenienſi vrbe, vbi gentilium vigebat impie-
tas, quo vsus sit prędicationis exordio: Præteriens, in- *Act. 17.*
quit, vidi simulachra vestra, & aram in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Cumque de eorum superstitione sermonem fuisset exorsus, tamquam si & ipse absque lege esset, sub

Universidad de Deusto Biblioteca



occasione profani illius tituli fidem Christi intulit, dicens:
*Ibid.* Quod ergo vos ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.
Et post pauca, velut si diuinæ legis penitus esset ignarus,
gentilis poetæ versum, potius quàm Mosi aut Christi ma-
*Ibid.* luit proferre sententiam: Et sicut quidam, inquiens, vestro-
rum poetarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. Cum
itaque suis eos quæ refutare non possent testimonijs fuisset
*Ibid.* aggressus, ita de falsis vera confirmans subdidit, dicens: Ge
nus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro vel
argento aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis
diuinitatem esse similem. Infirmis autem infirmus effectus
*1. Cor. 7.* est, cum secundum indulgentiam, non secundum imperiũ
his, qui se continere non poterant, in idipsum redire con-
*1. Cor. 3.* cessit; siue cum lacte, non esca Corinthios potans, in in-
firmitate, & timore, & tremore multo apud eos fuisse se di-
*1. Cor. 2.* cit. Omnia autem omnibus factus est, vt omnes saluos fa-
*Rom. 14.* ceret, cum dicit: Qui manducat, non manducantẽ non sper
nat; & qui non manducat, manducantem non iudicet. &:
*1. Cor. 7.* Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui
*2. Cor. 11.* non iungit, melius facit. Et alibi: Quis, inquit, infirmatur,
& ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?
Atque hoc modo illud quod Corinthijs præceperat, adim-
*1. Cor. 10.* pleuit, dicens: Sine offensione estote Iudæis, & Græcis, &
Ecclesiæ Christi, sicut & ego per omnia omnibus placeo,
non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt sal-
ui fiant. Vtile enim sine dubio sibi fuerat Timotheum nõ
circumcidere, caput non radere, purificationem Iudaicam
non assumere, nudipedalia non exercere, vota legalia non
offerre; sed facit hæc omnia dum illorũ saluti plus consulit,
quia non quærit quod sibi vtile est, sed quod multis, vt salui
fiant. Quod quamuis Dei contemplatione sit factum, tamẽ
*Galat. 2.* simulatione non caruit. Qui enim per legem Christi legi
mortuus fuerat, vt Deo viueret; quique illã iustitiam legis,
*Philip. 3.* in qua conuersatus fuerat sine querela detrimentum fece-
rat, & arbitrabatur vt stercora, vt Christum lucrifaceret; ea
quæ legis erant, vero cordis affectu offerre non potuit, nec
*Galat. 2.* fas est credi eũ, qui dixerat: Si enim quæ destruxi, hæc ite-
rum reædifico, præuaricatorem me constituo; in id incide-
re, quod ipse damnauerat. Et in tantum non magis res ipsa,
quæ geritur, quàm gerentis pensatur affectus, vt econtrario
quibusdam reperiatur veritas nocuisse, & profuisse menda
cium.



cium. Nam Doec Idumæus regi Sauli de fuga Dauid co-
ram famulis conquerenti, ac dicenti: Numquid omnibus *1. Reg. 22.*
vobis dabit filius Iesse agros & vineas, & vniuersos vos fa-
ciet tribunos & centuriones, quoniam coniurastis omnes
aduersus me, & non est, qui mihi renuntiet? quid nisi verum
prodidit, dicens: Vidi filium Iesse in Nobe ad Achimelech *Ibid.*
filium Achitob sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominũ,
& cibaria dedit ei, sed & gladiũ Goliath Philistæi dedit ei?
Pro qua veritate eradicari de terra viuentium meruit, ac de
eo dicitur per Prophetam: Propterea Deus destruet te in fi- *Psal. 51.*
nem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radi-
cem tuam de terra viuentium. Ex illa igitur terra hic proin-
dicio veritatis perpetua eradicatione conuellitur, in qua
Rhaab meretrix pro mendacio cũ sua cognatione plãtatur. *Iosu. 6.*
Sicut etiã Samson illam diu occultatam mendacio veritatẽ *Iudic. 16.*
impiæ coniugi pernicios issime prodidisse reminiscimur;
cui propterea deceptionẽ intulit veritas in consultissime pa
tefacta, quia illud mandatũ prophetici cũ custodire neglexit:
Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi clausstra oris tui. *Miche. 7.*

*An interrogantibus occultam continentiam sine mendacio oporteat propalari: & an suscipienda sint, quæ semel fuerint recusata. Cap. XX.*

ET vt exempla quædã de nostris quoque ineuitabilibus
ac pene quotidianis necessitatibus proferamus, quas
quantalibet obseruantia numquam ita possumus præcaue-
re, vt non vel inuiti vel volentes in eas cogamur incurrere:
quid quæso faciendum est, cum refectionem procrastinare
disponentibus nobis, vtrum refecerimus ad vesperam frater
aduenies percontatur, celandum ne ieiunium est, & vir-
tus parsimoniæ contegenda, an veritatis professione pro-
denda? Si celamus, vt Dominico satisfaciamus imperio,
quo dicitur: Non videaris hominibus ieiunãs, sed patri tuo *Matth. 6.*
qui est in abscondito. & iterum: Nesciat sinistra tua quid fa- *Ibid.*
ciat dextera tua: profecto mentimur. Si virtutem continen-
tiæ propalamus, euãgelica nos sententia iure percellet: Amẽ *Ibid.*
dico vobis, receperunt mercedem suam. Quid si oblatum
a fratre quispiam poculum cum definitione renuerit, abso-
lute acceptutum se esse denegans, quod ille gaudens aduen-
tu eius suppliciter vt sumatur exorat? rectum ne est vt fratri
ad genua prouoluto, in terramq. prostrato, qui non nisi his
officijs viscera charitatis expleturum esse se credit, etiam

cum labore suo pareat, an in sermonis sui atque propositi pertinacia perseueret?

*Obiectio, quòd oporteat quidem abscondi continẽtiam, sed suscipi recusata non debeant.*

GERMANVS. *Cap. XXII.*

IN illo quidẽ priori exemplo dubium, vt credimus, non est, quia expediat abscondi continentiam nostram potius quàm percontantibus prodi; ac super huiuscemodi causis nos quoque fatemur ineuitabile esse mendacium. In secundo autem nulla nobis incumbit necessitas mentiẽdi. Primum, quia possumus ea quæ fratrũ ministerio porriguntur ita renuere, vt nullo nos definitionis vinculo colligemus: deinde, quòd semel renuẽtes possumus immobilẽ tenere sentẽtiam.

*Responsio, quòd irrationabilis sit pertinacia huius definitionis.*

IOSEPH. *Cap. XXIII.*

HAs definitiones illorum monasteriorum esse non dubium est, in quibus renuntiationis vestræ, vt dicitis, rudimenta formata sunt, quorum principes fratrum refectioni suas assolent præponere voluntates, & obstinatissime id, quod semel mente conceperint exequuntur. Ceterũ seniores nostri, quorum fidei apostolicarum signa virtutũ testimonium reddiderunt, quique vniuersa iudicio potius ac discretione spiritus, quàm rigida animi obstinatione gesserunt, eos qui alienis infirmitatibus acquiescerent, multo vberiores fructus, quàm eos qui in suis definitionibus perdurarent, capere censuerunt, sublimiorisq. pronuntiauerunt esse virtutis: contegere potius continentiam necessario, vt dictum est, humiliq. mendacio, quàm patefacere superbo veritatis indicio.

*Quomodo abbas Piammon suam continentiam celare maluerit. Cap. XXIV.*

DEnique abbas Piammon post viginti & quinque annos oblatam sibi a quodam fratre vuam ac vinum, absque hæsitatione suscipiens, confestim ea, quæ ingesta fuerant, contra consuetudinem degustare, quàm ignotæ cunctis cõtinentiæ maluit propalare virtutem. Nam si illud quoque considerare velimus, quod seniores nostros incunctanter fecisse meminimus, qui mirabilia virtutũ suarum, vel proprios actus, quos necesse erat ad institutionem iuniorum in collatione proferri, sub aliorũ solebant colorare personis; quid aliud possumus quàm apertum super his iudicare mendacium? Atque vtinam nos quoque dignum aliquid haberemus, quod ad incitandam fidem proponi iunioribus posset, profecto minime vereremur huiuscemodi illorum figmenta sectari. Rectius enim est sub talis figuræ colore mentiri, quàm pro obseruantia irrationabilis istius veritatis, aut ea, quæ audientes ædificari potuerant incongruat taciturnitate contegere, aut si ex nostra persona veraciter proferantur, iactantiam noxiæ vanitatis incurrere. Ad quod etiã nos magisterio suo doctor gentiũ euidenter instituit, qui reuelationum suarum magnitudinem ex alterius maluit proferre persona, dicens: Scio hominem in Christo (siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit) raptum vsque ad tertium cælum; & scio huiusmodi hominem quia raptus est in paradisum, & audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. *2. Cor. 12*



*Testimonia scripturarum de commutatis definitionibus. Cap. XXV.*

IMpossibile nobis est breuiter vniuersa percurrere. Quis etenim enumerare sufficiat omnes propemodũ patriarchas, sanctosq. innumerabiles, alios pro vitæ tutamine, alios pro desiderio benedictionis, alios pro misericordia, alios pro alicuius occultatione mysterij, alios pro zelo Dei, alios pro veritatis examinatione, patrocinium (vt ita dixerim) assumpsisse mendacij? Quæ sicut enumerari cuncta non possunt, ita prætermitti penitus vniuersa non debent. Nam beatum Ioseph pietas conpulit, vt falsum fratribus crimen etiam cum obtestatione regiæ salutis impingeret, dicẽs: Exploratores estis, infirmiora terræ venistis inspicere. Et infra: Mittite, inquit, ex vestris vnum, & adducite fratrem vestrum huc, vos autem custodiemini hic, vsque dum manifesta fiant verba vestra, an verum dicatis, an nõ, sin autem, per salutem Pharaonis exploratores estis. Si enim non eos hoc misericordi mendacio terruisset, nec patrem fratremq. reuisere, nec eos in tantis inopię periculis alere, nec conscientiam postremo fratrum a reatu venditionis suæ purgare potuisset. Non ergo tam reprehensibile fuit metum fratribus incussisse mẽdacio, quàm sanctũ atque laudabile occasione ficti periculi inimicos ac venditores suos ad salutarem pœnitentiã compulisse. Denique cũ grauissimę insimulationis vrgerentur inuidia, non illius quod falso obijciebatur, sed anterioris criminis conscientia frãgeban- *Gen. 42. Ibid.*

*Ibidem.* gebantur, dicentes ad inuicem: Merito hæc patimur, quia
*sec. lxx.* peccauimus in fratrem nostrum, quia despeximus tribulationem animę eius, cum rogaret nos, & non audiuimus eum. propter hoc uenit in nos tribulatio hæc. Quæ quidem confessio, non solum apud fratrem, in quem impia crudelitate peccauerant, verumetiam apud Deum saluberrima humilitate, tantum eorum facinus, vt credimus, expiauit. Quid Salomon, qui perceptum a Deo sapientiæ donum, in primo iudicio suo non nisi assumptione mendacij declarauit? Nam vt veritatem, quæ muliebri mendacio tegebatur, exculperet, etiam ipse mendacij vtique astutissime
3. *Reg.* 3. excogitati vsurpauit auxilium, dicens: Afferte mihi gladiũ & diuidite infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri. Quæ simulatio crudelitatis cum veræ matris viscera permouisset, ab ea autem, quæ mater non erat, laudaretur; tunc demum sagacissimo veritatis indicio illam sententiam promulgauit;
*Ibid.* quam nemo a Deo inspiratam esse non credidit: Date, inquiens, huic infantem viuum, & non occidatur, hæc est enim mater eius. Proinde nec debere nec posse nos vniuersa complere, quæ vel cum quiete animi, vel cum commotione decernimus, etiam alijs scripturarum testimonijs copiosius edocemur, quibus vel viros sanctos, vel angelos, vel ipsum omnipotentem Deum ea, quæ definierant, frequenter legimus immutasse. Nam beatus Dauid cum iu-
1. *Reg.* 25 risiurandi definitione decreuit dicens: Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ pertinent ad Nabal vsque mane, mingentem ad parietẽ. Et continuo intercedente Abigail vxore eius, ac pro eodem supplicante, remittit minas, mollit sententiam, & mauult transgressor propositi iudicari, quàm sacramenti sui fidem
*Ibid.* cum crudelitatis executione seruare, dicens: Viuit Dominus Deus, nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem. Cuius sicut illam præcipitis sacramenti facilitatem, quæ de perturbatæ mentis commotione descenderat, nequaquam imitandam esse censemus, ita remissionem atque emendationem statuti sectandam esse decernimus. Paulus quoque vas electionis Corinthijs scribens, reditũ suũ absо-
1. *Cor.* 16 luta definitione promittit, dicens: Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero. Macedoniã enim pertransibo,



sibo, apud vos autem manebo, vel etiam hiemabo, vt vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in trãsitu videre, spero enim me aliquantum temporis manere apud vos. Cuius rei etiam in secunda epistola meminit ita:
2. *Cor.* 1. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis, & per vos transirem in Macedoniam, & iterum a Macedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Iudæam. Sed superueniente salubriore consilio, nequaquã se id quod promiserat, executum, euidentissime confitetur:
*Ibid.* Cum hoc, inquit, voluissem, numquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me, est, &, non? Denique cur maluerit definitionem sui præterire sermonis, quàm aduentu suo onerosam discipulis inferre tristitiam, etiam cum sacramenti obtestatione declarat:
*Ibid.* Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quòd
2. *Cor.* 2. parcens vobis, non veni vltra Corinthum. Statui enim hoc ipsum apud me, vt non in tristitia venirem ad vos. Cum intraturos se domum Lot Sodomis angeli denegassent, dicen-
*Gen.* 19. tes ad eum: Non intrabimus, sed in platea manebimus, cõtinuo eius precibus compelluntur statutum mutare sermonem, sicut scriptura subiungit: Et coegit eos Lot, &
*Ibid.* diuerterunt ad eum. Qui vtique si diuersuros ad eum esse se nouerant, inuitantis petitionem simulatoria excusatione renuerunt; sin autem veraciter excusabant, euidenter immutasse sententiam comprobantur. Quæ vtique non ob aliã credimus causam Spiritum sanctum sacris voluminibus indidisse, nisi vt istis erudiamur exemplis, in definitionibus nostris non pertinacirer permanere, sed eas arbitrio nostro debere subijcere; & ita iudicium nostrum ab omni legis vinculo liberum cõseruare, vt promptum sit, ad sequendum quocumque vocauerit salubre consilium, nec differat aut recuset ad id, quod vtilius discretio salutaris inuenerit absque vlla cunctatione transire. Et vt ad sublimiora adhuc ascendamus exempla, decumbentem in lecto regem Ezechiam, grauiq ægritudine laborantem, ex persona Dei
4. *Reg.* 20 propheta Esaias adorsus est, dicẽs: Hæc dicit Dominus, Di-
*sec. lxx.* spone domui tuæ, quia morieris tũ, & non viues. Et conuertit, inquit, Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominũ, & dixit: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ibid.* fleuit Ezechias fletu magno. Post quæ rursus dicitur ad eundem: Reuertere & dic Ezechiæ regi Iuda, dicens; Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce adijciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc protegã propter me, & propter Dauid seruum meũ. Quid euidentius hoc testimonio, quo misericordiæ ac pietatis intuitu mauult Dominus suum cassare sermonẽ, & a præstituto mortis termino quindecim annis vitã precantis extẽdere, quàm per immobilitatẽ decreti sui inexorabilis inueniri? Similiter etiam ad Niniuitas *Ionæ. 3. sec. lxx.* loquitur censura diuina: Adhuc triduum & Niniuę subuertetur. Moxque pœnitentia eorũ ieiunijsq. mollitur tam minax & abrupta sententia, atque ad partẽ misericordiæ prona pietate deflectitur. Quod si quis velut præsciũ conuersionis eorum, subuersionem ciuitatis ad hoc eis Dominũ asserat comminatum, vt eos ad salutarem pœnitentiam prouocaret, consequens est, vt hi qui fratribus præsunt, absque reprehensione mendacij, his qui indigent emendari aliqua etiam districtiora quàm facturi sunt, si opus fuerit, comminentur: Sin vero dixerit Deum seueram illam sententiam suam pœnitentię eorum consideratione reuocasse, secun- *Ezec. 33.* dum illud quod per Ezechielem ait: Si dixero impio, morte morieris; & egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritq. iudicium & iustitiam, vita viuet & non morietur; similiter edocemur, non debere nos obstinate in nostris definitionibus perdurare, sed comminationẽ ex necessitate propositam, elementi miseratione mollire. Quod ne solis specialiter Niniuitis crederetur Dominus præstitisse, etiam generaliter erga omnes eadẽ se esse facturum per Hieremiã perpetuo protestatur, & cum necesse fuerit, incunctanter suam se sententiam mutaturum pro nostris meritis repro- *Hiere. 18* mittit, dicens: Repente loquar aduersus gentem & aduersus regnum, vt euellam, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Et subito loquar de gente & regno, vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam su- *Hiere. 26* per bono quod locutus sum, vt facerem ei. Ad Ezechielem quoque ait: Noli subtrahere verbum, si forte audiant & conuerta-



uertatur vnusquisque a via sua mala, & pœnitebit me mali quod cogitaui facere eis propter malitiam studiorum eorum. Quibus testimonijs declaratur, non oportere vt pertinaciter in nostris definitionibus hæreamus, sed ratione eas ac iudicio temperandas, semperq. prælegenda ac præferẽda esse meliora, & ad illam, quę vtilior dijudicata fuetit partem, sine cunctatione aliqua transeundum.

*Quòd non secundum immensitatem præscientiæ diuina clementia, sed secundum præsentes actus uel remuneret vnumquemque vel puniat. Cap. XXVI.*

ILlud etiam præ omnibus inęstimabilis illa censura nos instruit, quòd cum sit ei ante ortum vniuscuiusque præcognitus finis, ita ordine ac ratione communi & humanis quodammodo omnia dispensat affectibus, vt nõ potentialiter, nec secundũ ineffabilem præscientię suæ notitiã, sed secundum præsentes hominum actus vniuersa dijudicans, vel respuat vnumquemque, vel attrahat, & vel infundat quotidie suam gratiam, vel auertat. Quod ita esse etiam illa Saulis manifestat electio, cuius vtique cum vituperabi- *1. Reg. 10* lem finem præscientia Dei ignorare non posset, de tot millibus Israelis elegit eum & vnxit in regem, præsentis in illo meritum vitæ remunerans, non peccatum futuræ præuaricationis intendens: ita vt postquam reprobus factus est velut pœnitudinem gerens electionis suæ Deus, humanis quodammodo de eodem vocibus atque affectibus conqueratur, dicens: Pœnitet me quòd constituerim Saul re- *1. Reg. 15* gem, quia dereliquit me, & verba mea opere nõ impleuit. & iterum: Verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam *Ibid.* Dominum pœnitebat quòd constituisset regem Saul super Israel. Denique hoc quod iam opere fuerat executus; postea etiam per Ezechielem prophetam Dominus protestatur cum omnibus se hominibus quotidiano gesturum esse iudicio: Etiam si dixero, inquiens, iusto quòd vita viuat, & *Ezec. 33.* confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate quam operatus est, in ipsa morietur. Sin autem dixero impio: Morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritq. iudicium & iustitiam, pignus restituerit ille impius, rapinamq. reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum, vita viuet & nõ morietur, omnia peccata eius quæ peccauit non imputabuntur ei. Denique cum ab

ab illo populo, quem ex omnibus gentibus Dominus adoptauit, propter subitam vituli præuaricationem misericordiæ suæ auertisset aspectum, interueniens pro eo legisla-
*Exod.32.* tor, exclamat: Obsecro Domine, peccauit populus iste pec-
*sec. lxx.* catum magnum, fecerunt sibi deos aureos; & nunc si remittis peccatum eorum, remitte, sin aliàs, dele me de libro
*Ibid.* tuo quem scripsisti. Cui Dominus: Si quis, inquit, peccauerit coram me, delebo eum de libro meo. Dauid quoque dum de Iuda & persecutoribus Christi prophetico spiritu
*Psal. 68.* quereretur: Deleantur, inquit, de libro viuentium. Et quia non merebantur ad pœnitentiam salutarem pro reatu tan-
*Ibid.* ti criminis peruenire, subiungit: Et cum iustis non scribantur. Denique in ipso Iuda vis propheticæ maledictionis euiden-
*Matt.27.* denter impleta est. Nam proditionis crimine expleto, suspendio se necauit, ne post deletionem nominis sui conuersus ad pœnitentiam, iterum cum iustis scribi mereretur in cælo. Non ergo est ambigendum, etiam Iudæ nomen illo tempore, quo electus a Christo apostolatus sortitus est gradum, in libro viuentium fuisse conscriptum, ac
*Luc. 10.* pariter eum audisse cum ceteris: Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subijciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Sed quia philargyriæ peste corruptus, de scriptione cælesti ad terrena deiectus est, competenter de eo ac similibus eius dicitur per prophetam:
*Hiere. 27* Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur, recedentes a te, in terra scribentur: quia dereliquerunt venam
*Ezech.13* aquarum viuentium Dominum. Et alibi: In concilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, & in terram Israel non ingredientur.

*Quod sancti viri pertinaces ac duri esse non possunt. Cap. XXVII.*

NEc illius præcepti vtilitas est silenda, quòd etiam si instigante ira vel qualibet alia passione, sacramento nos aliquo vinxerimus (quod a nemine quidem monachorum fieri penitus debet) vtriusque tamẽ rei causa integro mentis est pensanda iudicio, & comparãda est illa res quam statuimus, huic ad quam transire compellimur, atque ad eam sine cunctatione est transeundum, quæ superueniente saniore tractatu, iustior fuerit iudicata. Rectius enim est nostrum nos præterire sermonem, quàm rei salubrioris accipiæ subire iacturam. Denique numquã rationabiles ac probatos



batos patres duros aut irreuocabiles fuisse in huiusmodi definitionibus reminiscimur, sed velut ceram calore, ita eos ratione mollitos, & intercedente salubriore consilio melioribus partibus sine hęsitatione cessisse. Quoscumque autẽ vidimus definitionibus suis pertinaciter inhærere, irrationabiles semper probauimus ac discretionis expertes.

*Interrogatio an sit contrariũ prædictæ sententiæ illud, quod dicitur, Iuraui & statui, &c. Cap. XXVIII.*

GERMANVS.

QVantum ad hanc rationem pertinet, quæ euidenter copioseq. digesta est, nihil oportet monachum definire, ne aut præuaricator inueniatur aut pertinax. Sed vbi illud Psalmistę ponemus eloquium: Iuraui & *Psal.118.* statui custodire iudicia iustitię tuę? Quid est enim aliud iurare & statuere, quàm definita immobiliter custodire.

*Responsio in quibus immobilis definitio sit tenenda, & in quibus si oportuerit rescidenda. Cap. XXIX.*

IOSEPH.

NOs non de principalibus mandatis, sine quibus non potest salus nostra omnino subsistere, ista decernimus, sed de his quę sine periculo status nostri vel relaxare possumus, vel tenere; vtputa de irremisso rigore ieiunij, de vini siue olei perpetua abstinentia, de progressu cellæ penitus cohibendo, de lectionis seu meditationis incessabili iugitate, quę sine iactura professionis ac propositi nostri & exerceri cum libuerit possunt, & cum necesse fuerit irreprehensibiliter prætermitti. Ceterum super obseruantia illorum principalium mandatorum cõstantissime definiẽdum est, ac pro his etiam mors si necesse fuerit non vitanda, pro quibus immobiliter est dicendum: Iuraui & statui. *Ibid.* Quod fieri debet pro custodia charitatis, pro qua spernenda sunt vniuersa, ne bonum trãquillitatis illius perfectioq. maculetur. Similiterq. iurandum est pro castimoniæ puritate, nec aliud nos facere oportet pro fide, pro sobrietate atque iustitia, quæ omnia indemutabili perseuerantia sunt tenenda, & a quibus paululum recessisse damnabile est. De illis vero corporalibus exercitijs, quæ ad modicum *1.Tim.4.* esse dicuntur vtilia, ita vt diximus statuendum, vt si qua superuenerit certior pietatis occasio quæ illa suadeat relaxari, nulla super his lege teneamur, sed prætermissis eius ad vtiliora libere transeamus. In illis enim corporalibus exercitijs si pro tempore relinquantur, periculum non est, ab his vero vel ad momentum declinasse mortiferum est.

Quem-

*Quemadmodũ debeant celanda committi. Cap. XXX.*

HOc quoque simili cautione curandũ est, vt si quis forsitan sermo, quem esse vultis occultum, de vestro fuerit ore prolapsus, nulla occultationis præcepta solicitent audientem, magis enim latebit si negligenter atque simpliciter transeatur: quia non tanta quilibet fratrum super diuulgatione eius impugnatione torquebitur, existimans rem vilem aliquam transitoria confabulatione prolatam, & quæ ex hoc ipso sit leuior, quia cautissimo silentij præcepto sensibus audientis commendata non fuerit. Nam si etiã fidem eius aliqua sacramentorum obtestatione deuinxeris, citius illud prodendum esse non ambigas. Maior enim aduersus ipsum vis diabolicę impugnationis insurget, vt & te mœstificet vel denudet, & illum quantocius transgressorem sui faciat sacramenti.

*Nihil super his, quæ ad vsum communis vitæ attinent definiendum. Cap. XXXI.*

ET idcirco nihil debet abrupte monachus, super his dum taxat, quæ ad corporales exercitationes pertinent, definire, ne aduersarium ad impugnationem eorum, quæ velut sub legis obseruatione custodit, magis incitans, citius ea violare cogatur, Prę figens siquidem sibi legẽ vnusquisque sub libertatis gratia constitutus, pernicioſa semetipsum obligat seruitute, vt ea quę licite, immo etiam laudabiliter cum gratiarum actione præsumere potuisset, si necessitas fortasse compulerit velut transgressor percipere compellatur cum præuaricationis peccato. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Hac beatissimi Ioseph institutione atque doctrina velut diuino oraculo confirmati, in Ægypto residere maluimus. Sed licet parum deinceps de nostra essemus promissione soliciti, tamen expleto septem annorum numero, sponsionem nostram gratanter impleuimus. Excurrentes namque ad cœnobium nostrum illo iam tempore quo de impetrando ad eremum reditu fiduciam gerebamus, primum senioribus nostris honorem, debitum soluimus, deinde animis eorum, qui pro charitatis ardore creberrimis litterarum nostrarũ satisfactionibus nequaquam fuerant deliniti, pristinam redintegrauimus charitatem, tãdemq. ad plenũ aculeo nostræ sponsionis auulso, ipsis quoque cum gaudio prosequentibus ad Scithicæ secreta solitudinis remeauimus. Hæc vobis, o sancti fratres, illustrium patrum

Rom. 4.



patrum scientiã atque doctrinam nostra, vt potuit, elucubrauit insciti a, quam etiam si incultus forsitan sermo confudit potius quàm digessit: quæso ne laudem insignium virorum reprehensio nostrę rusticitatis euacuet. Tutius siquidem nobis in conspectu nostri iudicis visum est, doctrinæ huius magnificentiam vel incultis sermonibus prodere, quàm silere: quippe cum & profectui lectoris, si sublimitatem sensuum contempletur, id quod imperitia nostri sermonis offendit, obesse non possit, & maior sit nobis vtilitatis cura quàm laudis. Neque enim hoc quòd sanctorũ virorum dicta descripsi, & plenum periculi, & egenum laudis esse non noueram, sed prudens, vt dicitur, laqueo indidi pedem, nec me indubitato discrimini sub incerta spe alieni profectus tradere recusaui. Hoc sane omnes ad quorum manus opuscula ista peruenerint moneo, vt quidquid in eis placuerit, patrum, nostrum vero sciant esse quod displicet.

## COLLATIONIS SECVNDÆ abbatis Ioseph de definiendo, & septem Collationum patrum in Thebaide Ægypti regione consistentium, Finis.

# IOANNIS CASSIANI EREMITÆ IN SEPTEM VLTIMAS COLLATIONES PATRVM IN ÆGYPTO COMMORANTIVM,

## *Ad Iouinianum, Mineruium, Leontium, & Theodorum, Præfatio.*

al. Emẽsis

EMISSIS † gratia Christi iuuante decem collationibus patrum, quæ exigentibus beatissimis episcopis Helladio ac Leontio, vtcumque digestæ sunt: septem alias beato episcopo Honorato, sancto quoque famulo Christi Eucherio dedicaui. Totidem & nunc vobis, o sancti fratres Iouiniane, Minerui, Leonti, & Theodore, credidi consecrandas. Posterior siquidem vestrum illam cœnobiorum sanctam atque egregiam disciplinam in prouincijs Gallicanis antiquarum virtutum districtione fundauit; ceteri vero nõ solum cœnobialem professionem monachos apprime expetere, verumetiam anachoreticã sitire sublimitatem, vestris institutionibus prouocastis. Ea namque collationes istę summorum patrum disputatione contextæ sunt, & ita in omnibus temperatæ, vt vtrique professioni, qua non solum occiduas regiones, verumetiam insulas maximis fratrum cateruis fecistis florere, conueniant; id est, vt non solum hi qui adhuc in congregatione laudabili subiectione perdurant, sed etiam illi qui haud longe a vestris cœnobijs secedentes anachoretarum sectari gestiunt disciplinam, pro condicione locorum ac status sui mẽsura plenius instruantur. Quibus hoc præcipuum contulit præcedens vestri laboris



boris industria, vt parati iam atque in ijsdem exercitijs deprehensi, facilius præcepta seniorum atque instituta suscipiant, ipsosq. in cellulas suas auctores collationum cum ipsis collationum voluminibus recipientes, & quotidianis quodammodo cum eis interrogationibus ac responsionibus colloquentes, non proprijs adinuentionibus arduam istam & incognitam fere in hac regione appetant viam, sed periculosam etiam illic vbi iam tritissimi calles & innumera præcedentium exempla non desunt, anachoreseos disciplinam illorum potius præceptis capere consuescant, quos in omnibus & antiqua traditio, & longæ experientiæ instruxit industria.

*Præfationis Finis.*

# COLLATIO XVIII. QVAE EST ABBATIS PIAMMONIS

## DE TRIBVS GENERIBVS MONACHORVM, ET QVARTO NVPER EXORTO:

### *Quemadmodum Diolco venientes, ab abbate Piammone fuerimus excepti.* Cap. I.

POST conspectũ atque colloquium triũ illorum senum, quorum collationes sancto fratre nostro Eucherio compellente, vtcumque digessimus, cũ etiã vlterioris Aegypti partes, in quibus amplior atque perfectior sanctorum numerus consistebat maiore flagrantia desideraremus expetere, ad vicũ cui nomen est Diolcos, vni ex septẽ Nili fluminis ostijs imminentẽ, non tã itineris necessitate, quàm desiderio sanctorũ illic cõmorantiũ cõpellente, peruenimus.

Cum

Cum enim velut cupidissimi mercatores plurima illic celeberrimaq. cœnobia ab antiquis audissemus patribus instituta, continuo quasi nauigationem inquisitionis incertæ, spe maioris lucri persuadente, susceпimus. Vbi cũ diutissime fluctuantes, ad illos virtutum sublimitate conspicuos montes vndique curiosos oculos tẽderemus, abbatem Piammonem omnium anachoretarum illic inhabitãtium seniorem, eorundemq. presbyterum, velut quandam sublimissimam pharum, primus circumspectantium notauit
*Matth. 5.* intuitus. Hic etenim sicut euangelica illa ciuitas in excelsi montis vertice constitutus, nostro protinus refulsit aspectui. Cuius virtutes atque miracula quæ per eum, etiam sub conspectu nostro, diuina gratia testimonium meritis eius reddente, perfecta sunt, ne vel propositi nostri formam, vel modum huius voluminis excedamus, prætermittenda credidimus. Non enim de mirabilibus Dei, sed de institutis studijsq. sanctorum quædam, quæ reminiscі possibile est, nos spopondimus tradituros, vt necessariam tantum perfectæ vitæ instructionem non inutilem absque vlla emendatione vitiorum ac superuacuam admirationem legentibus præberemus. Cũ itaque beatus Piammon summa nos gratulatione susceptos, humanitate etiam congrua refecisset, intelligens nos non eiusdem esse regionis, primum vnde vel cur Ægyptum petissemus solicite percunctatus, ac de cœnobio Syriæ ob desiderium perfectionis nos illo aduenisse cognoscens, ita exorsus est.

### *Quomodo rudes monachi exemplo seniorum debeant erudiri. Cap. II.*

QVisquis hominum, o filij cuiuslibet artis peritiã assequi cõcupiscit, nisi omni cura atque vigilantia eius scientiam nosse desiderat disciplinæ studijs manciparit, ac perfectissimorum quorũque opificij ipsius vel scientiæ magistrorũ præcepta atque instituta seruauerit, frustra inanibus votis eorum similitudinem exoptat attingere, quorum curam atque industriam æmulari detrectat. Nouimus enim nonnullos ita ad hæc loca de vestris regionibus aduenisse, vt cognoscendi tãtum modo gratia fratrum monasteria circumirent, non vt has regulas, ob quas huc commeauerant, atque instituta susciperent, ac secedentes, in cellulis conarentur ea, quę vel visu vel traditione perceperant, operibus experiri. Qui mores suos ac studia quibus imbuti fuerant retentantes, vt eis exprobrari a nonnullis solet, non profectus sui gratia, sed vitandæ egestatis necessitate æstimati sunt prouincias cõmutasse. Non solum enim nihil eruditionis acquirere, sed ne diutius quidem in his partibus commorari, pertinacis animi obstinatione potuerũt. Cum enim nec ieiuniorũ morem, neque psalmorum ordinem, nec ipsorum denique indumẽtorum habitum permutassent; quid aliud in hac regione sectari quàm sola victus sui compendia crederentur?



### *Quod iuniores seniorum discutere præcepta non debeant. Cap. III.*

QVamobrem si vos, quemadmodum credimus, Dei causa ad æmulationem nostræ cognitionis attraxit, omnibus institutis, quibus illic primordia vestra præuenta sunt penitus abdicatis, quæcumque seniores nostros agere vel tradere videritis, summa humilitate sectamini. Neque vos moueat, aut ab imitatione diuertat ac retrahat, etiam si vobis ad præsens alicuius rei vel facti ratio, vel causa non liqueat; quia eos qui bene de cunctis ac simpliciter sentiunt, & vniuersa quæ a senioribus tradi gerive perspexerint, fideliter imitari magis quàm discutere studẽt, per operis experientiam rerum etiam omnium sciẽtia subsequetur. Ceterum numquam rationem veritatis intrabit, quisquis a discussione cœperit erudiri: quia videns eum inimicus suo potius quàm patrum iudicio confidentem, facile in id vsque propellit, vt etiam illa, quæ maxime vtilia ac saluberrima sunt, superflua ei videantur & noxia. Atque ita præsumptioni eius callidus hostis illudit, vt irrationabilibus definitionibus suis pertinaciter inhærendo, hoc solummodo sibi sanctum esse persuadeat, quod rectum atque iustissimum suæ tantum obstinationis errore censuerit.

### *De tribus generibus monachorum, quæ intra Aegyptum sunt. Cap. IV.*

QVamobrem ordo atque principium professionis nostræ, quemadmodũ, vel vnde descenderit, primum debetis agnoscere. Tunc etenim poterit quis desideratæ artis efficacius assequi disciplinam, & ad exercendam eã ardentius incitari, cũ auctorum & fundatorũ eius agnouerit dignitatem. Tria sunt in Ægypto genera monachorum, quorum duo sunt optima, tertium tepidum atque omnimodis euitandũ. Primum est cœnobitatũ, qui scilicet.

in congregatione pariter consistentes, vnius senioris iudicio gubernãtur, cuius generis maximus numerus monachorum per vniuersam commoratur Ægyptum. Secundum anachoretarum, qui prius in cœnobijs instituti, iamq. in actuali conuersatione perfecti, solitudinis elegere secreta, cuius professionis nos quoque optamus esse participes. Tertium reprehensibile Sarabaitarum est: de quibus singillatim per ordinem plenius disseremus. Harum igitur trium professionum fundatores primum, vt diximus, debetis agnoscere. Nam profecto ex hoc ipso, vel odium professionis illius nasci poterit, quæ vitanda est, uel eius desiderium, quę sequenda: quia necesse est vnamquamque viam ad illum finem suum pertrahere sectatorem, ad quem auctor ipsius inuentorq. peruenit.

*Quibus auctoribus cœnobitarum sit instituta professio. Cap. V.*

COenobitarum itaque disciplina a tempore apostolicæ prædicationis sumpsit exordium. Nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in
Act. 4. Actibus Apostolorum ita describitur: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorũ, quę possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erãt illis omnia communia, possessiones & substantias vendebant, & diui-
Ibid. debant ea omnibus prout cuique opus erat. & iterũ: Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebãt pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Talis, inquam, erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobijs inuenire difficile est. Sed cum post Apostolorum excessum tepescere cœpisset credẽtium multitudo, ea uel maxime quę ad fidem Christi de alienigenis ac diuersis gentibus confluebat, a quibus Apostoli pro ipsis fidei rudimentis ac inueterata gentilitatis consuetudine
Act. 15. nihil amplius expetebant, nisi vt ab immolatijs idolorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine temperarent, atque ista libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est, etiam illius Ecclesiæ perfectionem quæ Hierosolymis consistebat, paulatim contaminare cœpisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero, vel aduenarum, primę illius fidei refrigescceret feruor, non solum



solum hi, qui ad fidem Christi confluxerant, verum etiam illi qui erant Ecclesię principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id quod videbant gentibus pro infirmitate concessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum substantijs ac facultatibus suis fidem Christi confessionemq. sequerentur. Hi autem quibus adhuc apostolicus inerat feruor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes a ciuitatibus suis, illorumq. consortio, qui sibi vel Ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, & ea quę ab Apostolis per vniuersum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, priuatim ac peculiariter exercere cœperunt, atque ita coaluit ista, quam diximus discipulorum qui se ab illorum cõtagio sequestrauerãt, disciplina. Quia paulatim procedẽte tempore, segregati a credentiũ turbis, ab eo quòd a coniugijs abstinerent, & a parentum se consortio mundiq. istius conuersatione secernerent, † monachi, siue monazontes, singularis ac solitariæ vitę districtione, nominati sunt. Vnde consequens fuit. vt ex communione consortij † cœnobitæ, cellæq. ac diuersiora eorum † cœnobia vocarentur. Istud ergo solum fuit antiquissimum monachorum genus, quod non modo tempore, sed etiam gratia primum est, quodq. per annos plurimos inuiolabile vsque ad abbatis Pauli vel Antonij durauit ætatem. Cuius etiam nunc in districtis cœnobijs cernimus residere vestigia.

μοναχοὶ, siue, μονάζοντες, κοινόβιαι κοινόβια.

*De anachoretarum ordine atque principio. Cap. VI.*

DE hoc perfectorum numero, &, vt ita dixerim, fœcundissima radice, sanctorum etiam anachoretarum post hæc flores fructusq. prolati sunt. Cuius professionis principes hos quos paulo ante memorauimus, sanctum videlicet Paulum vel Antonium, nouimus extitisse. Qui non vt quidam pusillanimitatis causa vel impatiẽtiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus contemplationisq. diuinæ, solitudinis secreta sectati sunt, licet eorum prior necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorum deuitat insidias, eremum penetrasse dicatur. Ita ergo processit ex illa, quam diximus disciplina, aliud perfectionrs genus, cuius sectatores † anachoretæ, id est, secessores merito nuncupantur, eo quòd nequaquam cõtenti hac victoria, qua inter homines occultas insidias diabuli cal-

ἀναχωρῆται

cauerunt, aperto certamine ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi recessus penetrare
*Matth. 3* non timeant, ad imitationem scilicet Ioannis Baptistæ, qui
in eremo tota permansit ætate: Eliæ quoque & Elisæi, atque
*Hebr. 11* illorum, de quibus Apostolus ita memorat: Circumierunt
in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, & montibus, & speluncis, & cauernis terræ. De quibus
*Iob. 39.* etiã figuraliter Dominus ad Iob: Quis autẽ est, qui dimisit
*Sec. lxx.* onagrum liberũ, & vincula eius quis resoluit? Posui autẽ habitaculum eius desertum, & tabernacula eius salsuginẽ. Irridens multitudinem ciuitatis, & querelam exactoris non audiens. Considerauit montes pascuæ suæ, & post omne vi-
*Psal. 106* ride quærit. In Psalmis quoque: Dicant nunc qui redempti
sunt a Domino, quos redemit de manu inimici. Et post
*Ibid.* pauca: Errauerunt in solitudine in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit
*Thren. 3.* eos. Quos etiam Hieremias ita describit: Beatus qui tulit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se. Quique illud Psalmistæ affectu &
*Psal. 101* opere concinunt: Similis factus sum pellicano solitudinis. Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

### *De Sarabaitarum principio & conuersatione.*

### *Cap. VII.*

CVmque his duabus professionibus monachorum religio Christiana gauderet, cœpisset autem in deterius paulatim hic quoque ordo recidere, emersit post hæc illud deterrimum & infidele monachorum genus, vel potius no-
*Act. 5.* xia illa plantatio rediuiua concreuit, quæ per Ananiam & Sapphirã in exordio Ecclesiæ pullulans, Apostoli Petri seueritate succisa est; quæ inter monachos tamdiu detestabilis execrandaq. iudicata est, nec a quoquam vlterius vsurpata, quamdiu illis tam districtę formido sententiæ memoriæ fidelium inserta durauit, qua beatus Apostolus prædictos noui facinoris principes, non pœnitentia, non vlla passus est satisfactione curari, sed pernicios issimum germẽ celeri morte succidit. Illo igitur exemplo, quod in Ananiã & Sapphirã apostolica districtione punitũ est, a nonnullorum contemplatione paulatim longa incuria, & temporis oblitera-



literatione subtracto, emersit istud Sarabaitarum genus, qui ab eo quòd semetipsos a cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac singillatim suas curarent necessitates, Ægyptiæ linguæ proprietate, Sarabaitæ nuncupati sunt; de illorum, quos supra diximus, numero procedẽtes, qui euangelicã perfectionem simulare potius, quàm in veritate arripere maluerunt: æmulatione scilicet eorum vel laudibus prouocati, qui vniuersis diuitijs mundi perfectam Christi præferunt nuditatem. Hi igitur dum imbecillo animo rem summę virtutis affectant, vel necessitate ad hanc professionem venire compulsi, dum censeri tantummodo nomine monachorum absque vlla studiorum æmulatione festinãt, cœnobiorum nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorũ subduntur arbitrio, aut eorũ traditionibus instituti, suas discunt vincere voluntates, nec vllam sanæ discretionis regulam legitima eruditione suscipiunt, sed ad publicam tãtummodo, id est, ad hominum faciem renuntiantes, aut in suis domicilijs sub priuilegio huius nominis ijsdem obstricti occupationibus perseuerant, aut constituentes sibi cellulas, easq. monasteria nuncupantes, suo in eis iure ac libertate consistunt, nequaquam euangelicis præceptionibus succumbentes, vt nulla scilicet quotidiani victus so- *Matth. 6*
licitudine, nullis rei familiaris distentionibus occupentur. Quod illi soli absque vlla infideli dubitatione cõsummãt, qui cunctis mundi huius facultatibus absoluti, ita se cœnobiorum præpositis subdiderunt, vt ne sui quidem ipsius fateantur esse se dominos. Illi autem qui districtionem, vt diximus, cœnobij declinantes bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti abbatis cura atque imperio gubernari, sed hoc præcipue procurantes, vt absoluti a seniorum iugo, exercendi voluntates suas, & procedendi, vel quo placuerit euagandi, agendiue quod libitum fuerit habeant libertatem, etiam amplius in operibus diurnis, quàm hi qui in cœnobijs degunt, diebus ac noctibus consumuntur, sed non ea fide, eodemq. proposito. Hoc enim isti faciunt, non vt fructum sui operis subijciant dispensatoris arbitrio, sed vt acquirant pecunias quas recondant. Inter quos quantum interst, aduertite. Illi nihil de crastino cogitantes, gratissimos Deo sudoris sui offerunt fructus: Isti vero non solum in crastinum, sed etiam in multorum annorum spatia infidelẽ solicitudinem prorogantes, aut men-

dacem Deum aut inopem credunt, qui promissam quotidiani victus atque indumentorum sufficientiã præbere eis aut non possit, aut nolit. Illi hoc omnibus experunt votis, vt ἀκτημοσώλω, id est, nuditatem omnium rerum paupertatemq. possideant: Isti vt omnium copiarũ affluentiam consequantur. Illi ob hoc certatim statutũ trascendere canonem diurnis operibus elaborant, vt quidquid monasterij sanctis vsibus redundarit, vel carceribus, vel xenodochio, vel nosocomio, vel indigentibus pro abbatis dispensetur arbitrio: Isti vt quidquid quotidianæ superfuerit gulæ, aut profusiori proficiat voluptati, aut certe philargyriæ vitio recondatur. Postremo vt concedamus ab istis hęc quoque quę nõ optimo proposito congeruntur, melius quàm diximus posse distribui, ne sic quidem ad meritũ virtutis illorũ ac perfectionis aspirant. Illi enim tantos monasterio redditus conferentes, eisq. quotidie renuntiantes, in tanta subiectionis humilitate perdurant, vt quemadmodum sui ita etiã eorũ, quæ proprio sudore cõquirunt potestate priuẽtur, abrenuntiationis primæ feruorẽ, dum quotidie semetipsos laboris sui fructibus nudant, iugiter innouantes: Isti autẽ eo ipso quòd aliquid pauperibus largiuntur elati, in præceps quotidie collabuntur. Illos patientia atque districtio, qua tam deuote in hac, quam semel arripuerũt professione perdurant, vt numquam suas expleant voluntates, crucifixos huic mundo quotidie viuosq. martyres facit: Hos arbitrij sui tepor viuos ad inferna demergit. Hæc igitur duo genera monachorum in hac quidem prouincia ęquali propemodũ inter se numerositate contendunt. Ceterum per alias regiones quas me necessitas catholicę fidei compulit peragrare istud tertium Sarabaitarum genus abundare, ac prope solum esse cognouimus. Temporibus siquidem Lucij qui Arianæ perfidiæ episcopus fuit, sub Valentis imperio dum diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Ægypto ac Thebaide fuerant ob catholicæ fidei perseuerantiam metallis Ponti atque Armeniæ relegati, licet cœnobiorum disciplinam in quibusdam ciuitatibus rarissimam viderimus, anachoretarum tamen apud illos, ne ipsum quidem nomen auditum fuisse comperimus.

*De quarto genere monachorum. Cap. VIII.*

SAne est etiam aliud quartum genus, quod nuper cernimus emersisse in his, qui anachoretarũ sibi specie atque imagine blandiuntur, quiq. in primordijs suis feruore quodam breui, cœnobij perfectionem videntur expetere, sed continuo tepefacti, dum pristinos mores ac vitia resecare contemnũt, nec iugum humilitatis ac patientiæ diutius sustinere contenti sunt, subdiq. seniorum imperio dedignãtur, separatas expetunt cellas, ac solitarij sedere desiderãt, vt ita scilicet a nemine lacessiti, patientes, mãsueti, vel humiles possint ab hominibus æstimari. Quæ institutio, immo tepor, eos quos semel infecerit, ad perfectionem numquam permittit accedere. Hoc enim modo non solum non abscidentur, verumetiam in deterius eorum vitia conualescent dum a nemine prouocati, vt quoddam letale & intestinum virus, quanto amplius celatum fuerit, tanto profundius serpens insanabilem morbum generat ægrotanti: Pro reuerentia enim singularis cellæ, nullus iam vitia solitarij audet arguere, quæ ille ignorari maluit quàm curari. Porro virtutes non occultatione vitiorum, sed expugnatione pariuntur.



*Interrogatio quid interſit inter cœnobium & monaſterium. Cap. IX.*

GERMANVS. EST ne aliqua inter cœnobium monasteriumq. distantia, an vtroque nomine res vna censetur?

*Reſponſio. Cap. X.*

PIAMMON. Licet a nonnullis soleãt indifferẽter monasteria pro cœnobijs appellari, tamen hoc interest, quòd monasterium nomen est diuersorij, nihil amplius quàm locum, id est, habitaculum significans monachorum; cœnobium vero etiam professionis ipsius qualitatem disciplinamq. designat. Et monasterium potest etiam vnius monachi habitatio nominari, cœnobium autem appellari non potest, nisi vbi plurimorum cohabitantium degit vnita communio. Dicuntur sane monasteria, etiam in quibus Sarabaitarum collegia commorantur.

*De vera humilitate, & quomodo falſam cuiuſdam humilitatem prodiderit abbas Serapion. Cap. XI.*

QVamobrem quoniam de optimo genere monachorũ video vos professionis huius arripuisse principia, id est, de laudabili cœnobiorum palæstra ad excelsa fastigia anachoreticæ tendere disciplinæ, humilitatis patientiæq. virtutem, quam vos illic didicisse non dubito, vero sectamini cordis affectu, non eam sicut quidam falsa hu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



miliatione verborum, nec affectata atque superflua in quibusdam officijs corporis inclinatione fingentes. Quod humilitatis figmentum abbas Serapion quodam tempore egregiè irrisit. Cum enim quidam ad eum summam sui abiectionem habitu ac verbis præferens aduenisset, eumq. senex, secundum morem, vt orationem colligeret hortaretur, ille nequaquam annuens deprecanti, tantis se subijciés asserebat flagitijs inuolutum, vt ne vsum quidem huius cõmunis aeris carpere mereretur, psiathij quoque ipsius refugiens sessionem, humi potius insidebat. Cum vero etiam ad ablutionem pedum multo minus præbuisset assensum, tum abbas Serapion refectione transacta, collationis consuetudine prouocante, monere eum benigne ac leniter cœpit, ne otiosus ac vagus præsertim iuuenis tam robustus, instabili leuitate per vniuersa discurreret, sed vt in cella residens, secundum regulam seniorum, suo potius opere, quàm aliena mallet munificẽtia sustentari: in quod ne Apostolus Paulus incideret, & quidem cum ei in Euangelio laboranti hæc præbitio merito deberetur, diebus tamen ac nocti- *2. Thess. 3. Act. 20.*
bus maluit operari, vt quotidianum victum vel sibi, vel his, qui eidem ministrantes opus exercere non poterant, suis manibus præpararet. Ad hæc ille tanta est tristitia & dolore suppletus, vt amaritudinem corde conceptam, ne vultu quidem dissimulare potuerit. Cui senex: Hactenus, inquit, o fili, cunctis te facinorum ponderibus onerabas, non metuens ne confessione tam atrocium criminum, notam existimationis incurreres; quid quæso nũc est quòd ad simplicem admonitiunculam nostram, quæ tamen in se non modo nullum opprobrium, sed etiam ædificationis habuit ac dilectionis affectum, tãta te video indignatione permotum, vt eam ne vultu quidẽ occulere, aut frontis serenitate dissimulare potueris? An fortasse illam dum te humiliabas *Prou. 18. sec. lxx.*
expectabas a nostro ore sententiam: Iustus accusator sui est in primordio sermonis? Proinde vera est cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis atque verborum, sed de intima mentis humiliatione descendit. Quæ tunc demum euidentissimis patientiæ suæ fulgebit indicijs, cum quis non ipse de se crimina ab alijs non credenda iactauerit, sed ab alijs sibimet arroganter ingesta contempserit, & irrogatas iniurias mansueta cordis æquanimitate tolerarit.

*Inter-*



*Interrogatio quemadmodum vera patientia possit acquiri. Cap. XII.*

GERMANVS.

QVemadmodum acquiri vel retineri possit ista tranquillitas optamus agnoscere; vt sicut indicto nobis silentio, oris claustra præcludimus, verborumq. licentiã coercemus, ita etiã cordis lenitatem custodire possimus; quod nõnumquam etiã cum lingua frænatur, intrinsecus tamen statum suæ placiditatis amittit. Et idcirco mansuetudinis bonum non aliàs tenere quempiam nisi remotione cellæ ac solitario putamus habitaculo posse.

PIAMON. *Responsio. Cap. XIII.*

PAtientia vera atque trãquillitas, absque profunda cordis humilitate nec acquiritur nec tenetur. Quæ si de hoc fonte descenderit, nec beneficio cellæ, nec perfugio solitudinis indigebit. Nõ enim patrociniũ cuiusquam rei extrinsecus quæret, quæ humilitatis, id est, generatricis atque custodis suæ intrinsecus virtute fulcitur. Cæterum si mouemur ab aliquo lacessiri, certum est non esse in nobis fundamenta humilitatis firmiter stabilita, & ideo ad incursum vel exiguæ tempestatis, ædificium nostrum ruinosa commotione concutitur. Non enim esset laudabilis nec admiranda patientia, si nullis inimicorum iaculis impetita tranquillitatis propositum retentaret, sed in eo est præclara atque glorioſa, quòd irruentibus in se tentationum procellis immobilis perseuerat. Nam in quo vexari frangiq. aduersitatibus creditur, in eo potius roboratur, & in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi. A passionibus enim & sustentatione patientiam dici nullus ignorat, ideoq. constat patientem pronuntiari neminem posse, nisi eum qui vniuersa, quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione tolerauerit. Et ideo non immerito ita a Salomone laudatur: Melior vir patiens forte, & qui continet iram capiente vrbem. *Prou. 16. sec. lxx.*
& iterum: Longanimis vir nimius in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est. Cum ergo quis victus iniuria iracundię igne succenditur, non causa peccati eius acerbitas illatę contumeliæ extitisse credenda est, sed potius manifestatio infirmitatis occultæ, secundum illam parabolam Saluatoris, quam de duabus domibus ponit: vna quæ *Matth. 7*
fundata erat supra petram, & alia quæ super arenam, quibus æqualiter dicit, pluuiarum ac fluminum vel tempestatũ turbines irruisse, sed illã quæ in petræ soliditate fundata

*Prou. 14. sec. lxx.*

est

est,nihil penitus detrimenti ex illa tam violenta collisione sensisse, quæ vero in arenarum pendula mobilitate cõstructa est, statim fuisse collapsam. Quam vtique apparet non propterea corruisse, quia imbrium vel torrentium inũdatione pulsata, sed quia super arenam imprudenter extructa est. Non enim in hoc differt a peccatore vir sanctus, quia non similiter & ipse tentatur,sed quia hic etiam magna impugnatione non vincitur, ille autem etiam parua tentatione superatur.Neque enim esset, vt diximus, iusti alicuius laudabilis fortitudo, si vinceret intentatus, cum vtique victoria locum habere non possit absque aduersitate certaminum: Beatus enim vir qui suffert tentationem,quia cum probatus fuerit,accipiet coronam vitæ, quã repromisit Deus diligentibus se. Secundum Apostolum quoque virtus nõ in otio atque delicijs, sed in infirmitate perficitur. Ecce enim, inquit, dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnã ferream,& in murum æreum, super omnem terram regibus Iuda,principibus eius,& sacerdotibus eius, & omni populo terrę, & bellabunt aduersum te, & non præualebũt, quia ego tecum sum,ait Dominus, vt eruam te.

*Iacob. 1.*

*2.Cor. 12*

*Hiere. 1.*

*De exemplo patientiæ cuiusdam religiosæ feminæ.*

*Cap. XIV.*

HVius ergo patientiæ volo vobis duo saltem exempla proponere, vnum religiosę cuiusdam feminæ, quæ patientiæ virtutem tanta auiditate sectata est,vt non solum tentationum nõ vitaret incursus, sed etiam occasiones molestiarum sibimet procuraret, quibus frequentius instigata non cederet.Hæc namque cum Alexandriæ commaneret, essetq. non obscuris orta maioribus, atque in domo quæ sibi fuerat a parentibus derelicta religiose Domino deseruiret, veniens ad beatæ memoriæ episcopum Athanasium, precabatur vt aliquam sibi alendam viduam daret, quæ ecclesiasticis sumptibus pascebatur. Et vt petitionem eius verbis ipsius exprimamus: Da mihi,inquit,aliquam de sororibus quam repausem. Sacerdos igitur cũ laudasset propositum feminæ, quòd eam ad opus misericordiæ vidisset esse promptissimam, iussit ex omnibus eligi viduam, quæ & honestate morum, & grauitate ac disciplina omnibus prę ferretur, ne forte desiderium largitatis percipientis vitio vinceretur, & quæ mercedem quæreret in egena, damnum fidei prauis eius offensa moribus pateretur. Cui cum domum



domum adducte omnibus deseruiret obsequijs, virtutem modestiæ eius ac lenitatis experta, videnscq. se ab ipsa momentis singulis gratiarum actione pro humanitatis officio onerari, post dies paucos ad memoratũ reuersa põtificem, Rogauerã, inquit, vt mihi dari præciperes quã ego reficerem, & cui morigeris famularer obsequijs. Cumque ille necdum propositũ feminæ ac desiderium intelligens, æstimasset petitionem eius dissimulatione præpositi fuisse neglectam, causasq. moræ illius non absque animi sui commotione perquirens, protinus agnouisset honestiorem ei ceteris viduam deputatam, occulte præcepit vt ea illi, quæ esset cunctis nequior traderetur,quæ scilicet vel iracundia, vel rixis,vel †violentia, seu verbositate cunctas quibus hęc vitia dominarentur,excederet. Quam cũ multo facilius inuentam sibiq. traditam domi habere cœpisset, atque eadẽ ei diligentia qua priori illi viduæ, vel etiam studiosius ministraret; hoc solum ab ea pro tantis obsequijs recipiebat gratiæ,vt indignis iugiter afficeretur iniurijs, cõuicijs quoque ab ea exprobrationibusq. cõtinuis vexaretur, obijciente ei & maledicis obtrectationibus increpante, eo quòd se nõ ad refrigerium,sed potius ad cruciatum & contumeliã ab episcopo poposcisset, magisq. se de requie ad laborem, quàm de labore trãstulisset ad requiem. Cum ergo assiduitas iurgiorũ eo vsque prorumperet,vt ne ab iectione quidem manum procax mulier temperaret, illa autem humilioris obsequij geminaret officia,non furentem vincere renitendo,sed semetipsam humilius subijciendo discebat ,vt multimodis indignitatibus lacessita, iurgantis insaniam †humanitatis mansuetudine deliniret. Quibus ad plenum exercitijs confirmata, perfectamq. virtutem desideratæ patientiæ consecuta,ad memoratũ pontificem, tã pro electionis illius iudicio, quàm etiam pro beneficio exercitationis suæ,gratias relatura perrexit, eo quòd secundum desiderium suum tandem ei magistram patientiæ dignissimam prouidisset, cuius iniurijs iugibus, vt quodam palæstræ oleo quotidie roborata, ad summam animi patientiã peruenirent: Tandem, inquiens, dedisti mihi quam repausem; nam illo prior suis me potius onerabat ac refrigerabat obsequijs.Hæc de sexu muliebri dixisse sufficiat, vt cõmemoratione hac nõ solum ædificemur, verumetiam cõfundamur, qui nisi fuerimus ferarum more retrusi in cau-

*al. vinolentia.*

*al. humilitatis.*

eas

ueas cellularum, patientiam retinere non possumus.

*De exemplo patientiæ abbatis Paphnutij. Cap. XV.*

NVnc aliud abbatis Paphnutij pandamus exemplũ, qui in illius insignis & vbique prędicabilis Scithicæ eremi, in qua nunc presbyter est, secretis, tanto studio semper insedit, vt ei ceteri anachoretę Bubali cognomen indiderint, eo quòd ingenito (vt ita dixerim) desiderio, solitudinis semper habitatione gauderet. Itaque cum tantę in pueritia sua esset virtutis & gratiæ, vt etiam præclari ac summi id temporis viri, grauitatem eius & immobilem constantiam mirarentur, eumq. licet minor esset ætate, pro virtutum tamen merito senioribus exęquarent, suoq. ordi-
Gen. 37. ni ducerent inferendum, liuor ille, qui aduersum Ioseph patriarcham fraternos quondam animos instigauit, quendam de numero fratrum edacis zeli igne succendit. Qui nęquo quodam ac macula pulchritudinem eius cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat, vt temporis oportunitatem captaret, quo Paphnutius ad ecclesiam die Dominico processurus abesset a cella. In quam furtim irruẽs, codicem suum inter eius plectas, quas de palmarum foliis solebat intexere, latenter abscondit, ac de concinnata factione securus, ipse quoque velut puræ ac simplicis conscientię ad ecclesiam venit. Cumque celebrata omnis fuisset ex more solemnitas, querelam sancto Isidoro qui ante hunc eundem Paphnutium eiusdem eremi presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit, asserens sibi codicem de cella furto fuisse sublatum. Quæ eius querimonia cum ita cunctorum fratrum, pręcipueq. presbyteri animos permouisset, vt quid primum suspicarentur, quidue decernerent non haberent, summa cunctis admiratione perculsis, de tam inauditi illic facinoris nouitate, ille qui rem detulerat accusator vrgebat, vt retentis in ecclesia omnibus, missi electi quiq. cunctorum singillatim fratrũ cellulas scrutarentur. Quod cum tribus senioribus a presbytero fuisset iniunctum, vniuersorum cubilia reuoluentes, ad extremũ in Paphnutij cellula absconditum codicem inter plectas palmarum, quas illi siras vocant, sicut eum insidiator occuluerat, repererunt. Quem cum inquisitores confestim ad ecclesiam delatum corã omnibus protulissent, Paphnutius licet de cõscientiæ suę esset sinceritate securus, tamen velut qui furti crimen agnosceret, satisfactioni se totũ tradens,



dens, locum pœnitentię suppliciter postulauit, hoc verecundiæ suæ modestiæq. prospiciens, ne si maculã furti verbis conaretur abluere, insuper etiam mendacij notaretur, nemine scilicet aliud, quàm id quod inuentum fuerat suspicante. Cumque de ecclesia non tam mente deiectus, quàm iudicio Dei fidens protinus abscessisset, profusis in oratione iugiter lacrymis triplicatisq. ieiunijs, summa se etiam in conspectu hominum mentis humilitate prostrauit. Sed cum duabus ferme hebdomadibus ita se omni contritione carnis ac spiritus subiecisset, vt die sabbati vel Dominico, non ad percipiendam communionem sacram, sed ad prosternendum se in limine ecclesiæ, atque ad veniam suppliciter postulandam, matutinus occurreret, nequaquam passus est eum occultorum omniũ testis & cognitor, vel a se amplius conteri, vel ab alijs infamari. Nam quod ille inuentor sceleris, rei suæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teste commiserat, per diabolũ qui criminis ipsius incentor fuerat, publicauit. Arreptus namque dirissimo dęmone cunctas factionis occultæ patefecit insidias, criminationumq. ac fraudum idem fuit proditor, qui commentor. Ita autem spiritu illo immundo grauiter diuque vexatus est, vt ne orationibus quidem sanctorum illic consistentium, qui diuinorum charismatũ merito dæmonibus imperabant, potuerit emundari, sed ne ipsius quidem Isidori presbyteri gratia singularis crudelissimũ ab eo extruserit vexatorem: Cui tanta erat virtus Domini largitate collata, vt ne vsque ad limina quidem eius quisquam arreptitius, qui tardius sanaretur, aliquando perductus sit; Christo hanc adolescenti Paphnutio gloriam reseruante, vt illius tantum orationibus, cui insidiatus fuerat, purgaretur, & cuius laudi aliquid inuidus inimicus decerpere se posse crediderat, eius nomen proclamans, & delicti sui veniam & finem suplicij præsentis acciperet. Hæc ergo ille in adolescentia sua futuræ indolis iam tunc indicia præfigurans, lineas quasdam perfectionis illius, quæ erat maturitate ætatis augenda, adhuc in annis puerilibus designauit. Si igitur ad culmen virtutum eius volumus peruenire, talia nobis exordiorum fundamina iacienda sunt.

*De perfectione patientiæ. Cap. XVI.*

DVplex sane ad narrationem facti huius causa me compulit. Primũ, vt hãc immobilitatem viri constãtiamq. pen-

pensantes, quanto minoribus quàm ille est appetitus, inimici impugnamur insidijs, tanto maiorem tranquillitatis atque patientiæ sumamus affectum: deinde, vt firma definitione teneamus, a tentationum procellis impugnationibusq. diaboli tutos nos esse non posse, si omne præsidium patientiæ nostræ omnemq. fiduciam, non in interioris hominis nostri viribus, sed in cellulę clausstris, aut in recessu solitudinis, sanctorumve consortio, vel cuiusquam quæ extra nos sit rei præsidio, collocemus. Nisi enim mentem nostrã virtute suę protectionis ille firmauerit, qui in Euangelio ait: Regnum Dei intra vos est; frustra aerij hostis insi-
*Luc. 17.* dias, aut auxilio cohabitantium hominum vincere, aut localibus spacijs declinare, aut munitione tectorum excludere posse nos credimus. Nam cum hæc omnia sancto Paphnutio non deessent, non tamen impugnationis aditum aduersus eum tentator inuenire nõ potuit, neque illum nequissimum spiritũ, septa parietum aut eremi solitudo, aut tot in illa congregatione sanctorum merita repulerunt. Sed quia sanctus Dei famulus non in his quę extrinsecus sunt, sed in ipso occultorum omnium iudice spem sui cordis affixerat, tantę impugnationis machinis nequaquam potuit commoueri. Econtra ille, quem ad tantum facinus præcipitauit inuidia, nonne & solitudinis beneficio, & munitione habitaculi remotioris, & beati Isidori abbatis atque presbyteri aliorumq. sanctorum cõsortio fruebatur? & tamen quia eum super arenam turbo diabolicus reperit, non solũ impegit eius, verũ etiam subuertit habitaculum. Non ergo quietem nostram extrinsecus inquiramus, nec opitulari vitijs impatientię nostræ alienã putemus posse patien-
*Ibid.* tiam. Sicut enim regnum Dei intra nos est, ita inimici ho-
*Matt. 10* minis domestici eius. Nemo enim mihi magis quàm sensus meus, qui est mihi vere intimus domesticus, aduersatur. Et idcirco si fuerimus soliciti, ab intestinis hostibus lædi minime poterimus. Vbi enim nobis nostri domestici non aduersantur, ibi & regnum Dei tranquillitate mentis acquiritur. Nam si rationem diligenter excutias, lędi ab homine quamuis malignante non potero, si ipse impacifico aduersum me corde non dimicẽ. Si autem lędor, non est vitium impugnationis alienę, sed impatiẽtiæ meæ. Sicut enim grauis ac solidus cibus sano vtilis, ita pernicioſus est ægrotanti. Non autem lædere sumentem potest, nisi ei ad nocen-



nocendum vires adiecerit percipientis infirmitas. Si vmquam ergo similis inter fratres fuerit oborta tentatio, nequaquam a cursu tranquillitatis excussi, blasphemis sæcularium obtrectationibus aditum referemus. Nec peruersos atque execrabiles quosq. sanctorum virorum numero insertos latitare miremur, quia dum in huius sæculi area conculcamur atque conterimur, necesse est etiam paleas igni perpetuo deputandas, inter electissima frumenta misceri. Denique si vel satan inter angelos, vel Iudam inter Apo- *Iob. 1.*
stolos, vel Nicolaum prauissimæ hęreseos inuentorem in- *Matt. 10.*
ter diaconos reminiscamur electos, hoc quòd nequissimi *Act. 6.*
homines sanctorum ordini deprehenduntur inserti, mirum *Apoc. 2.*
esse non poterit. Nam licet hunc Nicolaum quidam asserant nõ illum fuisse, qui ad opus ministerij ab Apostolis est electus, nihilominus tamen eum de illo discipulorum fuisse numero negare non possunt, quos omnes tales tamque perfectos id temporis fuisse manifestum est, quales nunc perpaucos vix in cœnobijs inuenimus. Non ergo ruinã illius supradicti fratris, qui in illa eremo tam lugubri lapsus est casu, neque illam horribilẽ maculam, quam tamẽ ille ingentibus pœnitentiæ lacrymis post deleuit, sed beati potius Paphnutij nobis proponamus exempla. Nec subuersione illius destruamur, cuius antiquum inuidię vitium etiam auxit in peius affectata religio, sed huius humilitatem tota virtute sectemur, quam non illi quies eremi subito genuit, sed inter homines acquisitam consummauit atque excoluit solitudo.

*De inuidiæ malo. Cap. XVII.*

SCiendum sane est, inuidiæ morbum difficilius ad medelam quàm cetera vitia perduci. Nam eũ, quem semel veneni sui peste corruperit, pene dixerim carere remedio. Ipsa namque est lues, de qua figuraliter dicitur per prophetam: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos quibus non *Hiere. 8.*
est incantatio, & mordebunt vos. Recte igitur a propheta mortiferi basiliſci venenis morsus inuidiæ comparatur, qua primus ille venenorum omnium auctor & princeps & perijt, & peremit. Nam ante suus quàm eius, cui inuiderat interemptor, priusquam in hominem mortis virus effunderet, ipse se perdidit: Inuidia enim diaboli mors in- *Sap. 2.*
troiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Sicut enim ille qui primus eiusdem mali peste cor-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſte corruptus eſt, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum alicuius curationis admiſit; ita & hi, qui ijſdem ſe percutien dos morſibus tradiderunt, omnem opem ſancti incantatoris excludunt, quia cum vtique non culpa eorum, quibus liuent, ſed proſperitate crucientur, erubeſcẽtes ipſam prodere veritatem; extrinſecus ſibi quaſdam ſuperfluas & ineptas cauſas offenſionis inquirunt. Quarum quia omnimodis falſæ ſunt, vana curatio eſt, cum illud mortiferum virus, quod nolunt prodere, lateat in medullis. De quibus ali-
*Eccl. 10. ſec. lxx.* bi ſapientiſſimus ille competenter expreſſit: Si momorderit ſerpens non in ſibilo, non eſt abundantia incantatori. Iſti enim ſunt taciti morſus, quibus ſolis ſapientium medicina non ſubuenit. Nam vſque adeo incurabilis eſt iſta pernicies, vt blandimentis exaſperetur, infletur obſequijs, mu-
*Prou. 27. ſec. lxx.* neribus irritetur; quia vt idem Salomon ait: Nihil ſuſtinet, zelus. Quanto enim amplius alius, aut humilitatis ſubiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille maioribus inuidiæ ſtimulis incitatur, qui non niſi ruinam aut mortem eius, cui inuidet, concupiſcit. Denique illorum vndecim patriarcharum zelus in tantum nulla innoxij fratris ſubiectione potuit deliniri, vt de his
*Gen. 37.* ſcriptura commemoret: Inuidebant autem ei fratres ſui, eò quòd diligeret eum pater ſuus, & non poterant ei loqui quidquam pacificum, donec zelus eorum, qui nulla germani obſequentis atque ſubiecti ſuſtinuit blandimenta, mortem eius cupiens, vix poſſet venditionis fraternæ crimine ſatiari. Cunctis ergo vitijs perniciosiorem atque ad purgãdum difficiliorem eſſe conſtat inuidiam, quæ ipſis remedijs, quibus reliqua extinguuntur, accenditur. Nam verbi gratia, qui damnum ſibi illatum dolet, largitatis compenſatione curatur; qui de illata indignatur iniuria, humili ſatisfactione placatur: Quid illi facias, qui hoc ipſo magis quòd te humiliorem atque benigniorem ſentit, offenditur, quem non ad iracundiam cupiditas, quæ præmio deliniatur, non iniuriæ læſio aut amor vltionis accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis, ſed ſucceſſus tantum alienę felicitatis irritat? Quis autem eſt, qui ſe vt ſatisfaciat inuidenti, a bonis corruere: aut a proſperis alienari, aut calamitate aliqua exoptet inuolui? Quapropter ne totum quidquid in nobis viuidum eſt, & quaſi vitali vegetatione ſancti Spiritus animatur, vno tantum huius mali morſu baſi-

liſcus



liſcus interimat, diuinum cui nihil impoſſibile eſt iugiter imploremus auxilium. Cetera enim venena ſerpentum, id eſt, carnalia peccata vel vitia, quibus vt cito inuoluitur, ita facile expurgatur humana fragilitas, habent aliqua vulnerum ſuorum in carne veſtigia, quibus quamuis terrenum corpus pernicioſiſſime cõtumeſcat, tamen ſi theriacæ remedium, aut illam ſalutarium verborum medelam aliquis peritiſſimus carminum diuinorum incantator admouerit, ad perpetuam animæ mortem pernicies virulenta non peruenit. Inuidiæ autem quaſi a regulo ſerpente virus effuſum, vitã ipſam religionis ac fidei priuſquam vulnus in corpore ſentiatur excludit. Non enim aduerſus hominem, ſed plane aduerſus Deum blaſphemus extollitur, qui nihil in fratre aliud niſi bonum meritum carpens, non hominis culpam, ſed Dei tantum iudicia reprehendit. Hæc ergo eſt illa *Hebr. 12.* ſurſum germinans amaritudinis radix, quę ſe erigens ad ſuperna, in contumeliam ipſius, qui bona homini cõfert, tendit auctoris. Nec quemquam moueat, quòd Deus miſſurũ *Hiere. 8.* ſe ſerpentes regulos, qui eos, quorum criminibus offenditur, mordeant, cõminatur. Nam licet certum ſit, Deum auctorem inuidiæ eſſe non poſſe, æquum tamen & diuino dignum iudicio eſt, vt dum bona data humilibus conferuntur, & ſuperbis ac reprobis denegantur, eos qui ſecundum Apoſtolum tradi in reprobum ſenſum merentur, quaſi ab *Rom. 1.* ipſo miſſa percutiat & conſumat inuidia, ſecundum illud: Ipſi me ad æmulationem irritauerunt in non Deo, & ego *Deut. 32.* ad æmulationem inducam eos in non gente. Hac beatus *ſec. lxx.* Piammon diſputatione deſiderium noſtrum; quo de primis cœnobij ſcholis ad ſecundum anachoreſeos gradum tendere cœperamus, ardentius inflammauit. Nam primordia ſolitariæ commorationis cuius ſcientiam poſtea ſumus Scithi plenius aſſecuti, ipſo primum imbuẽte percepimus.

## COLLATIONIS ABBATIS Piammonis de tribus antiquis generibus monachorum, & quarto nuper exorto, Finis.

# COLLATIO XIX. QVÆ EST ABBATIS IOANNIS

## DE FINE COENOBITAE ET EREMITAE

*De cœnobio abbatis Pauli, & patientia cuiusdam fratris. Cap. I.*

POST dies admodũ paucos maioris doctrinæ desiderio pertrahẽte, rursus ad abbatis Pauli cœnobiũ summa spiritus alacritate perreximus: vbi licet plusquã ducentorũ fratrum numerus moraretur, in honorem tamẽ solemnitatis, quæ id temporis agebatur, infinita quoque de alijs cœnobijs monachorũ turba confluxerat. Nã prioris abbatis qui eidẽ cœnobio prẽfuerat, anniuersaria depositio solẽniter curabatur. Cuius conuentus idcirco mentionẽ facimus, vt patientiã cuiusdam fratris, quę sub præsentia totius congregationis immobili eius claruit lenitate, breuiter perstringamus. Nam licet aliò operis huius tendat intentio, vt scilicet abbatis Ioannis, qui relicta eremo illi se cœnobio summa humilitatis virtute subdiderat, proferamus eloquia; nequaquã tamẽ putamus absurdum, si absque vlla circuitione verborum, magna, vt credimus, studiosis quibusque virtutum ædificatio conferatur. In ingenti itaque atrio subdiuali illa monachorum multitudine per duodenarium numerũ distinctis ordinibus cõsidente, cum quidam fratrum susceptum ferculum paulo tardius intulisset, sub occasione istius tarditatis, prædictus abbas Paulus, qui inter turbas ministrãtium fratrum solicite discurrebat, exerta manu, palma cum sub omnium percussit intuitu, ita vt sonitus etiã auersorum, vel longius considentium auribus resultaret. Hoc autem idcirco ab eo factũ est, vt cunctis qui aderant iuuenis patientiã patefaceret, & omnes qui interfuissent tali spectaculo, modestię erudirẽtur exẽplo. Quàm maturo autẽ id senior consilio fecerit, res probauit. Nã memorabilis patiẽtiæ iuuenis tãta id animi lenitate susceptit, vt nõ modo nullus fuerit ex ore eius sermo prolapsus, vel tenuissimũ murmur tacita labiorum agitatione signatum, sed ne ipsa quidẽ oris modestia atque trãquillitas, aut color saltem quãtulumcumque mutatus. Quod factum non solum nobis qui nuper de Syriæ monasterio veniẽtes patientiæ huius virtutem non tam euidentibus perceperamus exemplis, sed etiã cunctis, qui expertes talium non erant studiorum ita mirũ fuit, vt etiam summis viris præcipua per hoc factum conferretur instructio; quòd scilicet etiam si patientiam eius correptio paterna nõ mouerat, ne spectaculum quidẽ tantæ multitudinis vllo vultum eius ruboris tinxissent indicio.



*De humilitate abbat. Ioãnis, et interrogatiõe nostra. Cap. II.*

IN hoc itaque cœnobio reperimus antiquissimum senem nomine Ioannem, cuius verba pariter & humilitatẽ, qua sanctis omnibus præminebat, nequaquam silentio prætereunda censuimus, scientes eum hac maxime perfectione viguisse, quæ cum sit virtutũ omnium mater, ac totius spiritalis structuræ solidissimum fundamentum, a nostris penitus exulat institutis. Vnde non mirum est nec ad illorum sublimitatem nos posse conscendere, qui non dicam vsque ad senectam sub cœnobij permanere non possumus disciplina, sed vix biennio subiectionis iugum ferre contenti, ad præsumptionem noxiæ libertatis protinus euolamus, cum tamen ipso illo paruo tempore non secundum illam districtionis regulam, sed pro nostri arbitrij libertate vtcumque senioris subijciamur imperio, vt nõ patientiæ fructum edisceremus, sed tempus adipiscendæ licẽtiæ expectare videamur. Hunc igitur senem cum in abbatis Pauli cœnobio vidissemus, ætatem primum, & gratiam viri, qua erat præditus admirati, demisso in terram vultu precari cœpimus, vt nobis pandere dignaretur, quam ob causam relicta eremi libertate, & illa professione sublimi, qua eũ præ ceteris eiusdem vitæ viris fama celeberrima commendabat, subire iugum cœnobij maluisset. Ille velut imparem se anachoreticæ disciplinæ, & sublimitate tantæ perfectionis indignum, ad iuniorum scholas reuertisse dicebat, si tamẽ vel ipsorum instituta secundum professionis meritum posset implere. Cuius responsionis humilitatẽ cum refragatio nostræ deprecationis excluderet, ad extremum ita exorsus est.

*Responsio abbatis Ioannis cur eremum reliquisset. Cap. III.*

ANachoreticam disciplinam, quam me deseruisse miramini, non solum nõ respuo nec refuto, sed tota potius

Universidad de Deusto
Biblioteca



veneratione complector atque suscipio. In qua post triginta annos, quos in cœnobij congregatione transegeram, ita alios viginti explesse me gaudeo, vt inter illos, qui eam vel mediocriter appetebant, nó vsquequaque segnitiæ denotarer. Sed quia degustata eius puritas solicitudine interdum carnalium rerum interpolata sordebat, recurrere ad cœnobium commodius visum est, vt & promptior arrepti planioris propositi cõsummatio sequeretur, & minus de præsumptæ sublimioris professionis difficultate periculum. Melius enim est deuotum in minoribus, quàm indeuotum in maioribus professionibus inueniri. Et idcirco si quid elatius, immo liberius fortasse protulero, quæso vt non iactantiæ vitio, sed ædificationis vestræ depromptum studio censeatis, quia vobis tam studiose quærentibus, nihil de veritate existimo subtrahendum. Arbitror enim instructionis vobis aliquid posse conferri, si paulisper humilitate sepositа, simpliciter omnem propositi mei patefecero veritatem. Confido enim, quia nec apud vos de libertate dictorum cenodoxiæ notam, neque apud conscientiam meam de suppressione veritatis quoddam mendacij crimen incurram.

*De virtute prædicti senis, quam in anachoretica exercuit disciplina. Cap. IV.*

SI quis igitur alius secretis eremi delectatus, obliuioni tradere potuit humana consortia, ac secundum Hieremiam dicere: Et diem hominis non desideraui, tu scis; ego quoque id Domino sua gratia largiente vel assecutum, vel certe assequi adnisum fuisse me fateor. Itaque pro Domini nostri munere memini me in huiusmodi raptum frequenter excessium, vt obliuiscerer me sarcina corporeæ fragilitatis indutum, mentemq. meam ita omnes exteriores sensus subito respuisse, & a cunctis materialibus rebus omnimodis exulasse, vt neque oculi neque aures meæ proprio fungerentur officio; & ita diuinis meditationibus ac spiritalibus theorijs animus replebatur, vt sæpe ad vesperam cibum me percepisse nescirem, ac sequenti die de hesterna absolutione ieiunij penitus dubitarem. Ob quam etiam causam septem dierum cibus, hoc est, septem paxamaciorum paria sequestratum in procherio, id est amanuensi sporta, die sabbati reponuntur, vt refectio prætermissa non lateat. Qua consuetudine, illius quoque obliuionis error excluditur, *Hier. 17.*



cluditur, vt expletum hebdomadæ cursum, ac solẽnitatem diei ipsius reuolutam, finitus panum indicet numerus, festiuitasq. diei sacræ & cõgregationis solemnitas solitarium latere non possit. Quòd si etiam hunc ordinem ille, quem prædiximus mentis excessus forte turbauerit, nihilominus quotidiani operis modus, dierum numerum signans, arcet errorem. Et vt ceteras eremi virtutes silentio prætermittã, (non est enim nobis de earum numerositate ac multitudine, sed de solitudinis ac cœnobij fine tractandũ) causas potius ob quas illam deserere maluerim, quas etiã vos agnoscere voluistis, breuiter explicabo, omnesq. illos quos memoraui solitudinis fructus, quibus e diuerso sublimioribus meritis duxerim postponẽdos, breui oratione perstringam.

*De commodis eremi. Cap. V.*

QVamdiu igitur raritas eorum, qui in eremo tunc temporis morabantur, libertatem nobis largiendo, diffusiore solitudinis vastitate blandita est, & quamdiu maioribus remoti secretis frequentissime ad cælestes illos rapiebamur excessus, nec tanta visitantium fratrum irruẽs multitudo, parãdæ humanitatis necessitate, sensus nostros ingentium curarum distentionibus aggrauabat, solitudinis plane tranquilla secreta, & illam conuersationem angelicæ beatitudini comparandam, insatiabili desiderio ac toto animi ardore sectatus sum. Sed cũ maior (vt dixi) numerus fratrum, habitationẽ illius solitudinis cœpisset expetere, & coangustata vastioris eremi libertate, non modo ignem illum diuinæ contemplationis frigere fecisset, sed etiam multimodis mentem carnalium rerum vinculis impediret, elegi huius disciplinæ vtcumque implere propositum, quàm in illa tam sublimi professione carnalium necessitatum prouisione torpere, vt si mihi illa libertas ac spiritales alacritas denegantur, abiecta tamen penitus diei crastinæ solicitudine, euangelici me præcepti consummatio consoletur, & id quod mihi de illa theoretica sublimitate subtrahitur, hac obedientiæ subiectione pensetur. Miserum namque est cuiuslibet artis ac studij disciplinã quempiam profiteri, & ad perfectionem eius minime peruenire. *Matth. 6.*

*De vtilitate cœnobij. Cap. VI.*

QVamobrem quantis nunc in hac conuersatione perfruar commodis, breuiter explicabo; vos vtrum illa solitudinis luera his beneficijs valeant compensari,

digesta narratione perpendite, per quam etiam hoc probare possibile est, vtrum fastidio an desiderio illius solitariæ puritatis his maluerim cœnobij angustijs coartari. In hac igitur conuersatione diurni operis nulla prouisio, venditionis, vel coemptionis nulla distentio, non annui panis ineuitabilis cura, non solicitudo corporalium rerum, qua non tantum proprijs, verumetiam multotũ aduenientium vsibus necessaria præparantur, postremo nulla arrogantia laudis humanæ, quæ immundior his omnibus in conspectu Dei, etiam magnos eremi labores frequẽter euacuat. Verum vt in illa anachoretica disciplina illos elationum spiritalium fluctus & exitiabilis cenodoxiæ pericla præteream, ad hoc generale cunctorum pondus, id est, cõmunem parandi victus solicitudinem reuertamur, quæ eo vsque mensuram nõ dico illius antiquæ districtionis excessit, quæ vsum olei penitus nesciebat, sed ne hac quidem nostri temporis remissione cœpit esse contenta, in qua vno olei sextario, itidemq. lenticulæ modio aduenientium vsibus præparato, totius annuæ refectionis explebantur officia, ita vt duplicato nunc, ac triplicato modio necessitas victualis vix queat expediri. Et in tantum apud nonnullos vis noxiæ huius remissionis increuit, vt aceto muriaq. permixtis, non illam vnam olei admisceant guttam, quam prædecessores nostri, qui eremi instituta maiore abstinentiæ virtute sectati sunt, repellendæ tantum cenodoxiæ gratia instillare consuerant, sed infringentes Ægyptiacum pro salibus caseum, plus olei quàm necesse est superfundant, & ita duos cibos propria suauitate distinctos, qui singillatim diuersoq. tempore monachum reficere iucundissime potuissent, sub vnius saporis oblectatione percipiant. In tantum sane hæc κτῆσις, id est, materialium rerum possessio supercreuit, vt sagum quoque (quod absque verecundia referre non possum) sub obtentu humanitatis ac susceptionis huius, anachoretæ in suis habere cellulis cœperint; vt illa prætermittam, quibus attonita anima, ac spiritalibus theorijs semper intenta, specialius ingrauatur, concursus scilicet fratrũ, susceptionis quoque ac deductionis officia, mutuas visitationes, diuersarumq. confabulationum, atque occupationum interminabilem curam; quarum etiã illo tempore, quo hæc videntur impedimenta cessare, tamen animũ consuetudinariæ inquietudinis assiduitate suspensum, expe-



expectatio ipsa distendit. Atque ita fit, vt anachoreseos illa libertas huiusce modi nexibus impedita, ad illam ineffabilem cordis alacritatem præpedito non perueniat ascensu, ac fructum eremiticæ professionis amittat. Qui si mihi in congregatione nunc atque in turbis sito fuerit denegatus, saltem quies animæ cordisq. tranquillitas omnibus occupationibus absoluta nõ deerit. Quæ nisi illis quoque qui in solitudine commorantur præsto fuerit, labores quidem anachoreseos sustinebunt, fructu vero ipsius fraudabuntur, qui non nisi quieta mentis stabilitate conquiritur. Postremo etiam si mihi in cœnobio constituto ab illa puritate cordis aliquid fuerit imminutum, ero solius euangelici præcepti compensatione contentus, quod certum est omnibus illis eremi fructibus non posse postponi, vt scilicet de crastino nihil cogitem, & vsque ad finem subiectus abbati, illum aliquatenus videar æmulari de quo dicitur: Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortẽ; merearq. illius verbis humiliter dicere: Quia non veni facere voluntatẽ meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris. *Matt. 6. Philip. 2. Ioan. 6.*

*Interrogatio de cœnobij vel solitudinis fructu.*

GERMANVS. *Cap. VII.*

QVia te vtriusque professionis non quemadmodũ multos principia tantum modo contigisse, sed ipsa fastigia conscendisse manifestum est, quisnam cœnobitæ, quis eremitæ sit finis optamus agnoscere. Nulli namque dubium est neminem de his vel fidelius posse vel plenius disputare, quàm illum qui vtramque perfectionem longo vsu & magistra experientia consecutus, meritum earum ac finem veridica potest insinuare doctrina.

IOANNES. *Respõsio sup interrogatione apposita. Cap. VIII.*

VNum eundemq. hominem in vtraque professione perfectum esse nõ posse absolute pronunciare potuissem, nisi me paucorum admodum retardaret exemplum. Magnum siquidem est in qualibet earũ consummatum quempiam reperiri, quo magis ad plenũ vtramque perficere, arduum ac pene, vt ita dixerim, homini impossibile esse perspicuum est. Quod tamen si quando prouenerit, non statim ad generalem formulam potest referri. Non enim a parte minima, id est, de consideratione paucorum, sed de his, quæ multorum, immo omnium subiacent facultati, vniuersalis est regula proponenda. Si qua vero rarissime

atque a pauciſſimis obtinentur, ac poſſibilitatem communis virtutis excedunt, velut ſupra condicionem humanæ fragilitatis naturamq. conceſſa, a præceptis ſunt generalibus ſequeſtranda, nec tam pro exemplo quàm pro miraculo proferenda. Quamobrem id, quod inquiritis ſecundum mediocritatem ſenſus mei breuiter intimabo. Finis quidē cœnobitæ eſt, omnes ſuas mortificare & crucifigere voluntates, ac ſecundum euangelicæ perfectionis ſalutare
*Matth.6.* mandatum, nihil de craſtino cogitare. Quam perfectionē prorſus a nemine niſi a cœnobita impleri poſſe certiſſimū eſt. Quem virum Eſaias propheta deſcribens ita beatificat
*Eſai. 58.* atque collaudat: Si auerteris a ſabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt loquaris ſermonem, tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum eſt. Eremitæ vero perfectio eſt, exutam mentem a cunctis habere terrenis, eamq. quantum humana imbecillitas ſinit, vnire cū
*Thren. 3.* Chriſto. Quem virum Hieremias propheta deſcribēs: Beatus, inquit, vir qui tulit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Pſalmiſta
*Pſal.101.* quoque: Similis factus ſum pelicano ſolitudinis. Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Ad hunc igitur finem, quem vniuſcuiuſque profeſſionis eſſe prædiximus, niſi eorum vterque peruenerit, fruſtra & ille cœnobij, & iſte anachoreſeos expetijt diſciplinam. Neuter enim virtutem ſuæ profeſſionis impleuit.

*De conſummata ac vera perfectione. Cap. IX.*

SEd hoc μερικῶς, id eſt, non integra & in omnibus conſummata perfectio, ſed pars perfectionis eſt. Rara eſt ergo & pauciſſimis dono Dei conceſſa perfectio. Is etenim vere & non ex parte perfectus eſt, qui & in eremo ſqualorem ſolitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrū æquali magnanimitate ſuſtētat. Et ideo in vtraque profeſſione per omnia conſummatum inuenire difficile eſt, quia nec anachoreta ἀκτημοσυνῶν, ideſt, contemptū ac priuationē materialium rerum, nec cœnobita theoreticam ad integrum poteſt aſſequi puritatem, licet vtrumque perfecte abbatem Moſen, atque Paphnutiū, duosq. Macarios nouerim poſſediſſe. Qui ita erant in vtraque profeſſione perfecti, vt cum

vltra



vltra omnes eremi accolas ſecedentes, inſatiabiliter ſecreto ſolitudinis paſcerentur, quantumq. in ipſis erat, nequaquam inquirerent humana conſortia, tamen ita frequentiā ac fragilitates ad ſe concurrentium ſuſtinebant, vt cum ad eos viſitationis vel profectus gratia innumera fratrū multitudo conflueret, tam iugem pene ſuſceptionis inquietudinem immobili patientia tolerantes, nihil aliud vel didiciſſe vel exercuiſſe omni vitæ ſuæ tempore crederentur, quàm vt communibus tantum aduenientium officijs deſeruirent, ita vt apud cunctos eſſet ambiguum, in qua potiſſimum profeſſione eorundem maior eſſet induſtria: id eſt, vtrum in illa eremitica puritate, an in iſta conuerſatione communi, magnanimitas eorum mirabilius aptaretur.

*De his qui imperfecti eremum petunt. Cap. X.*

SOlent autem nonnulli ita diuturno ſilentio ſolitudinis efferari, vt prorſus hominū conſortia perhorreſcant, & cum vel paululum a ſecreti ſui conſuetudine, interuenientе fratrum viſitatione, diſceſſerint, notabili mentis angore & euidentibus puſillanimitatis indicijs æſtuare. Quod vel maxime his euenire conſueuit, qui non perfecte in cœnobijs inſtituti, nec excoctis prioribus vitijs ad ſolitariam ſe vitam immaturo deſiderio tranſtulerunt. Qui in vtramque partē imperfecti ſemper ac fragiles, quocunque aura commotionis impulerit, inclinantur. Nam quemadmodum conſortio vel interpellatione fratrum impatienter exæſtuant, ita in ſolitudine conſiſtentes eius ipſius, quod expetunt, ſilentij vaſtitatem nō ferunt, quippe qui ne ipſam quidem rationem norunt, cuius cauſa deſiderari vel expeti debeat ſolitudo; ſed hanc eſſe virtutis ac profeſſionis huius æſtimant ſummam, vt fratrum conſortia declinantes, humanos tantummodo refugiant ac deteſtentur aſpectus.

*Interrogatio de remedio eorum, qui cito de cœnobij congrega-*
GERMANVS. *tione diſcedunt. Cap. XI.*

QVo ergo vel nobis vel ceteris, qui eiuſdē fragilitatis atque mēſurę ſunt remedio poterit ſubueniri, qui cœnobialibus diſciplinis tenuiter inſtituti, ante expulſionē omnium vitiorum, habitationem ſolitudinis cœpimus affectare? vel quo pacto imperturbatæ mentis cōſtantiam, & immobilem patientiæ poterimus apprehendere firmitatē, qui ipſas quodammodo ſcholas & exercitationis huius palæſtram, in qua ad plenum eruditi ac perfici principia noſtra

ſtra debuerant, intempeſtiue intermiſſa cœnobij congregatione reliquimus? Qualiter ergo nunc ſolitarie commorantes, perfectionem longanimitatis ac patientiæ conſequemur, vel quemadmodum has ſibi ineſſe vel deeſſe virtutes exploratrix internorum motuum conſcientia deprehendet, ne forte quia ab hominum conſortio ſegregati, nullis eorundem irritationibus prouocamur, falſa æſtimatione decepti, tranquillitatem mentis nos immobilem poſſidere credamus?

*Reſponſio. quomodo ſolitarius vitia ſua poſſit agnoſcere.*

IOANNES. *Cap. XII.*

IN veritate quærentibus medicinam, remedia curationũ ab illo veriſſimo animarum medico deeſſe non poſſunt, his præſertim, qui valitudines ſuas non deſperando aut negligendo contempſerint, nec vulnerum ſuorum pericla celauerint, aut medelam pœnitentiæ procaci mente reſpuerint, ſed pro languoribus ignorantia vel errore vel neceſſitate contractis, humili & tandem cauta ad medicum cæleſtem mente confugerint. Ideoq. noſſe debemus, quòd ſi ad ſolitudinem vel ad abdita loca nondum curatis vitijs ſecedamus, effectus eorum tantummodo reprimatur, nõ extinguatur affectus. Latitat enim intra nos, immo etiam ſerpit radix omnium, quę extirpata nõ fuerit, peccatorum, quam adhuc in nobis viuere his deprehendemus indicijs. Verbi gratia: Cum in ſolitudine conſtituti, aduentum fratrum vel breuiſſimam eorum moram cum quadam æſtuantis animi anxietate ſuſcipimus, ineſſe adhuc in nobis viuaciſſimum impatientiæ fomitem nouerimus. Cum vero cuiuſquã fratris ſperamus aduentum, ſi eo pro neceſſitate aliqua paulũ forſitan demorante vel tacita indignatio nimiam eius culpauerit tarditatem, & mentem noſtram immodicæ expectationis ſolicitudo turbarit, irę atque triſtitię manifeſte in nobis vitia reſidere conſcientiæ noſtræ probauit examen. Item ſi fratre vel codicem ad legendum, vel quamlibet aliã ad vtendum ſpeciem poſtulante, aut nos illius petitio contriſtarit, aut illum negatio noſtra repulerit, dubium non eſt nos adhuc auaritiæ ſeu philargyriæ laqueis compediri. Quòd ſi recordationem feminæ nobis vel cogitatio ſubita vel ſacræ ſeries lectionis attulerit, & in ea quadam nos ſenſerimus titillatione pulſatos, ſciamus necdum extinctũ in membris noſtris fornicationis ardorem. Si vero de comparatione



ratione diſtrictionis noſtræ & remiſſionis alienæ vel tenuiſſima mentem noſtram tentarit elatio, certum eſt dira nos ſuperbiæ peſte corruptos. Cum hæc ergo in corde noſtro vitiorum deprehenderimus indicia, manifeſte cognoſcamus nobis non affectum, ſed effectum deeſſe peccati. Quæ vtique paſſiones ſi nos quandoque conuerſationi miſcuerimus humanæ, protinus de cauernis noſtrorum ſenſuum procedentes, probant ſe non tunc primum cum eruperint naſci, ſed tunc demum quum diu latuerint publicari. Et ita vniuſcuiuſque vitij radices in ſe eſſe defixas certis indicijs etiam ſolitarius deprehendet, quiſque puritatem ſuam non hominibus oſtentare, ſed illius conſpectui inuiolatam ſtuduerit exhibere, quem latere omnia cordis arcana non poſſunt.

*Interrogatio quomodo ſanari poſſit, qui non expurgatis vitijs ſolitudinem ſit ingreſſus. Cap. XIII.*

GERMANVS.

ARgumenta quibus infirmitatum indicia colligantur, & rationem diſcernendarum ægritudinum, id eſt, quo pacto vitia, quæ celantur in nobis valeant deprehendi, lucide ſatis aperteq. percepimus. Omnia ſiquidem quotidiana experientia ac diuturnis cogitationum noſtrarum motibus, ita vt dicta ſunt, intuemur. Supereſt igitur vt quemadmodum probationes cauſæq. morborum euidentiſſima nobis ratione ſunt patefactæ, ita etiam curationum medela monſtretur. Nulli namque dubium eſt, illum poſſe rectiſſime de remedijs malarum valitudinum diſputare, qui earũ prius cauſas atque origenes ægrotantium cõſcientia atteſtante deprehenderit. Itaque licet doctrina beatitudinis tuæ vulnerum noſtrorum arcana nudauerit, quo fit vt ſperare aliquid etiam de remedijs audeamus, quia tam euidens declaratio morbi ſpem remedij pollicetur; tamẽ quia primum, vt ais, in congregationibus initium ſalutis acquiritur, & ſani in ſolitudine eſſe non poſſunt, niſi quos prius cœnobiorum medicina ſanarit, pernicioſa rurſum deſperatione concidimus, ne forte qui imperfecti cœnobium reliquimus, nequaquã iam in eremo perfecti eſſe valeamus.

*Reſponſio ſuper eorũ medicina. Cap. XIV.*

IOANNES.

DE morborum ſuorũ curatione ſolicitis remedium ſalutare deeſſe non poterit, & idcirco eodem modo quo vniuſcuiuſque vitij deprehenduntur indicia, etiã remedia ſunt quærenda. Nam quemadmodũ ſolitarijs humanę conuerſa-

Universidad de Deusto
Biblioteca



uersationis vitia diximus non deesse, ita virtutum studia & instrumenta sanitatum, omnibus etiam ab humana conuersatione discretis posse suppetere non negamus. Cum se igitur impatientiæ siue iræ perturbationibus incursari, illis quæ supra ostendimus indicijs vnusquisque deprehenderit, contrarijs semetipsum obiectionibus semper exerceat, & propositis sibi multimodis iniuriarum dispendiorumq. generibus velut ab alio sibimet irrogatis, assuefaciat mentem suam omnibus, quæ inferre improbitas potest, perfecta humilitate succumbere, atque aspera sibi quæque & intolerabilia frequenter opponēs, quanta eis occurrere debeat lenitate omni iugiter cordis contritione meditetur. Et ita respiciens ad illas sanctorum omnium siue ipsius Domini passiones, vniuersa non solum conuiciorum, sed etiam pœnarum genera, inferiora meritis suis esse pronuncians, ad omnem se dolorum tolerantiā præparabit. Cumq. aliquando ad cœtus fratrum aliqua fuerit inuitatione reuocatus (quod non potest non vel raro etiam districtissimis eremi accolis prouenire) si mentem suam etiam pro leuibus quibusque rebus deprehenderit tacite fuisse cōmotam, vt quidam occultorum motuum seuerissimus censor, mox sibi illa durissima iniuriarum genera, quibus ad perfectam tolerantiam semetipsum quotidianis exercebat meditationibus, exprobret, atque ita se obiurgans & increpans alloquatur: Tu ne ille es bone vir, qui te dum in illa solitudinis tuæ exerceres palæstra, omnia superaturum mala constantissime præsumebas, qui dum tibi nō solum summas conuiciorum acerbitates, verum etiam intoleranda supplicia ipse proponeres, satis validum atque ad omnes procellas immobilem te credebas? Quomodo inuicta illa patientia tua leuissimi verbi prolusione confossa est? Quomodo domum tuam super illam solidissimā petram tanta, vt tibi videbatur, mole cōstructam, leuis aura commouit? Vbi est illud, quod inani
*Psal.118.* fiducia bellum in pace desiderans proclamabas: Paratus sum & non sum turbatus? Et cum Propheta sæpe dixisti:
*Psal.25.* Proba me Domine & tenta me, vre renes meos & cor meū.
*Psal.138* Et: Proba me Domine, & scito cor meum; interroga me, & cognosce semitas meas; & vide si via iniquitatis in me est? Quomodo ingentem certaminis apparatum exigua hostis vmbra conterruit? Tali ergo semetipsum compunctionis animaduersione condemnans, inultam animi sui commotiun-



tiunculam esse non sinat, sed artiore carnem suam ieiunij ac vigiliarum correptione castigans, ac ingibus continentiæ pœnis culpam suæ mobilitatis excrucians, id quod ad plenum excoquere in cœnobij conuersatione debuerat, in solitudine constitutus hoc exercitationis igne consumat. Illud sane ad obtinendam iugem ac stabilem patientiam cōstanter atque immobiliter est tenendum, non licere nobis, quibus lege diuina nō solū vltio iniuriarum, sed etiam me- *Leu.19.*
moria prohibetur, cuiuslibet detrimēti vel irritationis obtentu ad iracūdiam cōmoueri. Quod enim animæ grauius potest euenire dispendiū, quàm vt per commotionis subitā cæcitatem veri atque ęterni luminis claritate priuata, ab illius, qui mitis & humilis corde est, contemplatione discedat? Quid ergo perniciosius, quidve deformius, quā vt quis honestatis iudicium & regulam ac disciplinā rectæ discretionis amittat, & ea sanus ac sobrius perpetret, quæ nec temulentus quidem quis ac sensu indigens veniabiliter admisisset? Hæc ergo & his similia detrimenta quisq. perpenderit, non solum vniuersa damnorū genera, sed etiam iniuriarum atque pœnarū quæcumque possunt a crudelissimis irrogari, facili sustentatione despiciet, nihil dispendiosius iracundia, nec pretiosius tranquillitate animi, ac perpetua cordis sui iudicans puritate. Ob quam non solum carnalium, sed etiam illarum, quæ spiritales videtur rerum sperenda sunt commoda, si aliàs acquiri vel perfici, nisi cum huius tranquillitatis perturbatione non possunt. *Matt.11.*

*Interrogatio, an ita castitas sicut & cetera passiones debeat explorari. Cap. XV.*

GERMANVS.

Sicut ceterorum vulnerum, id est, iræ, tristitiæ, impatientiæ, per obiectionem contrariarum rerum medela monstrata est, ita etiam contra spiritum fornicationis quod curationis genus nos oporteat adhibere, volumus edoceri; id est, vtrum etiam concupiscentiæ ignis propositis, sicut illic, maioribus irritationū augmentis possit extingui; quod satis castitati credimus esse contrarium, si non solum libidinis incentiua exaggerentur in nobis, sed vel prætereunte mentis oculo perstringantur.

*Responsio, quibus documentis possit agnosci.*

IOANNES. *Cap. XVI.*

Quæstionem quę eriam tacentibus vobis narrationem nostram fuerat secutura, sagax interrogatio vestra præ-

præuenit, & idcirco efficaciter eam sensibus vestris concipiendam esse non ambigo, quandoquidem institutionem nostram acumen vestri præcessit ingenij. Sine labore enim cuiuslibet quæstionis dilucidatur obscuritas, cum absolutionem eius anticipans inquisitio, quo ducenda est, antecedit. Itaque remedijs quidem illorum, quæ supra diximus vitiorum, nō solum nihil officiunt, verum etiam multū conferunt humana consortia. Nam frequentia impatiētiæ suæ crebrius patefacta, quanto magis assiduum superatis dolorem compunctionis intulerint, tanto velociorem laborantibus conferunt sanitatem. Ob quod etiam in solitudine consistentes, cum irritationum fomes atque materia ab hominibus non possit exurgere, tamen earundem incitamenta debemus etiam de industria retractare, vt aduersus ea iugi cogitationum colluctatione pugnantibus nobis medela promptior conferatur. Contra fornicationis vero spiritum diuersa ratio, & dispar est causa. Nam quemadmodum corpori vsus libidinis carnisq. vicinia, ita etiam menti memoria eius est penitus subtrahenda. Satis enim pernicioſum est adhuc infirmis ægrisq. pectoribus, vel tenuissimam recordationem huius passionis admittere, ita vt nonnumquā eis, etiam sub recordatione sanctarum feminarum, vel sub sacræ lectionis historia, noxiæ titillationis stimulus excitetur. Cuius causa seniores nostri huiuscemodi lectiones sub præsentia iuniorum solent consultissime præterire. Sane perfectissimis quibusque & summo iam affectu castimoniq consummatis, probationes quibus examinare se valeāt desse non possunt, quibus perfectissima cordis integritas incorrupto conscientiæ iudicio comprobetur. Erit ergo consummatissimo viro similis etiam super hac passione probatio, vt qui se radices morbi huius iam penitus extirpasse cognouerit, explorandæ si volet gratia castitatis interdum etiam aliquam exploratricem sui imaginationē possit admittere. Ceterum ab his, qui adhuc infirmi sunt, hanc examinationem nullatenus conuenit vsurpari, vt coniunctionem femineam, & palpationē quodam modo teneram atque mollem corde pertractent; erit enim eis magis noxia quàm salubris. Quod enim experimentū huiuscemodi hominibus potest in hac ratione suppetere, vbi & in experimento ipsum est, quod vitatur, & in ipsa exploratione discrimen? Cum ergo perfectissima quis virtute fundatus, ad illece-



illecebram blandientium cogitationum, nullum mentis assensum, nullam commotionem carnis in se deprehenderit excitari, certissima puritatis suæ capiet documenta, ita vt ad hāc se firmitatem puritatis exercens, castitatis atque incorruptionis bonum non solum mente possideat, sed etiam si corporalem feminæ attactum causa cuiuscumque, vt solet, necessitatis attulerit, penitus sensum passionis ignoret. Hoc abbas Ioannes, cum horæ nonæ refectionem imminere sensisset, collationem fine conclusit.

## COLLATIONIS ABBATIS Ioannis, de fine cœnobitæ & eremitæ, Finis.

# COLLATIO XX. QVÆ EST ABBATIS PYNVPHII,

## DE POENITENTIÆ FINE, ET SATISFACTIONIS INDICIO.

*De abbatis Pynuphij humilitate, & eiusdem latebra. Cap. I.*

PRÆCLARI ac singularis viri abbatis Pynuphij de pœnitentiæ fine præcepta dicturus, magnam materiæ partem mihi videor amputare, si humilitatis eius laudem, quam in quarto institutionum libro, qui est super instituendis renuntiantibus titulatus, breui sermone perstrinxi, lectoris fastidio consulens, hic silentio prętermittā, cum pręsertim multi illius opusculi notitiā non habentes in hāc possint incurrere lectionē, & omnis dictorū vacillet auctoritas, si dicētis meritū subtrahatur. Hic siquidē cum haud longe a Panephysi, Ægypti, vt illic dictum est, ciuitate, abbas & presbyter ingenti

*Lib. 4. cap. 30.*

ingenti cœnobio præsideret, tantumq. eum in omni illâ prouincia virtutum suarũ atque signorum gloria sublimasset, vt sibi iam videretur retributione laudis humanæ suorum laborum recepisse mercedem, timens ne sibi specialiter inuisa popularis fauoris inanitas, fructum præmij vacuaret æterni, occulte monasterium suum fugiens, ad intima Tabennensium monachorum secreta contendit, vbi non eremi solitudinem, nõ singularis vitę †libertatem, quâ etiam imperfecti quique laborem obedientiæ in cœnobijs non ferentes, superba nonnunquam præsumptione sectantur, sed celeberrimo præelegit cœnobio subiugari. Vbi tamen ne vllo habitus sui proderetur indicio, vestem sæcularem indutus, multis, vt illic moris est, diebus lacrymans pro foribus excubauit, atque ad omniũ genua prouolutus, post eorum diuturna fastidia, qui ad eius desiderium explorandum in vltima eum iam ætate velut panis egestate compulsum, non sincere illius propositi sanctitatẽ expetisse dicebant, tandem vt susciperetur obtinuit. Vbi adolescenti cuidam fratri, qui hortum susceperat excolendum, in administriculum deputatus, cum non solum omnia, quæ idem præpositus imperasset, vel quæ iniuncti operis cura poscebat, cum admiratione tam sanctæ humilitatis impleret, verum etiam quædam necessaria opera, quæ propter horrorem sui a ceteris vitabantur, ita furtiuo per noctem labore perficeret, vt diluculo omnis cõgregatio tam vtilium operum admirans ignoraret auctorem. Cumq. ita triennium ferme illic, gaudens desideratis tam iniurioſæ subiectionis laboribus, exegisset, accidit vt quidam frater eidem cognitus ex illis vnde ille discesserat Ægypti partibus adueniret. Qui cum de indumentorũ eius atque officij vilitate promptissimæ agnitionis facilitatem diu hæsitans cohiberet, post explorationem manifestissimam ad eius genua prouolutus, primum stuporem fratribus cunctis, dehinc prodito etiam nomine, quod apud illos quoque præcipue sanctitatis fama vulgauerat, dolorem etiam compunctionis incussit, quòd scilicet tanti meriti ac sacerdotij virum tam iniurioſis operibus deputassent. Sed postquam flens vbertim, & diabolicæ inuidiæ quasi grauem proditionis suę imputans casum, ad monasterium suum honorifica fratrum custodia ambiẽte perductus est, exiguo illic tempore demoratus, rursus offensus ipsis honoris sui ac primatus obsequijs, furtim ascen-

*al. securitatem.*



ascendens nauem, ad Palæstinam Syriæ prouinciam transmeauit, vbi velut incipiẽs atque nouitius in illo in quo nos degebamus monasterio receptus, in nostra cella ab abbate præceptus est commanere. Sed nec illic quidem diu virtutes eius ac merita latuerunt. nam simili proditione detectus atque ad monasteriũ suum cũ ingenti laude ac honorificentia reuocatus, tandem quod erat esse compulsus est.

*De aduentu nostro ad abbatem Pynuphium. Cap. II.*

CVm igitur post non longum tempus nos quoque Ægyptum petere sanctæ institutionis desiderium compulisset, summo eum affectu ac desiderio perquirentes, tanta eius sumus gratia atque humanitate suscepti, vt nos tamquam pristinos syncellitas etiam cellę suę, quam in extrema horti parte constructam honoraret hospitio. Vbi cũ satis ardua atque prę celsa, cuidam fratri monasterij regulam subeũti, coram omnibus in synaxi fratribus tradidisset præcepta (quæ in quarto, vt prædiximus, institutionum libro, quanta potui breuitate complexus sum) tam incomprehensibilia nobis tamque mirifica veræ abrenũtiationis culmina videbantur, vt nullo modo illuc humilitatem nostram crederemus posse conscendere. Igitur desperatione deiecti, & ipso etiam vultu intimam cogitationum amaritudinem non celantes, ad beatum senem satis anxia mente recurrimus, Cui protinus causam tantę mæstitudinis inquirenti, abbas Germanus grauiter ingemiscens, ita respondit.

*Libr. 4. & cap. 32.*

*Interrogatio de pœnitentiæ fine, & satisfactionis indicio. Cap. III.*

QVanto magnificentior atque sublimior incognitæ nobis sermo doctrinę, iter arduũ prę celsissimę renũtiationis aperuit, & quasi remota oculorum nostrorũ caligine conditum cælo culmen eius ostendit, tanto maiore desperationis mole deprimimur. Immensitatem siquidẽ eius cum exiguitate virium nostrarum metientes, & nimiã abiectionem ignauiæ nostræ, cum infinita virtutis ostensæ celsitudine conferentes, parnitatem nostram non solum ad illa non posse proficere, verum etiam ab eo quod est deficere posse sentimus. Nam ponderibus nimiæ desperationis oppressi, quodammodo de infimis ad inferiora prolabimur. Vnum proinde ac singulare præsidium medelam nostris potest conferre vulneribus, vt de pœnitentię fine, & maxime de satisfactionis indicio aliqua a te discamus, vt

certi de remessione præcedentium delictorum, possimus etiã ad conscendẽda fastigia perfectionis prędictę animari.

*Responsio de humilitate interrogationis nostræ.*

PYNVPHIVS. *Cap. V.*

DElector quidem admodum copiosis humilitatis vestræ fructibus, quos etiam cellulę illius quondam habitatione susceptus nõ incuriosa æstimatione perspexi, valdeq. congaudeo, quia id, quod a nobis omnium Christianorum infimis sola forsan verborũ vbertate præcipitur, tanta admiratione suscipitis, vt cum ea (si non fallor) haud segnius quàm a nobis dicta sunt impleatis, cumq. (sicut memini) industria laboris vestri pene dictorũ nostrorum exequerur instructio, ita meritum vestræ virtutis occulitis, tamquam si nulla ad vos eorum, quę quotidie exercetis aura peruenerit. Sed quia idipsum summa est laude dignissimum, quod velut adhuc rudes incognita vobis esse ista sanctorum instituta testamini, id quod a nobis sedulo postulatis, breuiter vt possumus complectemur. Necesse est enim vt vltra possibilitatem nostrã atque virtutem, antiquæ familiaritatis vestræ pareamus imperio. Itaque de pœnitẽtię exhortatione vel merito multi non solum dictis, verumetiam scriptis plurima vulgauerunt, monstrantes quanta eius vtilitas quanta virtus, quantaq. sit gratia, ita vt Deo præteritis facinoribus nostris offenso, iam iamq. iustissimam pœnam pro tantis criminibus inferenti (si dici fas est) quodammodo obsistat, & quasi inuiti (vt ita dixerim) dextram suspendat vltoris. Verum hæc omnia vobis, vel pro sapientia supernaturali, vel pro indefesso sacrarũ studio litterarũ, ita cognita esse nõ ambigo, vt de his prima plantatio cõuersationis vestræ inoleuerit. Denique nõ de pœnitentiæ qualitate, sed de eius fine, ac satisfactionis indicio soliciti, id quod ab alijs prætermissum est sagacissima interrogatione disquiritis. Quapropter omni breuitate atque compendio propositionis vestræ desiderio satisfacere nitimur.

*De modo pœnitentiæ & indulgentiæ documento. Cap. VI.*

POenitẽtiæ plena & perfecta definitio est, vt peccata pro quibus pœnitudinem gerimus, vel quibus nostra conscientia remordetur, nequaquã vlterius admittamus. Indiciũ vero satisfactionis & indulgẽtię est, affectus quoque eorũ de nostris cordibus expulisse. Nouerit enim vnusquisque necdum se peccatis pristinis absolutum, quamdiu sibi satisfactio-



factioni & gemitibus incubanti, vel illorum quæ egit, vel similium criminũ ante oculos imago pręluserit, eorumq. non dicam oblectatio, sed vel recordatio infestauerit mentis arcana. Itaque tũc se is, qui pro satisfactione peruigilat, a criminibus absolutũ, ac de præteritis admissis veniã percepisse cognoscat, cũ nequaquam cor suũ eorundem vitiorũ illecebris senserit vel imaginatione pestringi. Quamobrem verissimus quidã examinator pœnitẽtiæ & indulgentiæ iudex in conscientia residet nostra, qui absolutionem reatus nostri ante cognitionis & iudicij diem adhuc nobis in hac carne cõmorãtibus detegit, & satisfactionis finẽ ac remissionis gratiã pandit. Et vt hæc eadẽ quæ dicta sunt significantius exprimãtur, tũ demum pręterita nobis vitiorũ cõtagia remissa esse credẽda sunt, cũ fuerint de corde nostro præsentiũ voluptatũ desideria pariter passionesq. depulsæ.

*Interrogatio an reminiscenda sint pro cordis compunctione peccata. Cap. VI.*

GERMANVS.

ET vnde nobis gigni poterit humiliationis illa sancta salutarisq. compunctio, quæ ex persona pœnitẽtis ita describitur. Peccatum meum cognitũ tibi feci: & iniustitiam meã non operui; dixi, pronũtiabo aduersum me iniustitiam meã Domino? vt illud quoque quod sequitur efficaciter dicere mereamur: Et tu remisisti impietatem cordis mei? Vel quẽadmodum in oratione prostrati, nosmetipsos ad cõfessionis lacrymas valebimus excitare, per quas delictorũ veniam consequi mereamur, secundũ illud: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo; si peccatorum nostrorũ memoriã de nostris cordibus extrudamus, quã iubemur ecõtrario tenaciter custodire, dicẽte Domino: Et iniquitatũ tuarũ non recordabor, tu vero memento? Ob quã rem non solum operãs, verum etiã orans ad peccatorum meorum recordationem mentem meam etiã de industria reuocare contendo, vt ad humilitatem veram & contritionem cordis efficacius inclinatus, audeam dicere cum Propheta: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.

*Psal. 31.* *Ibid.* *Psal. 6.* *Esai. 43. sec. lxx.* *Psal. 24.*

*Responsio, quousque anteriorum actuum recordatio sit habenda. Cap. VII.*

PYNVPHIVS.

INterrogatio vestra, vt supra iam dictum est, non de pœnitentię qualitate, sed de eius fine proposita est, & de satisfactionis indicio, ad quam congrue (vt arbitror) conseque-

sequenterq. responsum est. Ceterum hoc quod de peccatorum recordatione dixistis, vtile satis ac necessarium est, sed adhuc agentibus pœnitentiam, vt cum iugi pectoris sui
*Psal.50.* contusione proclament: Quoniam iniquitatem meam ego
*Psal. 37.* agnosco, & peccatum meum contra me est semper. Illud etiam: & cogitabo pro peccato meo. Dum ergo agimus pœnitentiam, & adhuc vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est vt ignem conscientiæ nostræ obortus ex confessione culpæ lacrymarum imber extinguat. Cum vero cuiquam in hac humilitate cordis, & spiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti, horum fuerit recordatio consopita, & conscientiæ spina de medullis animę gratia Dei miserantis euulsa, certum est eum ad satisfactionis finem atque indulgentię merita peruenisse, & ab vniuersorum criminum labe purgatum. Ad quam tamen obliuionem non aliàs peruenitur, nisi per obliterationē vitiorum atque affectuū pristinorum, & perfectam cordis atque integram puritatem; quam sine dubio nullus eorū qui per ignauiam siue cōtemptum vitia sua purgare neglexerit, assequetur, nisi qui gemitus atque suspiria mæsta iugitate continuans, omnem sordium pristinarum excoxerit labem; & virtute animi atque opere proclamarit ad Deū: Delictum meum cognitum tibi feci, & in-
*Psal.31.* iustitiam meam non operui. &: Fuerūt mihi lacrymæ meæ
*Psal. 41.* panes die ac nocte; vt consequenter mereatur audire: Quie-
*Huere. 31* scat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Illud quoque similiter ad eum
*Esai. 44.* voce Domini dirigatur: Deleui vt nubē iniquitates tuas, &
*Esai. 43.* quasi nebulam peccata tua. & iterum: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuo-
*Prou. 5.* rum iam non recordabor; & ita funiculis peccatorum suo-
*sec. lxx.* rum quibus vnusquisque constringitur, absolutus, Domino
*Psal.115.* cum omni gratiarum actione cantabit: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

### *De diuersis pœnitentiæ fructibus. Cap. VIII.*

POST illam namque generalem baptismi gratiam, & illud pretiosissimū martyrij donū quod sanguinis ablutione conquiritur, multi sunt pœnitentię fructus, per quos ad expiationem criminum peruenitur. Non enim tantum simplici illo pœnitentiæ nomine salus ęterna promittitur, de qua



de qua beatus Apostolus Petrus: Pœnitemini, inquit, & *Act. 3.*
conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Et Ioānes Baptista, vel ipse Dominus: Pœnitentiam agite, appropinquabit *Matth.3.*
enim regnum cęlorum: sed etiam per charitatis affectum peccatorum moles obruitur: Charitas enim operit multitu- *1.Petr. 4.*
dinem peccatorum. Similiter etiam per eleemosynarū fructum vulneribus nostris medela præstatur: quia sicut aqua *Eccli. 3.*
extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Ita & per lacrymarum profusionem conquiritur ablutio peccatorum: Lauabo enim per singulas noctes lectū meum, la- *Psal. 6.*
crymis meis stratum meū rigabo. Denique subiungit, ostēdens eas non inaniter fuisse profusas: Discedite a me om- *Ibid.*
nes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Necnon per criminum confessionem eorum abolitio condonatur: Dixi enim, ait, pronun- *Psal. 31.*
tiabo aduersum me iniustitiam meā Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. & iterum: Narra tu iniquitates *Esai. 43.*
tuas primus, vt iustificeris. Per afflictionē quoque cordis & *sec. lxx.*
corporis, admissorum scelerum remissio similiter obtinetur. Nam, vide, inquit, humilitatem meā & laborem meū, *Psal.24.*
& dimitte omnia peccata mea Præcipueq. per emendationem morum: Nam, Auferte, inquit, malum cogitationū *Esai. 1.*
vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite bene facere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra vt coccinū, velut nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Interdum etiam intercessione sanctorū impetratur venia delictorum: Qui enim scit fratrē suum pec- *1.Ioan. 5.*
care peccatum non ad mortem, petat & dabit ei vitam Deus peccanti non ad mortem. & iterum: Infirmatur quis *Iacob. 5.*
ex vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Nonnumquam misericordiæ ac fidei merito labes excoquitur vitiorū, secundum illud: Per mise- *Prou. 15.*
ricordiam & fidem purgantur peccata. Per conuersionem plerumque & salutem eorū qui nostris monitis ac prædicatione saluantur, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem *Iacob. 5.*
ab errore viæ suæ, saluat animā eius a morte, & operit multitudinem peccatorum. Per indulgentiā nihilominus & re-

missionem nostram, ad indulgentiam nostrorum facinorũ
*Matth.6.* peruenitur: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Videtis ergo quantos misericordiæ aditus patefecerit clementia Saluatoris, vt nemo salutem cupiens, desperatione frangatur, cum videat se tantis ad vitã remedijs inuitari. Si enim pro infirmitate carnis afflictione ieiuniorum abolere te tua
*Psal. 108* peccata nõ posse causaris, nec potes dicere: Genua mea infirmata sunt a ieiunio, & caro mea immutata est propter
*Psal. 101* oleum: Quia cinerem tamquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam: eleemosynarum ea redime largitate. Indigenti si non habes, quod impartias (licet nullum ab hoc opere necessitas inopiæ ac paupertatis
*Luc.21.* excludat, quandoquidem & illius viduæ duo minuta tantum æra, ingentibus diuitum muneribus præferantur, &
*Matt. 10* pro calice aquæ frigidæ mercedem se redditurum Dominus repromittat) morum certe poteris emendatione purgari. Quòd si perfectionem virtutũ extinctione vitiorũ omnium adipisci non potes, solicitudinem piam erga vtilitatem alienæ salutis impende. Si autem idoneum te huic ministerio non esse conquereris, operire peccata poteris charitatis affectu. In hoc quoque si te fragilem fecerit quælibet mentis ignauia, oratione saltẽ atque intercessione sanctorũ remedia vulneribus tuis humilitatis affectu submissus implora. Postremo quis est qui non possit suppliciter dicere:
*Psal. 31.* Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam
*Ibid.* non operui; vt per hanc confessionem etiam illud confidẽter subiungere mereatur: Et tu remisisti impietatem cordis mei? Quòd si verecundia retrahente reuelare ea coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt, confiteri
*Psal. 50.* ea iugi supplicatione non desinas, ac dicere: Iniquitatem meã ego cognosco, & peccatum meum cõtra me est semper; tibi soli peccaui, & malum coram te feci; qui & absque vllius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare cõsueuit. Post istud quoque tam promptum certumq. subsidium, aliud quoque adhuc facilius largita est nobis diuina dignatio, ipsamq. remedij opem nostro commisit arbitrio, vt indulgentiam nostrorum scelerum pro
*Matth.6.* nostro præsumamus affectu, dicẽtes ei: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quisquis igitur ad indulgentiam suorum criminum desiderat peruenire, istis semetipsum aptare studeat instrumẽtis, nec obdurati cordis peruicacia a remedio salutari fontem tantæ pietatis auertat; quia etiam si hæc omnia fecerimus, nõ erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini clementiaq. deleuerit. Qui cum religiosi conatus obsequia supplici mente a nobis oblata perspexerit, exiguos paruosq. conatus immensa liberalitate prosequitur, dicens: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum iam non recordabor.
*Esai. 43.* Ad hunc ergo quem prædiximus statum, quisque conscenderit, satisfactionis gratiã quotidianis ieiunijs, & mortificatione cordis & corporis assequetur, quia sicut scriptum
*Hebr. 9.* est: Sine sanguinis effusione non fit remissio. Nec immeri-
*1.Cor.15* to. Caro enim & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Et ideo quisquis ab huius sanguinis effusione gladium
*Hebr. 4.* spiritus, quod est verbum Dei, voluerit inhibere, absque du-
*Hier.48.* bio illa Hieremiæ prophetæ maledictione plectetur: Nam maledictus, inquit, qui prohibet suum gladium a sanguine. Hic namque est gladius qui illum noxium sanguinem, quo animatur materia peccatorum salubriter fundẽs, quidquid repererit in membris nostris carnale terrenumve concretum, resecat & abscidit, ac mortificatos vitijs viuere Deo & spiritalibus facit vigere virtutibus; & ita iam non veteris admissi recordatione, sed spe futurorũ flere incipiet gaudiorum; nec tam de præteritis malis quàm de venturis cogitans bonis, non ex peccatorum mærore lacrymas, sed ex æternę illius lætitiæ alacritate profundet; atque obliuiscens
*Philip.3.* ea quæ posteriora sunt, id est, carnalia vitia, ad ea quæ in ante sunt extenditur, hoc est, spiritalia dona atque virtutes.

*Quòd vtilis sit perfectis obliuio peccati, & quòd flagitiorum recordatio sit vitanda. Cap. IX.*

CEterum quod paulo ante dixisti, te etiam de industria præteritorum peccatorum memoriam retractare, hoc fieri penitus non oportet, quinimmo etiam si violenter irrepserit, protinus extrudatur. Multũ namque retrahit mentẽ a contemplatione puritatis, eius præcipue qui insolitudine commoratur, implicans eam sordibus mundi huius, & præfocans fœtore vitiorum. Dum enim recolis ea, quæ secundum principem huius sæculi per ignorantiam; siue lasciuiam commisisti, vt concedam tibi quòd in hac cogitatione posito oblectatio nulla subrepat, certe antiquæ putre-

Universidad de Deusto
Biblioteca



dinis vel sola contagio, necesse est vt retro mentem fœtore corrumpat, & spiritalem virtutum fragrantiam, id est suauitatem boni odoris excludat. Cum ergo præteritorum memoria vitiorum pulsauerit sensum, ita ab ea resiliẽdum est, sicut refugit vir honestus & grauis si impudicę ac procacis feminæ in publico aut colloquijs, aut amplexibus appetatur. Qui vtique nisi a se contactu eius festinus abstraxerit & vel breuissimam moram inhonestę confabulationis admiserit, etiam si cõsensum pudendę respuar voluptatis, infamiæ tamen ac reprehensionis notam cunctorum præter-
Prou. 9. sec. lxx. euntium iudicio non euadet. Ita igitur etiam nos oportet cum fuerimus in huiusmodi cogitationes pestifera recordatione deducti, raptim ab earum cõtemplatione discedere, & implere illud quod a Salomone præcipitur: Sed exi, inquit, noli demorari in loco eius, neque intendas oculũ tuum in eam: ne videtes nos angeli immundis ac turpibus cogitationibus inuolutos, non possint de nobis prætereun-
Psal. 128. tes dicere: Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini. Impossibile namque est mentem bonis cogitationibus immorari, cum principale cordis ad turpes atque terrenos intuitus fuerit deuolutum. Vera est
Prou. 23. sec. lxx. enim illa Salomonis sententia: Oculi tui cum viderint aliena, os tuum tunc loquetur praua, & iacebis tamquam in corde maris, & sicut gubernator in magna tempestate: dices autem, Ferierunt me, sed non dolui; & deluserunt me ego autem nesciui, Relictis ergo non solum turpibus, sed etiam terrenis cogitationibus vniuersis, erigienda est sem-
Ioan. 12. per ad cælestia nostrę mentis intentio, secundum Saluatoris nostri sententiam: Vbi enim ego sum, inquit, illic & minister meus erit. Solet enim frequẽter accidere, vt dum uel retractat affectu, ipse etiam subtilissimi teli voluptuario perstringatur assensu, & initium sub specie pietatis exor-
Prou. 14. & 16 sec. lxx. tum, obscœno ac noxio fine concludat. Sunt enim viæ quę videntur apud homines rectæ, nouissima autem earum ueniunt in profundum inferni. Quapropter studendũ est nobis, ut virtutum potius appetitu & desiderio regni cælorum quàm noxijs vitiorũ recordationibus nosmetipsos ad compunctionẽ laudabilẽ prouocemus; quia necesse est tamdiu quempiã pestilentissimis cloacę fœtoribus præfocari, quãdiu supra eam stare, vel cœnum eius voluerit cõmouere.

De



## *De satisfactionis indicio, & præteritorum criminum obliuione. Cap. X.*

NOuerimus autem nos, vt superius diximus, tunc demum pro præteritis satisfecisse peccatis, cũ ipsi motus atque affectus per quos pœnitenda commisimus, fuerint de nostris cordibus amputati. Quod tamen nullus obtinere posse se credat, qui non prius ipsas causas atque materias, pro quibus in illa collapsus est crimina, omni spiritus feruore succiderit; vt verbi gratia, si in fornicationem vel adulterium perniciosa feminarum familiaritate collapsus est, summa festinatione etiam ipsum earum deuiter aspectum: aut certe, si per abundantiam vini epularumq. est nimietate succensus, illicientium ciborum crapulam summa districtione castiget. Et rursum, si in periurium aut furtum, aut homicidium, aut blasphemiam, pecuniarum desiderio atque amore corruptus incurrit, materiam auaritiæ illectricem suæ deceptionis abscidat. Si in iracundiæ vitium superbiæ passione propellitur, arrogantię ipsius fomitem summa humilitatis virtute conuellat. Et ita vt vnumquodque peccatũ possit extingui, causa atque occasio per quam vel ob quam est admissum, debet primitus amputari. Isto etenim curationum remedio, ad obliuionem quoque admissorum criminum sine dubio peruenitur.

## *In quo temporaliter sit agenda pœnitudo, & in quo finem habere non possit. Cap. XI.*

VErum ista prædictæ obliuionis definitio super capitalibus tantum sit criminibus constituta, quæ Mosaica quoque lege damnantur; quorum sicut per conuersationẽ bonam abijciuntur vel consumuntur affectus, ita etiam accipit pœnitentia finem. Ceterum ab istis minutis in quibus septies in die iustus cadit, vt scriptum est, & resurgit, *Prou. 24.* numquam deerit pœnitudo. Aut enim per ignorantiam, aut per obliuionem, aut per cogitationẽ, aut per sermonem aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis, singulis diebus vel inuiti vel volentes frequẽter incurrimus, pro quibus & Dauid orans Dominum, purificationem atque indulgentiã deprecatur, dicens: Delicta *Psal. 18.* quis intelligit? ab occultis meis mũda me, & ab alienis parce seruo tuo. Et Apostolus: Nõ enim quod volo bonũ, hoc *Rom. 7.* facio, sed quod odi malũ, hoc ago. Et pro quibus idẽ etiã eius lans proclamauit: Infelix ego homo, quis me liberabit de *Ibid.*

corpore

corpore mortis huius? Tanta enim in his facilitate tamquam naturali lege prolabimur, vt quantalibet circumspectione atque custodia caueantur, non possint ad plenum ista vitari. De his siquidem vnus discipulorum quem diligebat Iesus abrupta definitione pronuntiat dicens: Si
*Ioan. 13.* dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & verum non est in nobis. Proinde perfectionis culmen pertingere cupienti, non satis proderit ad finem pœnitentiæ peruenisse, id est, ab illicitis temperare, nisi etiã in illis virtutibus indefesso cursu semetipsum semper extenderit, quibus ad satisfactionis indicia peruenitur. Nec enim a fœtidissimis criminum sordibus quę abhorret Dominus quemquam abstinuisse sufficiet, nisi etiam illam bonam virtutum fragrantiam, qua Dominus delectatur, puritate cordis & apostolicæ charitatis perfectione possederit. Hucusque abbas Pynuphius de satisfactionis indicio ac pœnitentię fine disseruit. Qui licet vt in eius cœnobio residere mallemus, solicito precaretur affectu, tamen fama Scithicæ solitudinis inuitatos, cum retinere non posset, emisit.

*COLLATIONIS ABBATIS Pynuphij de pœnitudinis fine, & satisfactionis indicio, Finis.*

COLLA-

# COLLATIO XXI. QVÆ EST PRIMA ABBATIS THEONÆ.

## DE REMISSIONE QVINQVAGESIMÆ.

*Quomodo Theonas ad abbatem Ioannem venerit. Cap. I.*

PRIVSQVAM verba collationis huius habitæ cũ summo viro abbate Theona incipiamus euoluere, necessarium reor, vt initium conuersionis eius breui sermone perstringam; quia ex hoc vel meritum viri, vel gratia, euidentius poterit patere lectori. Hic igitur adolescens admodum, parentum studio imperioq. connexus est vinculo coniugali. Nam dum pudicitię eius †religiosa sedulitate prospiciũt *al. religiosam sedulitatem.*
& ancipitem lapsum lubricę verentur ætatis, pręueniendos adolescentię motus licito nuptiarum remedio crediderunt. Cũ ergo hic vnius lustri tempus cum coniuge peregisset, venit ad abbatem Ioannem, qui tunc temporis merito sanctitatis electus diaconię præsidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate aut ambitione prouehitur, sed is quem cunctorum seniorum cœtus, ętatis prærogatiua & fidei atque virtutũ testimonio excellentiorem omnibus sublimioremq. censuerit. Ad hunc, iniquam, beatum Ioannem cum piæ deuotionis studio prædictus tũc iuuenis aduenisset, deferens religiosa munera inter ceteros possessores, quia certatim decimas vel primitias frugũ suarũ memorato seni de suis substantijs offerebant, videretq. eos senex cum multis ad se muneribus confluxisse, & deuotioni eorũ vicissitudinem cuperet repensare, cœpit eis secundũ Apostolum spiritalia seminare, quorũ metebat do- *1. Cor. 9.*
na carnalia: deniq. ita sermonem adhortationis instituit.

*Exhortatio abbatis Ioannis ad Theonam & ceteros qui cum eo venerant. Cap. II.*

DElector quidem o filij, pia vestrorum munerum largitate, & deuotionem huius oblationis, cuius dispensatio

tio mihi credita est gratanter amplector, quia fideliter primitias vestras ac decimas indigentium vsibus profuturas velut sacrificium Domino bonæ suauitatis offertis; harum scilicet oblatione, plenitudinem quoque fructuum vniuersæq. substãtię vestrę, ex qua hæc Domino delibastis, vbertim benedicenda credentes, vosq. secundum mandati illius fidem multiplici vbertate bonorum omnium etiam in
*Prou. 3.* hoc sęculo cumulandos: Honora Dominum de tuis iustis
*sec. lxx.* laboribus, & deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ, vt impleantur horrea tua abundantia tritici, vino autem torcularia tua redundent. Quam deuotionem fideliter exequentes, scitote vos legis antiquæ iustitiam consummasse, sub qua
*Leuit. 27* tunc positi & transgredientes eam, reatum ineuitabiliter incurrebant, & implentes ad perfectionis apicem peruenire non poterant.

*De decimarum & primitiarum oblatione. Cap. III.*

*Num. 5. & 18.* DEcimæ siquidem pręcepto Domini vsibus Leuitarum, oblationes vero ac primitiæ erant sacerdotibus consecratæ; sed primitiarum hic erat modus, vt quinquagesima
*Num. 31.* pars vel frugum vel animaliũ, templi vel sacerdotum ministerio præberetur. Quem modum tepidiores quique infideliter minuentes, religiosiores vero etiam cumulantes, illi ex sexagesima, hi autem ex quadragesima fructuum suorũ
*2. Tim. 1.* parte pendebant. Iusti enim quibus lex non est posita, sic probantur non esse sub lege, vt iustitias legis non solum implere, verum etiam superare contendant, sitq. deuotio eorum legali maior imperio, quæ obseruantiam cumulans pręceptorum voluntaria addat ad debita.

*Quòd Abraham, Dauid, & ceteri sancti, mandata legis fuerint supergressi. Cap. IV.*

ITa namque & Abraham futuræ legis præcepta legimus supergressum, cum superatis quattuor regibus, de spolijs Sodomorum, quę sibi velut victori non immerito debebãtur, & quidem rege ipso cuius spolia retulerat, suppliciter offerente, nihil penitus acquieuit attingere, sub diuini no-
*Gen. 14.* minis testificatione proclamans: Extendo manum meam ad Deum excelsum, qui fecit cælum & terrã, si a filo subtegiminis vsque ad corrigiam caligæ accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Sic Dauid pręcepta legis cognoscimus super-
*Exod. 21.* gressum, qui præcipiente Mose vt inimicis talio redderetur, non solum hoc non fecit, verum etiam dilectione complexus



plexus est persequentes, & pro his Domino pie supplicans, *1. Reg. 24.* etiam lugubriter fleuit, & vltus est interfectos. Ita Eliam quoque & Hieremiam probamus non fuisse sub lege, qui cũ licito vti coniugio absque reprehensione potuerint, perseuerare tamen virgines maluerũt. Sic Elisæum ac reliquos eiusdem propositi viros Mosaica legimus superasse mãdata, de quibus Apostolus ita dicit: Circumierunt in melotis, *Hebr. 11.* in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, egentes, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terrę. Quid de filijs Ionadab filij Rechab dicam, quos Hieremię prophetæ offerenti ex præcepto Domini vinum, ita legimus respondisse: Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster pręcepit nobis, dicens; Non bibetis vinum vos & *Hiere. 35* filij vestri, vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris? Vnde etiam ab eodem propheta merentur audire: Hęc *Ibid.* dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. Qui omnes offerre possessionum suarum decimas non contenti, sed ipsa prædia respuentes, semetipsos potius Deo ac suas animas obtulerunt, pro quibus nulla ab homine fieri commutatio potest, sicut Dominus in Euangelio contestatur: Quam dabit homo commutationem *Matt. 16* pro anima sua?

*Quòd sub Euangelij gratia degentes, superare debeant mandata legalia. Cap. V.*

QVapropter scire debemus nos (a quibus non iam exigitur legale mandatum, sed quibus euangelicus quotidie intonat sermo: Si vis perfectus esse, vade & vẽ- *Matt. 19* de omnia quę habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me) cum decimas de substantijs nostris offerimus Deo, adhuc quodammodo sub legis farcina detineri, & nec dum ad euangelicum illud fastigiũ peruenisse, quod obtemperantes sibi, non tantum præsentis vitæ beneficijs, sed etiam futuræ pręmijs muneratur. Lex enim factoribus suis non regnorũ cælestium præmia, sed *Gal. 3. ex* vitæ huius solatia repromisit, dicens: Qui fecerit hæc viuet *Leuit. 18.* in eis. Dominus autem discipulis & amicis suis; Beati, in- *Matth. 5.* quit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

*Matt. 19* rum.&:Omnis qui reliquerit domum,vel fratres,aut sorores,aut patrem,aut matrem,aut vxorẽ,aut filios,aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet,& vitam æternam possidebit. Nec immerito. Non enim tam laudabile est si ab illicitis, quàm si etiam a licitis temperemus, & his propter eius reuerentiam non vtamur,qui ea nobis propter infirmitatem nostram vtenda permisit.Itaque si etiã hi, qui decimas fructuum suorum fideliter offerẽtes præceptis Domini antiquioribus famulantur, necdum possunt euangelicum culmen ascendere; illi qui ne hęc quidem faciunt, quantũ ab eo absint manifestissimę peruidetis. Nam quẽadmodũ poterunt euangelicæ gratię esse participes,qui cõsumare etiam leuiora legis præcepta contemnunt? Quorum facilitatem vsque adeo imperiosa legislatoris verba testantur, vt etiam maledictum non implentibus proponatur: Maledictus enim,inquit,qui nõ permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea: Hic autẽ pro sublimitate & excellentia mandatorũ dicitur:Qui potest capere capiat.Illic legiferi violenta compulsio, præceptorum indicat paruitatem: Contestor enim, inquit,vobis hodie cælum & terram, quòd si non custodieritis præcepta Domini Dei vestri, peribitis a facie terræ: Hic magnificentia sublimium mandatorum, ipsa non tam imperantis quàm adhortantis condicione signatur: Si vis perfectus esse,fac hoc aut illud. Ibi inexcusabile etiam recusantibus Moses pondus imponit:Hic consilio tantum volentibus & ad perfectionem festinantibus Paulus occurrit. Non enim generaliter præcidendum erat,nec,vt ita dixerim, canonice ab omnibus exigendum id, quod propter mirificã sublimitatem non potest passim ab omnibus apprehendi, sed consilio potius prouocantur omnes & gratia, vt hi qui magni sunt,possint perfectione virtutum non immerito coronari;qui autem parui sunt,& mensuram ętatis plenitudinis Christi implere non possiunt,licet fulgore maiorum velut siderum tecti latere videantur,tamen a tenebris maledictionum quæ in lege sunt,alieni,nec præsentium malorum cladibus addicantur,nec supplicio plectantur æterno. Non ergo Christus ad illa virtutum excelsa fastigia præcepti quemquam necessitate constringit, sed liberi arbitrij prouocat potestate, & salubritate consilij & desiderio perfectionis accendit. Vbi enim præceptum, ibi necessitas; & vbi

*Galat. 3. ex Deut. 27.*

*Matt. 19*

*Deut. 4.*

*Matt. 19*

*Ephes. 4.*



vbi necessitas, ibi & difficultas; vbi difficultas, ibi & negligentia;vbi negligentia,ibi peccatum;vbi peccatum,ibi cõsequetur & pœna. Custodientes vero hæc, ad quæ præfixæ legis seueritate coguntur,pœnã potius quæ ab illa intentabatur effugiunt,quàm mercedẽ aut præmia consequuntur.

*Quòd Euangelij gratia,sicut perfectis tribuit regna cælorum, ita ueniabiliter sustentet infirmos. Cap. VI.*

ITaque sicut fortes ad sublimia atque præcelsa euangelicus sermo sustollit, ita infirmos non patitur ad ima demergi: perfectis quidem tribuens beatitudinis plenitudinem, veniam vero infirmitate superatis impartiens. Lex enim consummantes præcepta sua, in vtriusque meriti velut quodam meditullio collocauit, quantum a transgressorum damnatione secernens, tantum separans a gloria perfectorum. Quod quidem quàm infimum quàmq. miserabile sit,vel ex præsentis vitæ statu & comparatione perspicite, in qua miserrimum ducitur, si hoc tantum quis studeat ac laboret, ne reus modo inter honestos homines, & non etiam locuples, honorabilis & gloriosus habeatur.

*Quòd in nostra situm sit potestate, vtrum sub Euangelij gratia, an sub legis velimus terrore consistere. Cap. VII.*

QVamobrem in nostra hodie situm est potestate, vtrũ sub Euangelij gratia, an sub legis velimus terrore cõsistere. Cuilibet enim parti pro qualitate actus sui vnumquemque necesse est aggregari.Nam aut supergrediẽtes legem, suscipit Christi gratia, aut certe inferiores velut debitores suos sibiq. obnoxios lex retẽtat. Reus namque legalium præceptorum nequaquam euangelicam perfectionem valebit attingere, quamuis Christianum se, & Domini gratia liberatum inaniter glorietur.Non solum enim hic credendus est adhuc esse sub lege, qui ea,quæ lex præcipit, detrectat implere, sed etiam ille,qui ea tantum,quæ lex iubet,obseruare contentus est,ac nequaquã vocationi & gratię Christi condignos exhibet fructus, vbi non dicitur: Decimas tuas & primitias offeres Domino Deo tuo, sed: Vade, vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me:vbi ob perfectionis magnificentiã discipulo postulanti, ne breuissimũ quidem horæ spatium pro patris conceditur sepultura, & humanę charitatis officium,diuini amoris virtute præuertitur.

*Exod.22.* *Matt. 10*

*Matth. 8*

Quemad-

*Quemadmodum Theonas coniugem suam vt & ipsa renuntiaret hortatus sit. Cap. VIII.*

QVibus auditis, beatus Theonas inxetinguibili desiderio euangelicę perfectionis accẽsus, semen verbi fœcundo corde conceptũ, quasi profundis atque edomitis cõdidit sulcis, in eo vel maxime humiliatus atque cõpunctus, quòd eum senex non solum euangelicam perfectionem non attigisse dixisset, sed etiã vix legis ipsius adimplesse mandata. Siquidem cum decimas frugum suarũ diaconiæ annis singulis pendere solitus esset, primitiarum rationem ne audisset quidem aliquando, quam tamen etiam si similiter adimplesset, longe nihilominus, secundum senis sententiam, ab euãgelica perfectione distaret. Domum
2. Cor. 7. itaque reuertitur mœstus, illaq. affectus tristitia, quæ pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, ac de sua iam volũtate & definitione non dubius, erga salutem coniugis, omnem mentis solicitudinem curamq. conuertit, eamq. ad desiderium, quo fuerat ipse succensus, cœpit exhortatione simili prouocare; & vt Deo pariter in sanctimonia & castitate seruirent, diurnis nocturnisq. fletibus admonere, dicens conuersionem melioris vitæ nequaquam esse protelandam, quia necessitati subitæ mortis vana spes immaturæ non pręiudicaret ætatis, quippe quę infantes, pueros, adolescentes, pari vt senes, sorte præriperet.

*Quemadmodum non acquiescente vxore sua ad monasterium peruolarit. Cap. IX.*

CVmq. huiusmodis obsecrationibus iugiter persistenti coniunx durissima nõ præberet assensum, sesecq. diceret solatio maritali pro ætatis suæ flore penitus abstinere non posse, ac proinde si quid deserta ab eo criminis admisisset, illi potius adscribendum, qui cõiugij fœdera dirupisset. Ad hęc ille cum diu condicionem naturæ prætendisset humanæ quàm fragilem & incertam, periculosum esse carnalibus desiderijs & operibus diutius implicari; adijciens adstruebat, non licere cuiquam eius se bono extorrem facere quod didicisset, maiorisq. esse noxæ despicere cognitam bonitatem, quàm incognitam non amare; proinde se iam reatu etiam præuaricationis inuolui, si inuentis tam prę-claris tamq. cælestibus donis, terrena ac sordida prætulisset. Ad omnem sine ætatem, omnemq. sexum perfectionis magnificentiam pertinere, & vniuersa Ecclesię membra ad con-



conscendendam sublimium meritorũ celsitudinem prouocari, dicente Apostolo: Sic currite vt comprehendatis; nec propter lentorum & segnium moras, paratos atque alacres debere subsistere, cum rectius sit, vt desides a præcurrentibus incitentur, quàm vt properantes a residentibus obligentur. Proinde statutũ sibi decretũq. esse renunciare sęculo, ac mori mundo, vt viuere possit Deo; & si hanc beatitudinem nequeat obtinere, vt cum socia sua in consortium transeat Christi, malle se vel cum vnius membri dispendio saluum fieri, & velut debilem introire in regnum cælorum, quàm cum soliditate corporis condemnari. Adijciebat autem etiã ista: Si Moses pro duritia cordis dimitti permisit vxores, quare hoc non sinat Christus pro desiderio castitatis, præsertim cum idem Dominus inter ceteras affectiones (id est, patrum matrumq. ac filiorum quibus omnem reuerentiã non solum lex, sed etiam ipse præceperat exhibere, tamen pro nomine suo ac desiderio perfectionis non solum contemnenda simpliciter, sed etiam odio habenda esse decernens) coniungat similiter etiam nomen vxorum, dicens: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternã possidebit. In tantum enim perfectioni quam prædicat nihil patitur comparari, vt illam quoque necessitudinẽ soluat patris ac matris, quæ secundum Apostolum primum obtinet in repromissione mandatum: Honora scilicet patrẽ & matrem, quod est mandatum primum in repromissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram; eamq. despici pro suo amore pręcipiat. Euidenter itaque sicut eos euangelicus sermo condemnat, qui non interueniẽte adulterij crimine, vxoria vincla dirumpunt, ita ob amorem Christi & desiderium castitatis, his qui iugum carnale reiecerint, centupla etiam præmia repromittit. Quapropter si fieri potest, vt ad hanc mihi optatissimam partẽ, accepta tandem ratione flectaris, scilicet vt Domino seruientes, pœnam gehennæ pariter euitemus, charitatem coniugij non refuto, immo etiã maiore adhuc dilectione complector. agnosco enim & veneror adiutricem meam, Domini mihi sentẽtia deputatam, & indirupto eidem fœdere charitatis in Christo cohęrere non respuo, nec a me separo quod Dominus mihi primæ statim condicionis lege coniunxit, dummodo sis &

1. Cor. 9.

Matt. 18

Matt. 19.

Ibid.

Ephes. 6.

Matth. 5.

Matt. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Gen. 2. ipsa quod conditor esse te voluit. Si vero nō in adiutorium esse volueris, sed in deceptionem; & adminiculum te non mihi, sed aduersario malueris exhibere, atque ob hoc attributum putas coniugij sacramentum, vt te hac quæ ingeritur fraudans salute, insuper etiam me a discipulatu retrahas Saluatoris; ita illam abbatis Ioannis immo Christi ore prolatam sententiam viriliter apprehendam, vt me a spirituali bono nulla carnalis auellere possit affectio: Qui enim, Luc. 14. inquit, non odit patrem, & matrem, & filios, & fratres, & sorores, & vxorem, & agros, adhuc autem & animā suam, nō potest meus esse discipulus. Cū ergo his atque huiusmodi verbis muliebris non flecteretur intentio, & in eadē obstinationis duritia permaneret: Si ego te, inquit beatus Theonas, abstrahere a morte non possum, nec tu me separabis a Christo. Tutius est enim mihi cum homine, quam cum Deo habere diuortium. Aspirante itaque gratia Dei, definitionis suæ executionē instanter aggressus est, nec intepescere per aliquam moram desiderij sui est passus ardorem: nam confestim omni mundana facultate nudatus ad monasterium peruolauit. Vbi in breui tanto splendore sanctitatis & humilitatis enituit, vt beatę memoriæ Ioanne ad Dominum ex hac luce migrāte, sancto quoque Elia, viro qui haud minor decessore suo fuit, similiter decedente, tertius Theonas vniuersorum prælectus iudicio, in diaconiæ eis dispensatione successerit.

*Satisfactio pro eo ne dissidia coniugibus suadere videamur. Cap. X.*

NEmo autem existimet nos hæc ad prouocanda coniugiorū diuortia texuisse, qui nō solum nuptias minime condemnamus, verum etiam apostolicam sequentes Hebr. 13. sententiam, dicimus honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus; sed vt lectori initium cōuersionis, quo tantus ille vir Deo dicatus est, fideliter panderemus. A quo bona gratia hoc primum deposco, vt siue hoc ei placeat, siue displiceat, quoquo modo me a calumnia alienum esse concedens, in suo hoc factum aut laudet, aut reprehendat auctore. Ego autem qui non meam super hac re sententiam prompsi, sed rei gestæ historiam simplici narratione complexus sum, æquum est, vt sicut mihi de eorum, qui hoc factum probant laude nil vindico, ita eorum, qui id improbant non pulser inuidia. Habeat ergo suum de illo, vt dixi-



diximus, vnusquisque iudicium; sed moneo vt ita cēsuram sui castiget examinis, ne se æquiorem aut sanctiorem diuino credat esse iudicio, quo in eum etiā apostolicarum collata sunt signa virtutum; vt taceam de tantorum patrū sententia, a quibus factum eius non solum minime reprehensum, verum etiā vsque adeo collaudatum esse manifestum est, vt eum summis ac sublimissimis viris in diaconiæ electione prętulerint. Et puto tot spiritalium virorum Deo auctore prolatum nō errasse iudicium, quod etiā tanta signorum, vt supra iam dictum est, admiratio confirmabat.

*Inquisitio cur in Ægypto totis diebus quinquagesimæ non ieiunetur, nec genua in oratione curuentur. Cap. XI.*

SEd iam tempus est, vt promissæ disputationis ordinem prosequamur. Igitur abbas Theonas cū diebus quinquagesimæ nos in nostra cellula visitasset, vespertina orationū solēnitate transacta, humi paululum considentes, cœpimus diligentius percōtari, cur apud eos tāta obseruātia cauerētur, ne quis totis penitus quinquagesimæ diebus vel genua in oratione curuaret, vel vsque ad horā nonā ieiunare prę sumeret: eoq. id diligētius scrutabamur, quòd nequaquā hoc tanta cautione seruari in Syriæ monasterijs videramus.

*Responsio de natura eorum quæ bona sunt, vel mala, vel media. Cap. XII.*

AD hæc abbas Theonas tali vsus est sermonis exordio: Oportet quidem nos auctoritati patrum, consuetudiniq. maiorum vsque ad nostrum tempus per tantam annorum seriem protelatæ, etiam non percepta ratione cōcedere, eamq. vt antiquitus tradita est, iugi obseruantia ac reuerētia custodire. Verumtamen quoniā causā huius rei & rationē vultis agnoscere, accipite breuiter ea, quæ a senioribus nostris tradita super hac institutione comperimus. Verumtamen antequàm scripturæ diuinę auctoritas proferatur, si placet, de natura ipsius ieiunij & qualitate pauca dicamus, vt disputationē nostrā subsequēs scripturarū confirmet auctoritas. Diuina sapiētia per Ecclesiastē omni rei, id est, vniuersis seu prosperis, seu quæ aduersa putantur & tristia, tēpus esse propriū designauit, dicēs: Omnibus tempus est, & tempus omni rei sub cælo. Tempus pariendi, & tēpus moriendi; tempus plantandi, & tēpus euellendi, quod plantatum est; tempus occidendi, & tempus sanandi; tem- Eccls. 3. sec. lxx.

Universidad de Deusto
Biblioteca



pus destruendi, & tempus ædificandi; tempus plorandi, & tempus ridendi; tempus plangendi, & tempus saltādi; tempus mittendi lapides, & tempus colligendi lapides, tempus amplectendi, & tempus longe fieri ab amplexibus; tempus acquirendi, & tempus perdendi; tempus custo[illegible]ndi, & tēpus expellendi; tempus dirumpendi, & tem[illegible]ciendi; tempus tacendi, & tempus loquendi; temp[illegible]ndi, & *Ibid.* tempus odiendi; tempus belli, & tēpus pacis. Et infra: Quia tempus est, inquit, omni rei, & omni facto. Nihil igitur ex his bonum esse perpetuum definiuit, nisi cum fuerit horum quid oportune & competenter expletum, ita vt hæc eadem, quæ nunc oportune gesta bene cedunt, si importuno vel incongruo tempore præsumantur, inutilia inueniantur & noxia; absque his dumtaxat, quę per se principaliter vel bona vel mala sunt, nec aliquando possunt in contrarium deriuari: vt est iustitia, prudentia, fortitudo, temperantia, ceteræq. virtutes siue e diuerso vitia, quorum definitiones in aliam partem cadere omnino mutarive non possunt. Si qua vero in vtrumque affectum possunt aliquando transire, vt pro qualitate vtentium vel bona inueniantur vel mala, hæc non absolute pro sui natura, sed pro perpetrantis affectu & temporis oportunitate, vel vtilia interdum, vel noxia sentiuntur.

*Quale bonum sit ieiunium. Cap. XIII.*

QVamobrem nunc quęrendum est, quid super ieiuniorum statu decernere debeamus, vtrum nam similiter & ipsum bonum esse eo modo quo iustitiam, prudentiam, fortitudinem, ac temperantiam diximus, quæ in partem contrariam penitus transire non possunt: an medium quid, quod interdum factum possit prodesse, interdum prætermissum condemnare non possit; quodq. nonnumquam egisse reprehensibile sit, nonnumquam prætermisisse laudabile. Si enim in illa definitione virtutum, etiā ieiunium cēseamus, vt inter principalia bona ciborum abstinentia collocetur, erit profecto eorum mala & criminosa perceptio. Quidquid enim principali bono contrarium est, sine dubio principale malū esse censendū est; quod definiri a nobis scripturarum sanctarum non permittit auctoritas. Si enim tali sensu ac proposito ieiunemus vt peccatum contrahi in escarum perceptione credamus, non modo nullos fructus pro abstinentia consequemur, sed etiam reatum



reatum maximum ac sacrilegij crimen, secundum Apostolum, contrahemus, abstinentes a cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarū actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Qui enim putat, quid commune esse, illi commune est; & idcirco ob solam perceptionem escæ neminem legimus condemnatum, nisi forte iunctum quid fuerit, vel postea subsecutum, per quod meruerit condemnari. *1. Tim. 4.* *Rom. 14.*

*Quod non sit principale bonum ieiunium. Cap. XIV.*

ITaque hoc medium esse etiam ex hoc manifestissime declaratur, quia sicut iustificat custoditum, ita non condemnat irruptum, nisi forte præcepti transgressio magis quām escarum perceptio puniatur. Principali autem bono ita nullum vacuum esse tempus oportet, vt sine eo cuiquā esse non liceat, quia necesse est cessatione eius in malum corruere negligentem. Nec rursum principali malo vllum conceditur tempus, quia quod noxium semper est, numquam poterit, si admissum fuerit, non nocere, vel in partem vmquam laudabilem cōmutari. Ac proinde hæc quibus qualitates statutas videmus & tēpora, & quæ sic obseruata sanctificant, vt omissa non polluāt, media esse manifestū est, vt puta nuptias, agriculturam, diuitias, solitudinis remotionem, vigilias, sacrorum lectionē meditationemq. librorum, ipsaq. ieiunia, de quibus principium sermonis exortum est. Quæ omnia diuina præceptio, vel sanctarum auctoritas scripturarum, non ita incessabiliter obtinenda, nec iugiter custodiēda decreuit, vt ea paululum intermisisse nefariū sit. Quidquid enim imperatiue decernitur, mortem irrogat nō impletū; quæcumque vero suadentur potius quām iubentur, facta prosunt, infecta non puniunt. Et idcirco aut omnia hæc, aut certe quædam, pro causa, pro loco, pro modo, pro tempore, circumspecte agere nos maiores nostri & prouide obseruare iusserunt: quia si congrue horū aliquid actitetur, aptū atque cōueniens: si incongrue, ineptum esse constat ac noxiū: ac si velit quis in fratris aduentu, in quo Christum debet humanitate reficere, & gratissima susceptione complecti, austeritatem ieiunij custodire, nonne inhumanitatis potius crimen incurrat, quām laudē & meritum religionis acquirat? Vel si cum defectio & imbecillitas carnis reparationē viriū escæ perceptione

depoſcit,nõ acquieſcat rigorem abſtinentiæ relaxare,nonne magis crudelis ſui corporis homicida,quàm ſalutis prouiſor eſt æſtimandus? Ita etiam cũ tempus feſtiuitatis eſcarum cõgruum fotum & refectionem neceſſariæ abſolutionis indulget, ſi quis ieiuniorum rigidam obſeruantiam indirupte voluerit retentare, neceſſe eſt, vt non tam religioſus,quàm inconditus atque irrationabilis habeatur. Sed & illis hæc nihilominus reperiũtur aduerſa,qui humanã laudem ieiunijs aucupantur,& inani oſtentatione palloris,famam ſanctitatis acquirunt,quos in præſenti ſuam recepiſſe
*Matth.6.* mercedem euangelicus ſermo pronuntiat; vel quorum per prophetam Dominus ieiuniũ deteſtatur, ex quorũ perſona
*Eſai. 58.* cũ ſibi obijciens ante dixiſſet: Quare ieiunauimus,& non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? conſeſtim ſubijciens prodidit cauſas cur non mererentur audiri.
*Ibid.* Ecce, inquit, in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & cõtentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem,vt audiatur in excelſo clamor veſter. Numquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Numquid cõtorquere quaſi circulum caput ſuum,& ſaccũ & cinerem ſternere? Numquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Deinde infert, quomodo acceptabilis fiat continentia ieiunantis, atque euidenter enuntiat per ſe ſolum ieiunium
*Ibib.* prodeſſe non poſſe,niſi has quæ ſubijciuntur cauſas habuerit conſequentes: Nonne hoc eſt magis,inquiens,ieiunium quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis,ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum,& egenos vagosq. induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur; & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis,& Dominus exaudiet; clamabis,& dicet,Ecce adſum. Videtis ergo ieiunium nequaquam principale bonum a Domino iudicari, eo quòd non per ſe ipſum, ſed per alia opera bonum ac placitum Deo fiat, & rurſum ex accidentibus cauſis non ſolum vanum, verum-
*Hier. 24.* etiam odibile cenſeatur, dicente Domino: Cum ieiunauerint, non exaudiam preces eorum.

Quòd



*Quòd principale bonum non propter inferius bonum tenerẽ debeat, ſed econtra.* Cap. XV.

NOn enim miſericordia, patientia, & charitas, vel illa prædictarũ præcepta virtutum, in quibus vtique bonum eſt principale, propter ieiunia ſunt tenenda, ſed potius ieiunia propter illa. Elaborandum eſt enim vt virtutes illæ,quæ vere bonæ ſunt, ieiunijs acquirantur,non vt ad ieiuniorum terminum tendant illarum geſta virtutum. Ob hoc ergo eſt vtilis carnis afflictio, ob hoc adhibenda eſt inediæ medicina, vt per illam ad charitatem in qua immobile ac ſine vlla temporis exceptione perpetuum bonum eſt, peruenire poſſimus. Neque enim medicinæ,aurificinæ,vel ceterarum,quæ in hoc mundo ſunt artium diſciplina, propter inſtrumenta, quæ ad opus eius pertinent exercetur, & non potius ferramenta propter artis ſtudium præparantur; quæ ſicut vtilia ſunt peritis, ita ſuperflua his qui artis ipſius neſciunt diſciplinam. Et ſicut his qui ad efficiendum opus ſuum eorum miniſterio fulciuntur, plurimum proſunt;ita illis,qui cuius rei gratia inſtituta ſint ignorãtes,ſola eorum poſſeſſione contenti ſunt, penitus prodeſſe non poſſunt, quia vtilitatis ſuæ ſummam in retentione eorum tantum,non in operis conſummatione conſtituunt. Illud ergo eſt optimum principaliter,propter quod fiunt illa,quę media ſunt; ipſum vero præcipuum bonum, non ob aliam cauſam, ſed propter ſuam tantum agitur bonitatem.

*Quomodo a ceteris bonis principale bonum diſcernatur.* Cap. XVI.

QVod quidem a ceteris,quę media eſſe prędiximus,hiſce cernitur modis,ſi per ſe bonum ſit,& non per aliud aliquid, ſi propter ſe neceſſarium ſit, & non propter aliud, ſi immutabiliter ſemperq. ſit bonum, ac perpetuo ſuam retinens qualitatem numquam poſſit in partem tranſire contrariam, ſi ademptio vel ceſſatio eius non poſſit nõ ſummam inferre perniciem, ſi id quod illi contrarium eſt, ſimiliter principale ſit malum, nec in partem bonam poſſit aliquando tranſire. Quæ definitiones,quibus principalium bonorũ natura diſcernitur, adſcribi ieiunijs omnino nõ poſſunt. Neque enim ex ſemetipſis bona, aut propter ſe neceſſaria ſunt,quæ propter acquirendam cordis & corporis puritatem ſalubriter exercentur, vt aculeis carnis obtuſis,mens pacifica ſuo concilietur auctori, nec immutabili-

ter semperq. sunt bona, quia plerumque eorũ intermissione non lædimur, immo etiam in perniciem interdum animæ importunius celebrata vertuntur. Sed nec principale malũ est id, quod illi videtur aduersum, id est, ciborum naturaliter iucunda perceptio, quæ nisi intemperantia atque luxuria, vel alia quædã vitia subsequantur, mala nõ potest
Matt.15. definiri; quia non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ procedunt de ore, hæc coinquinãt hominem. Principali itaque derogat bono, nec perfecte aut sine peccato illud exequitur quisquis hoc non propter idipsum, sed propter aliud aliquid facit. Omnia enim huius gratia facienda sunt, ipsum vero propter se solum est expetendum.

*De ratione & vtilitate ieiunij. Cap. XVII.*

TAlem igitur definitionem super ieiunij qualitate iugiter retinentes, ita illud totis animi viribus appetamus, vt tamen tunc demum id nobis congruum nouerimus, si in eo temporũ ratio, si qualitas, si mensura seruetur; nec ita vt in ipso spei nostræ terminũ defigamus, sed vt per ipsum ad puritatem cordis & apostolicam charitatem peruenire possimus. Igitur ex hoc ipso ieiunium cui non solum specialia præfixa sunt tempora, quibus vel exerceri debeat vel remitti, sed etiam qualitas modusq. propositus est, nõ principale bonum, sed medium quiddam esse manifestum est. Ceterum hæc quæ præcepti auctoritate, vel mandantur vt bona, vel interdicuntur vt noxia, numquam ita exceptioni temporum subiacent, vt interdum, aut quæ vetita sunt fieri debeãt, aut quæ imperata sunt prætermitti. Nec enim vllus iustitiæ, patientiæ, sobrietati, pudicitiæ, charitati, statutus est modus; nec rursum iniustitiæ, impatientiæ, furori, impudicitiæ, inuidię atque superbię libertas aliquãdo permissa est.

*Non semper congruum esse ieiunium. Cap. XVIII.*

QVamobrem his de ieiunij qualitate pręmissis, subdenda adhuc sanctarũ scripturarũ videtur auctoritas, per quã manifestius approbetur ieiuniũ perpetuo custodiri nec debere, nec posse. In Euãgelio ieiunantibus Pharisæis vna cũ discipulis Ioannis Baptistæ, cũ Apostoli, vtpote amici & conuiuæ illius cælestis sponsi, necdum ieiuniorum obseruantiam custodirent, discipuli Ioannis, qui summam iustitiæ se de ieiunijs posslidere credebant, quippe illius sectatores, qui eximius pœnitentiæ prædicator ita cunctis populis formam suo præbebat exemplo, vt non solum

varia



varia escarum genera, quæ humanis vsibus suggerũtur abnueret, verumetiam communem panis ipsius esum penitus ignoraret, Domino conqueruntur, dicentes: Quare nos & Matth.9.
Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Quibus respondens Dominus euidenter ostendit non omni tempore congruum esse ieiunium, nec necessarium, cum aliqua vel festiuitas temporũ, vel interueniens charitatis occasio, indulgẽtiam refectionis admittit: Num- Ibid.
quid possunt, inquiens, filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Quæ verba licet ante resurrectionem sui corporis dixerit, tamen proprie quinquagesimæ tempus ostendunt, in quo post resurrectionẽ per quadraginta dies Domino cum discipulis epulante, ieiunare illos quotidianæ eius præsentiæ gaudium non sinebat.

*Interrogatio, cur totis quinquaginta diebus ieiunium relaxetur. Cap. XIX.*

GERMANVS. QVare igitur tota quinquagesima abstinentiæ rigorem prandijs relaxamus, cum vtique Christus quadraginta tantum diebus post resurrectionem cum discipulis fuerit commoratus?

THEONAS. *Responsio. Cap. XX.*

NOn incongrua interrogatio vestra rationem integerrimę veritatis meretur agnoscere. Post ascensionem Saluatoris nostri, quæ quadragesimo resurrectionis eius acta est die, Apostoli reuersi de monte oliueti, in quo se ad patrem pergens præbuit intuendum, sicut etiam Actuum Act. 1.
Apostolorum lectio contestatur, ingressi Hierosolymam, decem diebus aduentum Spiritus sancti expectasse feruntur; quibus expletis quinquagesima eum die cum gau- Act. 2.
dio susceperunt, & ita est per hæc festiuitatis huius numerus euidenter impletus. Quem in veteri quoque testamento legimus figuraliter adumbratum; in quo consumma- Exod. 23. & 34.
tis hebdomadibus septem, primitiarum panis per sacerdotes Domino iubebatur offerri; qui verissime per Apostolorum prædicationem, qua in illo die concionati leguntur ad populum, oblatus Domino comprobatur; verus scilicet primitiarum panis, qui nouæ doctrinæ institutione prolatus, quinque milibus virorum escæ suę munere satiatis, pri- Act. 2.
mitiuum de Iudęis Christianorum populum Domino consecrauit. Et idcirco hi quoque decem dies cũ superioribus

qua-

quadraginta pari solemnitate sunt ac lætitia celebrãdi. Cuius festiuitatis traditio, per apostolicos viros ad nos vsque transmissa, eodem tenore seruãda est. Ideo namque in ipsis diebus nec genua in oratione curuantur, quia inflexio genuum velut pœnitentiæ ac luctus indicium est. Vnde etiam per omnia eandem in illis solemnitatem, quam die Dominica custodimus, in qua maiores nostri, nec ieiunium agendum, nec genu esse flectendum, ob reuerẽtiam resurrectionis Dominicæ tradiderunt.

*Interrogatio, vtrum abstinentia ieiunij relaxata obsit corporis castitati. Cap. XXI.*

GERMANVS.

POtest ne hæc caro insolitis blandimentis tam longe festiuitatis illecta, non aliquid sentuosum de illo quamuis abscisso vitiorum fomite germinare; aut mens præsumptis vltra consuetudinem dapibus onerata, non erga famulum corpus rigorem dominationis inflectere, præsertim cũ in nobis viridior ætas, cito ad rebellionem subdita possit membra compellere, si vel escas solitas abundantius, vel certe insolitas licentius præsumamus?

*Responsio de seruando continentiæ temperamento.*

THEONAS. *Cap. XXII.*

SI vniuersa, quæ gerimus rationabili mẽtis appendamus examine, & de puritate cordis nostri non aliorum iudicium, sed nostram semper conscientiam consulamus, certum est istam refectionis intercapedinem iustæ districtioni obesse non posse, si modo, vt dictũ est, æquam indulgentiæ continentiæq. mensuram pari lance perpendẽs, vtramque similiter nimietatem mens incorrupta castiget, & vtrũ spiritum nostrum deliciarum deprimat pondus, an vero alteram, hoc est corporis partem, maior abstinentiæ inclinet austeritas, vera discretione distinguat, illam vel comprimens, vel subleuans portionem, quam vel extolli senserit, vel grauari. Nihil enim Dominus noster ad cultũ atque honorem suũ absque iudicij moderatione vult fieri, quia: Honor regis iudicium diligit. *Psal. 98.* Et idcirco sapientissimus Salomon, vt in neutram partem vergente iuditio declinemus, admonet, dicens: Honora Dominum de tuis iustis laboribus, & deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ. *Prou. 3. sec. lxx.* Etenim residet in conscientia nostra incorruptus quidam ac verus iudex, qui nonnumquam super statu puritatis nostræ cunctis errantibus solus ipse non fallitur. Omni igitur cautione atque solertia, iugis circumspecti cordis seruetur intentio, ne quo modo iudicio nostræ discretionis errante, aut inconsideratæ continentiæ cupiditate succensi, aut desiderio nimiæ remissionis illecti, substantiam virium nostrarum iniquę trutinæ examinatione libremus, sed in altera quidẽ lance animæ puritatem, in altera vires corporis collocantes, ita vero cõscientiæ iudicio vtraque pendamus, vt in neutram partẽ vnius rei affectu præponderante peruersi, vel ad immodicã districtionem, vel ad nimiam remissionem, æqualitatis libram propensius inclinemus, & illud nobis, vel pro remissionis, vel pro districtionis nimietate dicatur: Nonne si recte offeras, recte autem non diuidas peccasti? *Gen. 4. sec. lxx.* Illas etenim ieiuniorum victimas, quas nobis violenta viscerum cõuulsione inconsiderate extorquentes, Domino recte offerre nos credimus, Ille qui diligit misericordiam & iudicium execratur, dicens: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto. *Psal. 32. Esai. 61.* Illos etiam, qui oblationum, id est, officiorũ atque actuum suorum præcipua ad forum carnis, atque vsus proprios prẽsumentes, reliquias eorũ Domino ac minimam deferunt portionẽ, velut operarios fraudulentos sermo diuinus ita condemnat: Maledictus qui facit opera Domini fraudulenter. *Hiere. 48. sec. lxx.* Non ergo immerito eum qui se ita iniquo fallit examine increpat Dominus, dicens: Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominũ in stateris, vt decipiant. *Psal. 61.* Et idcirco beatus Apostolus, vt discretionis moderamina retinentes, in neutram partem illecti nimietate vergamus, admonet dicens: Rationabile obsequium vestrum. *Rom. 12.* Quam rem etiam legislator similiter interdicit, ita præcipiens: Statera iusta, & æqua sint pondera: iustus modius, æquusq. sextarius. *Leuit. 19* Salomone quoque parem super hoc sententiam proferente: Pondus magnum & pusillum, & mensuræ duplices, immunda sunt apud Dominũ vtraque, & qui facit ea in adinuentionibus suis compedietur. *Prou. 20. sec. lxx.* Proinde nõ solum illo, quo diximus, sed etiam hoc modo studendum est nobis, vt nec iniqua pondera in cordibus nostris, nec in horreis conscientiæ nostræ mensuras duplices habeamus; id est, ne ipsi ea, quæ districtionis regulam molliunt, remissiore indulgentia præsumentes, eos quibus verbum Domini prædicamus, districtioribus præceptis & grauioribus quàm ipsi perferre possimus ponderibus obruamus. Quod cũ facimus, quid nisi duplici põdere atque



men-

Universidad de Deusto
Biblioteca



mensura præceptorum Domini mercem frugemq. vel appendimus vel metimur? Si enim aliter ea nobis, aliter nostris fratribus dispensemus, recte increpamur a Domino, eo quòd stateras dolosas ac mensuras duplices habeamus, *Ibid.* secundum illam sententiam Salomonis qua dicitur: Abominatio est Domino pondus duplex, & statera dolosa non est bonum in conspectu eius. Hoc etiam modo reatum dolosi ponderis duplicisq. mensuræ euidenter incurrimus, si districtiora quædam, quę priuatim per nostras cellulas exercere cõsueuimus, humanæ laudis cupiditate corã fratribus ostentemus, abstinentiores scilicet & sanctiores apparere affectantes humano conspectui quàm diuino. Qui morbus præcipue non modo vitandus, verumetiam abominandus est nobis. Sed interim a quæstione proposita paulo longius euagati, ad eandem a qua discessimus reuertamur.

*De refectionis tempore atque mensura. Cap. XXIII.*

IGitur prædictorum dierum ita est custodienda solemnitas, vt corporis atque animę cultui prosit magis remissio indulto quàm noceat; quia nec vllius festiuitatis gaudium aculeos carnis obtundere, nec immitis ille aduersarius dierum nouit reuerentia mitigari. Vt ergo & diebus festis statuta consuetudinis solemnitas conseruetur, & saluberrimus parsimonię modus minime transcendatur, sufficit vt indulgentiã remissionis eo vsque progredi patiamur, vt cibus qui hora diei nona fuerat capiendus, paulo citius, id est, sexta hora pro festiuitatis tempore capiatur, ea ratione dumtaxat vt escarum solitus modus vel qualitas non mutetur, ne puritas corporis, vel integritas mentis, abstinentia quadragesimæ diligentius acquisita, quinquagesimæ remissione depereat; nihilq. nobis prosit obtinuisse ieiunijs quod mox amitti cogat incauta † saturitas: præsertim cum etiã hostis *al. securitas.* nostri non ignota versutia, tunc præcipue munitionem nostræ puritatis impugnet, cum eius custodiã senserit solemnitatis celebritate laxatam. Quamobrẽ vigilantissime prouidendum est, ne vmquam mentis nostræ vigor, blandis seductionibus eneruetur, neve, vt supra iam dictum est, castimoniæ puritatem quadragesimæ labore quæsitam, quinquagesimæ requie ac securitate perdamus. Et idcirco nulla penitus in ciborum qualitate vel modo admittatur adiectio, sed ab escis quarum continentia diebus professis integritatem pudicitiæ tuebamur, etiam celeberrimis similiter temperemus; ne lætitia festiuitatis pernicios*issi*mam nobis carnalium incentiuorum suscitans pugnam, *Amos. 8.* vertatur in luctum, illamq. excellentiorem nobis, quæ gaudio incorruptionis exultat festiuitatem mentis eripiat, & incipiamus post breuem carnalis lætitiæ vanitatem, amissam cordis pudicitiam longo pœnitentiæ mœrore defiere. Studendum quinimmo est, vt non frustra ad nos illa prophetic*æ* adhortationis commonitio dirigatur: Celebra *Nahũ 1.* Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua. Si enim continentiæ iugitatem interiecta dierum solemnitas non mutarit, spiritalibus ferijs iugiter perfruemur; & ita nobis a seruili operatione cessantibus, mensis ex mense, & sabbatum red- *Esai. 66.* detur ex sabbato.

*Interrogatio de diuersa obseruatione quadragesimæ.*

GERMANVS. *Cap. XXIV.*

QVid causæ est, vt sex hebdomadibus quadragesima celebretur, licet in quibusdã prouincijs religionis forsitan propensior cura adiecisse hebdomadam etiam septimam videatur, cum neuter numerus die Dominico sabbatoq. subtracto, quadraginta dierum impleat summam? Sex enim & triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodo concluduntur.

*Responsio eo quòd ad anni decimas quadragesimæ ieiunium referatur.*

THEONAS. *Cap. XXV.*

LIcet pia quorũdam simplicitas huius rei amputet quæstionem tamen quia etiam illa, quæ alius interrogatione indigna duxisset scrupulosius perscrutantes integrã obseruantiæ nostrę ac mysterij veritatem desideratis agnoscere, euidentissimam huius etiam rei percipite rationem, vt manifestius approbetis nihil irrationabile nostros tradidisse maiores. Lege Mosaica vniuerso populo generalis promulgata præceptio est: Decimas tuas & primitias offeres *Exod. 22.* Domino Deo tuo. Itaque qui substãtiarum nostrarum omniumq. fructuũ decimas offerre præcipimur, multo magis necesse est, vt ipsius quoque cõuersationis nostræ, & humani vsus, operumq. nostrorum decimas offeramus; quæ profecto in supputatione quadragesimæ euidenter implentur. Omnium enim dierũ numerus, quibus reuolutus in orbem annus includitur, triginta sex semis dierum numero decimatur. In septem vero hebdomadibus si dies Dominici & sabbata subtrahãtur, quinque & triginta supersũt dies ieiu-



nio

nio deputati, sed adiecta illa vigiliarum die, qua vsque in gallorum cantum illucescente Dominica ieiunium sabbati protelatur, non solum sex & triginta dierum numerus adimpletur, verumetiam pro decimis quinque dierum, qui residui videbãtur, si illud quod superadiectum est noctis spatium computetur, plenitudini totius summæ omnino nil decerit.

### *Quomodo etiam primitias nostras Domino debeamus offerre. Cap. XXVI.*

QVid vero de primitijs dicam, quas ab omnibus qui Christo fideliter famulantur quotidie certũ est exhiberi? Nam cum expergefacti a somno, & quasi rediuiua post soporem alacritate surgentes, priusquàm motum sensus vllius corde concipiant, vel memoriam aut curam rei familiaris admittant, cogitationum suarum ortus atque principia, diuinis consecrant holocaustis, quid nisi primitias vere suorum fructuum, per summum sacerdotem Iesum Christum, pro vsu vitæ huius & imagine quotidianæ resurrectionis exoluunt? Quiq. etiam a somno excitati, hostiam iubilationis suæ Deo similiter offerentes, primo linguæ suę motu ipsum inuocant, ipsius nomen laudesq. concelebrãt, atque ad canẽdos ei hymnos, prima labiorũ claustra reserantes, immolant Deo sui oris officia. Cui etiã pari deferunt modo prima manuum suarum gressuumq. libamina, cum e cubilibus consurgentes in oratione cõsistunt, & priusquàm in proprijs causis membrorum suorum fungantur officio, nihil sibi de ministerio eorum ante decerpunt, sed ad ipsius honorem promouent gressum, atque in eius laudatione defigunt; & ita cunctorum motuum suorũ primitias protensione manuum, incuruatione genuum, & totius corporis prostratione persoluunt. Illud enim quod decantatur in Psalmo aliàs implere non possumus: Præueni in maturitate & clamaui. &: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. &: Mane oratio mea præueniet te: nisi vt post quietem somni in hanc lucem, vt supra diximus, velut e tenebris & morte imaginaria reuocati, de vniuersis officijs mentis & corpois nihil omnino in nostris præsumere necessitatibus audeamus. Nullus namque est alius quẽ aut propheta præuenerit matutinus, aut nos præuenire similiter debeamus nisi aut nosmetipsos, ideſt, occupationes nostras & affectus, curasq. mortales,

*Psal. 118*
*Ibid.*
*Psal. 87.*



les, sine quibus esse non possumus, aut suggestiones subtilissimas inimici, quas nobis adhuc quiescentibus ac sopore demersis, per phãtasias inanium somniorum inferre conatur, quibus nos mox euigilaturos occupet & inuoluat, vt primitiarum nostrarum opima deflorãs primus ipse decerpat. Quamobrem omni nobis cautione curandum est, si tamen vim prædicti versiculi opere volumus adimplere, vt ita primos matutinarum cogitationũ ortus sollers vigilantia tueatur, ne quid ex eis feltina præsumptio liuentis attaminet inimici, nostrasq. primitias tamquã viles iam atque communes a Domino faciat reprobari. Qui si præuentus a nobis peruigili mentis circumspectione nõ fuerit, anticipationis nequissimæ consuetudinem non deponens quotidie nos fraudibus suis præuenire non desinet. Et idcirco si placitas & acceptabiles Deo primitias ex fructibus mentis nostræ optamus offerre, non mediocrem solicitudinem debemus impendere, vt omnes nostri corporis sensus, matutinis præcipue horis tamquam sacrosanctа Domini holocausta in omnibus illibata atque intacta seruemus. Quod deuotionis genus multi etiã sęcularium summa cautione custodiunt, qui ante lucem vel diluculo consurgentes, nequaquam familiaribus ac necessarijs mundi huius actibus implicantur, priusquam cunctorum actuum suorum operationumq. primitias, ad ecclesiam concurrentes diuino studeant sacrare conspectui.

### *Cur diuerso dierum numero quadragesima a plerisque obseruetur. Cap. XXVII.*

POrro quod dicitis, diuerso more, id est, sex vel septem hebdomadibus per nonnullas prouincias quadragesimam celebrari, vna ratio, idemq. ieiuniorũ modus diuersa hebdomadarum obseruatione cõcluditur. Hi enim sibi sex hebdomadarum obseruantiam prẽfixerunt, qui putant die quoque sabbati ieiunandum. Sex ergo in hebdomada ieiunia persoluunt, quæ eosdem sex & triginta dies sexies reuoluta consummant.

### *Quare vocetur quadragesima, cum triginta & sex tantummodo diebus ieiunetur. Cap. XXVIII.*

VNa ergo, quemadmodum diximus, ratio, idemq. est ieiuniorum modus, licet in hebdomadarum numero discrepare videatur. Sed profecto cum rationem huius rei humana obliterasset incuria, tempus hoc quo anniuersa-

riæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca



riæ, vt dictum est, decimæ Deo triginta & sex semis ieiunijs offeruntur, quadragesimæ nomen accepit, quòd fortasse vel propter hoc visum sit hoc vocabulo debere censeri,
*Exod.34.* quòd Moses, vel Elias, vel ipse Dominus noster Iesus Chri-
*3.Reg.19* stus quadraginta diebus ieiunasse traduntur. Ad cuius nu-
*Matth.4.* meri sacramentum illi quoque quadraginta anni quibus
*Deut.29.* Israel est in solitudine commoratus, & quadraginta similiter mansiones quibus eam mystice pertransisse describitur, non incongrue coaptantur. Et fortasse ipsa decimatio recte quasi ab vsu telonei quadragesimæ nomen acceperit. Ita enim illa publica vulgo vocatur exactio, ex qua tanta lucri portio regis commodis deputatur, quantum & a nobis a Rege omnium sæculorum pro vsu vitæ nostræ legitimum quadragesimæ vectigal exigitur. Sane licet ad propositam non pertineat quæstionem, tamen quia se obtulit narrationis occasio, nec hoc quidem prætereundum puto, quòd frequentissime seniores nostri idcirco illis diebus maxime impugnari omne monachorum genus antiqua inimicæ gentis consuetudine testabantur, & ad trãsmigrandum de suis sedibus acrius perurgeri, eo quòd secundum illam similitu-
*Exod.5.* dinem, qua tunc Ægyptij filios Israel violentis afflictionibus opprimebant, nunc quoque verum Israel, id est, monachorum plebem intellectuales Ægyptij duris ac lutulentis operibus incuruare conentur, ne per amicam Deo quietem terram Ægyptiam deserentes, ad eremum virtutum salubriter transeamus: ita vt aduersum nos Pharao infremens
*Ibid. sec. lxx.* dicat: Otiosi sunt, & idcirco vociferantur dicentes: Eamus & sacrificemus Domino Deo nostro. Opprimantur laboribus, & soliciti sint in operibus suis, & non sint soliciti in verbis vanis. Nam vtique vanitas impiorum sanctum Domini sacrificium, quod non nisi in eremo liberi cordis of-
*Prou. 29.* fertur, summam esse adstruit vanitatem: Abominatio est enim peccatori religio.

### *Quòd perfecti supergradiantur legem quadragesimæ. Cap. XXIX.*

HAc igitur quadragesimæ lege qui iustus atque perfectus est, non tenetur; nec exigui huius canonis subiectione contentus est, quem profecto illis qui per totum anni spatium delicijs vel negotijs sæcularibus implicantur ecclesiarum principes statuerũt; vt vel hac legali quodammodo necessitate constricti, his saltem diebus vacare Domino



mino cogerentur, ac dierum vitæ suæ quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, vel decimas Domino dedicarent. Ceterum iusti quibus lex nõ est posita, quique spiri- *1.Tim.1.*
talibus non exiguam illam, id est, decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impendunt, quia liberi sunt a decimarum legalium functione, idcirco si eos superueniens honesta & sancta necessitas coartarit, audent stationem ieiunij absque vlla disceptatione laxare. Non enim ab eis decimarũ exiguitas mutilatur, qui omnia sua Domino secum pariter obtulerunt. Quod profecto absque summo fraudis reatu facere ille non poterit, qui nihil voluntarie offerens Deo, inexcusabiliter soluere decimas suas legis necessitate compellitur. Quapropter liquido comprobatur perfectum esse non posse famulum legis, qui vel illa, quæ prohibentur cauet, vel illa quæ præcipiuntur exequitur; sed illos vere esse perfectos, qui etiam his, quæ a lege concessa sunt non vtuntur. Et hac ratione cum de Mosaica lege dicatur: Nihil *Hebr. 7.*
enim ad perfectum perduxit lex; nonnullos sanctorum in veteri testamento perfectos legimus extitisse, quia transcendentes legis imperium sub euangelica perfectione vixerunt, scientes quòd iustis non est lex posita, sed iniustis & *1.Tim.1.*
non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis, contaminatis, & cetera.

### *De causa & initio quadragesimæ. Cap. XXX.*

SCiendum sane hanc obseruantiam quadragesimæ, quãdiu Ecclesiæ illius primitiuæ perfectio inuiolata permansit, penitus non fuisse. Non enim præcepti huius necessitate, nec quasi legali sanctione constricti, artissimis ieiuniorum terminis claudebantur, qui totum anni spatium æquali ieiunio concludebant. Verum cum ab illa apostolica deuotione † desciscens quotidie credentium multitu- *al. discedens*
do suis opibus incubaret, nec eas vsui cunctorum secundum Apostolorum instituta diuideret, sed priuatim im- *Act. 4.*
pendijs suis consulens nõ seruare tantum, sed etiam augere contenderet, Ananiæ, & Sapphiræ exemplum non con- *Act. 5.*
tenta sectari, id vniuersis tunc sacerdotibus placuit, vt homines curis sæcularibus illigatos, & pene (vt ita dixerim) continentiæ vel compunctionis ignaros, ad opus sanctum canonica ieiuniorum indictione reuocarent, & velut legalium decimarũ necessitate compellerent, quæ vtique infirmis prodesse posset, perfectis præiudicare non

posset,qui sub gratia Euangelij constituti voluntaria legem deuotione transcendunt, vt ad illam apostolicæ sententiæ
*Rom. 6.* peruenire beatitudinem possint: Peccatum enim in vobis non dominabitur; non enim estis sub lege, sed sub gratia. Vere enim dominationem in illo non potest exercere peccatum, qui fideliter sub gratiæ libertate consistit.

*Interrogatio quemadmodum intelligi debeat quod ait Apostolus: Peccatum in vobis non dominabitur.*

GERMANVS. *Cap. XXXI.*

QVia non potest fallax hæc Apostoli esse sententia, quæ securitatem non solum monachis sed etiam omnibus Christianis generaliter repromittit, nimium nobis videtur obscura. Cum enim cunctos, qui Euangelio credunt, a iugo & dominatione peccati liberos atque alienos esse pronuntiet, quomodo pene in omnibus baptizatis viget dominatio peccatorum, secũdum sententiam Domini qua ait:
*Ioan. 8.* Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati?

*Responsio de differentia gratiæ & legalium præceptorum.*

THEONAS. *Cap. XXXII.*

QVæstionem nobis rursus immodicã inquisitio vestra commouit; cuius vim licet scia ab inexpertis nec tradi posse nec percipi, tamen inquãtum potero verbis absoluere & breuiter expedire tentabo, si modo intellectus vester ea, quæ dicimus etiam operibus subsequatur. Quæcumque enim non per doctrinam sed per experientiam cognoscũtur, sicut tradi ab inexperto nõ queunt, ita nec mente cõcipi vel teneri, nisi ab eo qui simili studio fuerit atque institutione fundatus. Et idcirco necessarium reor, vt primum diligentius inquiramus, quodnam sit propositum vel voluntas legis, vel quæ gratiæ disciplina atque perfectio, vt consequenter ex his, siue dominationem peccati, siue expulsionẽ eius possimus agnoscere. Itaque lex principaliter iu-
*Esai. 31. sec. lxx.* bet expeti copulam nuptiarum, dicens: Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem. &: Maledicta sterilis quæ non peperit. Econtrario gratia ad incorruptionis perpetuæ puritatem, & castimoniam nos beatæ virgi-
*Luc. 23.* nitatis inuitat: Beatæ, inquiens, steriles quæ non genuerunt,
*Luc. 14.* & vbera quæ non lactauerunt. &: Qui non oderit patrem, & matrem, & vxorem, non potest meus esse discipulus. Et
*1. Cor. 7.* illud Apostoli: Reliquum est, vt & qui habent vxores, tam-
*Exod. 22.* quam non habentes sint. Lex dicit: Decimas tuas & primitias



tias non tardabis offerre; Gratia. *Si vis perfectus esse, vade* *Matt. 19*
& vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Lex conui-
ciorum & iniuriarum non prohibet vltionem, dicens: Ocu- *Exod. 21.*
lum pro oculo, dentem pro dente: Gratia congeminatione iniuriarum vel cædis, quæ fuerint irrogata, nostram patientiam vult probari, & ad duplicis dispendij tolerantiam paratos esse nos præcipit: Qui te percusserit, inquiens, in dex- *Matth. 5.*
teram maxillam, præbe ei & alteram, & illi qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei
& pallium. Illa inimicos odio habendos: Hæc ita dili- *Ibid.*
gendos esse decernit, vt pro ipsis Deo semper censeat supplicandum.

*Quòd leuiora sint Euangelij præcepta quàm legis*

*Cap. XXXIII.*

QVisquis igitur hoc euangelicæ perfectionis culmen ascenderit, iste profecto supra omnem legem tantarũ virtutũ meritis sublimatus, & vniuersa quæ per Mosen præcepta sunt quasi parua despiciens, tantum sub gratia Saluatoris se esse cognoscit, cuius adiutorio se ad illum sublimissimum statum intelligit peruenisse. Non ergo dominatur in eo peccatum, quia charitas Dei quæ diffusa est *Rom. 5.*
in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis, omnem alterius cuiusque rei excludit affectũ, nec potest aut vetita cõcupiscere aut imperata contemnere, cuius totum studium, totumq. desiderium diuino amori semper intentum, vsque adeo vilium rerum oblectatione non capitur, vt etiam his quę concessa sunt non vtatur. In lege autẽ in qua coniugiorum iura seruantur, quamuis cohibita luxuriæ euagatio vni tantum feminæ mancipetur, tamen nequaquam possunt carnalis cõcupiscentiæ aculei non vigere, & difficile est vt ignis cui etiam studiose pabula suggeruntur, ita præfixis terminis includatur, vt non etiam extra euagatus ambulat quidquid attigerit. Cui etiam si sua illa ita semper occurrat obiectio, vt exæstuare extrinsecus non sinatur, tamen etiam dum cohibetur incendit; quia voluntas ipsa culpabilis est, & ad velocissimos adulteriorum raptatur excessus consuetudo concubitus. Ceterum quos gratia Saluatoris sancto incorruptionis amore flammarit, ita omnes carnalium desideriorum spinas Dominicæ charitatis igne consumunt, vt nec tepens fauilla vitiorum refrigerium integritatis imminuat. Legis ergo famuli licitorum

Universidad de Deusto
Biblioteca



torum vsu ad illicita prolabuntur; gratiæ participes dum contemnunt licita, illicita non nouerunt. Sicut autem viuit in coniugij amatore peccatum, ita etiã in eo qui decimas suas ac primitias tantũ est redhibere contentus: necesse est enim eum dum tardat aut negligit, aut in qualitate earum, aut in quantitate, aut in quotidiana distributione peccare. Qui enim iubetur ea quæ sua sunt infatigabiliter indigentibus ministrare, quamlibet ea summa fide ac deuotione dispenset, tamen difficile est, vt non laqueos peccatorum frequenter incurrat. In illis vero qui consilium Domini non spreuerunt, sed omnem substantiam suam pauperibus prę-
*Matt. 16* rogantes, sumpta cruce sua largitorem cælestis gratiæ subsequuntur, peccatum non potest dominari. Non enim eum sacratas iam Christo opes & quasi alienas pia distributione pecunias dispẽsantem, infidelis seruãdi victus cura mordebit, nec eleemosynæ hilaritatem abiget mœsta cunctatio; quia quod semel totum obtulit Deo, id iam alienum sine propriæ necessitatis recordatione, aut angusti victus timore dispergit, qui se certus est cum ad desideratam peruenerit nuditatem, multo magis a Deo quàm volucrem cæli
*Matt. 10* esse pascendum. E contrario is, qui substantiã retinens mundialem, aut decimas fructuum suorum atque primitias, aut partem pecuniarum constrictus legis antiquę sanctione distribuit, licet peccatorum suorũ ignem maxime hoc eleemosynæ rore restinguat; tamen quantauis opes suas magnanimitate dispenset, impossibile est vt se ad plenũ eruat a dominatione peccati, nisi forte per gratiam Saluatoris, cũ re etiam ipsum affectum deposuerit possidendi. Pari modo non potest non cruento peccati imperio famulari, quicum-
*Exod. 21.* que oculum pro oculo, dentem pro dente, ex præcepto legis eruere, aut inimicum suum odio mauult habere; quia necesse est eum dum talionis vicissitudine vlcisci suam optat iniuriam, dum cõtra inimicos odij amaritudinẽ seruat, furoris atque iræ perturbatione semper accendi. Quicumque vero sub euãgeliçæ gratiæ illuminatione versatur, ac malum non resistendo superans sed ferendo, dexteram
*Matth. 5.* percutienti maxillam, etiam alteram præbere voluntarius non moratur; & volenti aduersum se de tunica litigiũ commouere, remittit & pallium; quique diligit inimicos suos, & orat pro calumniantibus se, hic peccati repulit iugum ac vincla dirupit. Non enim viuit sub lege (quæ non interimit



terimit seminaria peccatorum. vnde non immerito de ipsa beatus Apostolus: Reprobatio, inquit, fit præcedentis man- *Hebr. 7.*
dati propter infirmitatem eius & inutilitatem; nihil enim ad perfectum perduxit lex. & Dominus per prophetam: Et *Ezech. 20*
dedi, inquit, eis præcepta non bona, & iustificationes in quibus non viuent in eis) sed sub gratia, quæ non ramos tantum nequitiæ amputat, sed ipsas penitus radices noxiæ voluntatis euellit.

*Quemadmodũ quis probetur esse sub gratia. Cap. XXXIV.*

QVisquis ergo perfectionem euangelicæ studuerit tenere doctrinæ, hic sub gratia constitutus peccati dominatione non premitur. Hoc est enim esse sub gratia, quę a gratia mandantur implere. Quicumque vero perfectionis euangelicæ plenitudini subiectus esse noluerit, nõ ignoret se quamuis baptizatus sibi videatur ac monachus, non esse sub gratia, sed legis adhuc vinculis præpeditum peccati pondere prægrauari. Propositum nãque est eius qui omnes a quibus receptus fuerit gratia adoptionis assumit, non destruere sed superædificare, nec euacuare sed adimplere Mosaicas sanctiones. Quod nonnulli penitus ignorantes, & consiliorum atque exhortationum Christi magnificentiam negligentes, ita præsumptiuæ libertatis securitate soluuntur, vt non solum Christi præcepta tamquam ardua non attingant, verumetiã ipsa illa quæ illis incipientibus paruulisq. Mosaica lege mandata sunt, velut antiquata contemnant, illud quod Apostolus execratur noxia libertate dicentes: Peccabimus, quia non sumus sub lege, sed *Rom. 6.*
sub gratia? Qui ergo nec sub gratia est, quia nequaquam ad Dominicæ doctrinæ culmen ascendit, nec sub lege, quia etiam ipsa illa paruula legis mandata non suscipit, hic dupljci peccatorum oppressus imperio, ob hoc solum gratiã Christi percepisse se credit, vt per noxiam libertatem ab eo fieret alienus; in illud incidens quod Apostolus Petrus ne
incurramus denunciat: Quasi liberi, inquiẽs, agite, & non *1. Petr. 2.*
quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Beatus quoque Apostolus Paulus: Vos enim, inquit, in libertatem vocati *Galat. 5.*
estis fratres, id est, vt absoluti sitis a dominatione peccati; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, id est, frustrationem legalium mandatorum credatis esse licentiam vitiorum. Hæc vero libertas, quia nusquam nisi ibi sit tantum vbi Dominus commoratur, Paulus Apostolus docet:

Universidad de Deusto
Biblioteca



2.Cor. 3. Dominus, inquiens, spiritus est; vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Quapropter nescio vtrum hunc beati Apostoli sensum sicut hi qui experti sunt sapiunt, exprimere atque elucidare potuerim: vnum scio, apertissime illum etiã sine expositione cuiusquam omnibus referari, qui πρακτικὸν, id est, actualem perfecte tenuerint disciplinam. Non enim laborabunt, vt quod iam operando didicerint, intelligant disputando.

*Interrogatio cur interdum propensius ieiunantes carnalibus incentiuis acrius vrgeamur.*

GERMANVS. *Cap. XXXV.*

OBscurissimam quæstionem & multis etiã, vt putamus, incognitã apertissime reuelasti. Vnde vt hoc quoque profectui nostro adijcias deprecamur, vt cur interdũ etiam propensius ieiunantibus nobis, & exhaustis atque defectis, vehementiores pugnæ corporis excitentur, diligenter edisseras. Nam plerumque etiã expergefacti a somno, cum deprehenderimus nos corporalis veneni contagium pertulisse, ita cõscientia deijcimur, vt ne ad ipsam quidem orationem consurgere fiducialiter audeamus.

*Responsio quòd hæc quæstio futuræ collationi debeat reseruari. Cap. XXXVI.*

THEONAS. STudium quidem vestrum, quo perfectionis viam non transitorie, sed plene atque perfecte desideratis attingere, infatigabiliter huic disputationi nos prouocat inhærere: nec enim de exteriore castimonia & circumcisione manifesta, sed de illa quæ in occulto est diligenter inquiritis, scientes in hac visibili carnis continentia, perfectionis plenitudinẽ non inesse, quæ haberi vel per necessitatẽ, vel per hypocrisim etiã ab infidelibus potest, sed in illa cordis voluntaria & inuisibili puritate, quam beatus Apostolus ita prædi-

Rom. 2. cat: Non enim qui in manifesto Iudæus, neque quæ in manifesto in carne est circũcisio, sed qui in occulto Iudæus, & circumcisio cordis in spiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est, qui solus scilicet cordium secreta rimatur: tamen quia satisfieri desiderio vestro ad plenũ modo non potest (breue enim quod supereſt spatium noctis, ad indagandam hanc abstrusissimam non sufficit quæstionem) cõgruum reor vt interim differatur. Sensim enim hæc & corde ab omni cogitationum strepitu penitus absoluto, vt a nobis proferri, ita vestris debent mentibus intimari;



mari; quæ sicut propter conscientiæ purificationẽ oportet inquiri, ita nisi ab eo qui donũ integritatis expertus est, tradi assignariq. non possunt. Non enim quæritur quid inanium argumenta verborum, sed quid interna conscientiæ fides & maior vis veritatis inculcet. Et idcirco de emundationis huius scientia atque doctrina, nec proferri aliquid nisi ab experto, nec transfundi quidquam potest, nisi in cupidissimum valdeq. solicitum virtutis ipsius amatorem, qui non eam vacuis nudisq. sermonibus suscitando, sed totis animi viribus annitendo optet attingere; scilicet nõ studio loquacitatis infructuosæ, sed desiderio puritatis internæ.

*COLLATIONIS PRIMÆ abbatis Theonæ de remissione Quinquagesimæ, Finis.*

# COLLATIO XXII. QVÆ EST SECVNDA ABBATIS THEONÆ.

## DE NOCTVRNIS Idõlorũ VISIONIBVS.

*De iterato reditu nostro ad abbatem Theonam, eiusq. exhortatione. Cap. I.*

POST dies ferme septem, Quinquagesimæ solemnitate transacta, cum ipso noctis initio, id est, post synaxin vespertinam promissæ disputationis expectatione suspensi, sancti Theonæ cellam fuissemus ingressi, alacer senex hilari ac blando vultu nos prior sermone compellans: Mirabar, inquit, ardentissimum studium vestrum his septem diebus absolutionem quæstionis propositæ potuisse differre, & debitori suo præcipue

Universidad de Deusto
Biblioteca



non roganti, dilationem tanti temporis præstitisse. Iustissimum proinde est, vt quia vltro mihi beniguitas vestra tam largas concessit inducias, ego quoque moram in debiti redditione non faciam. Grata namque est huius fœnoris occupatio, quæ maiora, dum soluitur, augmenta conquirit; & non solum percipiẽtem ditat, verum etiam nihil imminuit largienti. Duplices siquidem congregat quæstus rerum spiritalium dispensator. Lucrum enim non solum in illius, qui audit profectu, verum etiam in sua disputatione consequitur, non minus semetipsum ad desiderium perfectionis accendens, dum instruit auditorem. Quamobrem vester ardor, meus profectus est; vestra solicitudo, mea compunctio est. Nam vtique & ipse nunc mente torperẽ, nihilq. in meo corde de his, quæ expetitis, retractarem, nisi me vester feruor atque expectatio ad rerum spiritalium recordationem suscitaret quodãmodo dormitantem. Et idcirco proferatur in medium quæstio si videtur, cuius pridem pro angustia temporis absolutionem procrastinare maluimus.

*Commemoratio interrogationis nostræ, cur maiorem abstinentiam maior interdum carnis impugnatio subsequatur. Cap. II.*

HOc enim, ni fallor, inquisitio vestra complexa est, cur interdum remissius ieiunãtes, leuioribus carnis huius aculeis titillemur, & nonnumquam districtius abstinentes, afflicto exhaustoq. corpore, incẽtiuis acrioribus vrgeamur, ita vt quodammodo patefecit vestra confessio, experrecti reperiamus nos humorum naturalium egestione respersos.

*Quòd triplici ratione proueniat genitalis fluxus egestio. Cap. III.*

HVius ergo infestationis triplicẽ causam nostri prodidere maiores, quæ modum temporis cõstituti intempestiuis irrumpat excessibus. Aut enim superflua escarũ inmietate congeritur, aut per incuriam mentis elabitur, aut inimici illudentis insidijs prouocatur. Primum igitur gastrimargiæ, id est, voracitatis vel gulæ vitiũ, hanc redundãtiam obscœni humoris extrudit. Nã & cũ districtioris abstinentię tempore statũ polluit puritatis, nõ de præsenti vt putatis inedia, sed de nimietate præteritæ saturitatis effunditur. Quod enim per voracitatis ingluuiẽ concretum fuerat in medullis, necesse est vt per pruritum, aut certe per ignorantiam quamuis magno ieiunio tabefacti corporis egeratur.



tur. Quamobrem nõ solũ a lautioribus epulis abstinẽdum, sed etiam a vilioribus cibis æquali est continentia tẽperandũ; immo ipsius etiã panis & aquæ satietas est cauenda, vt possit diu in nobis acquisita corporis puritas permanere, atque imitari quodãmodo intemeratã spiritus castitatẽ, licet nos necesse sit confiteri, interdũ etiam absque vlla mẽtis industria, vel per temperiem corporũ, vel per ætatis maturitatem, quosdam rarius sordidari, vel certe fluxus istius egestione non pollui. Sed alterius meriti est, qui pacẽ inerti felicitate consequitur, alterius qui triumphũ glorioſis virtutibus promeretur. Huius enim potentia vitiorũ omnium debellatrix digna miraculo est, illum quem facultas boni in sua tuetur ignauia † cẽsendum magis duxerim securitate quã laude. ] Secunda impuri illius profluuij causa est, si mens spiritalibus studijs atque exercitijs vacuata, nec disciplinis interioris hominis instituta, quendam sibi segnitiæ situm per consuetudinem continui torporis obduxerit, aut cum sordidarum cogitationũ minutias non cauẽdo, ita illam cordis sublimissimã puritatem segniter concupiscit, vt omnem perfectionis & castimonię summam in sola credat exterioris hominis castigatione cõsistere. Cuius erroris atque socordiæ vitio consequenter eueniet, vt non solum cogitationum multimoda peruagatio, inuerecũde atque procaciter secretum mentis irrumpat, sed etiam pristinarum omnium passionũ intra eam semina perseuerent. Quæ quãdiu in eius abditis delitescunt, quamuis rigido corpus ieiunio castigetur, tamen nihilominus dormientem illecebrosis phantasmatibus inquietãt. Quarum ante legitimi temporis cursum, non iam ex naturæ necessitate, sed adhuc ex fraude nequitiæ obscœni eliciantur humores, qui non tam inanitate carnis, quàm mentis circumspectione atque virtute si inhiberi penitus nequeunt, saltem ad illam egestionis simplicem qualitatem, auxiliante Dei gratia, perducantur. Ideoque in primis discursus sunt sensuum coercendi, ne mens istis excessibus assuefacta, ad fœdiora incitamenta luxuriæ somnians pertrahatur. Tertia causa est, cum per ordinatam quidem atque solicitam continentiæ disciplinam, cõtritione cordis & corporis perpetuam castimoniæ puritatem optamus acquirere, sed nos vtilitati carnis ac spiritus egregie consulentes, fraudulentissimi hostis ita impugnat inuidia, vt dum deijcere fiduciam conscientiæ

*al. dignũ magis dixerim mi ſeratione quàm laude.*

nostræ,

nostræ, nosq. velut reatu aliquo humiliare conatur, illis præcipue diebus, quibus maiore merito integritatis desideramus diuino placere conspectui, absque vllo quidem carnis pruritu, mentisve consensu, nec per illusionem phantasmatis alicuius, sed tantum simplici fluxus illius egestione nos polluit, vt a sacrosancta communione deterreat, licet in quosdam incipientium, & quorum corpora necdum longa ieiuniorum castigatione tenuata sunt, ob hoc diabolica factione hæc euenire credatur illusio, vt cum eos intentioribus ieiunijs studere cognouerit, omnes eorum conatus hac arte subuertat, vt dum se non solum nihil ad puritatem corporis districtiore ieiunio profeciſſe, verum etiam grauius se sentiunt fuisse pulsatos magistram incorruptionis ac puritatis altricem abstinentiæ districtionem, tamquam æmulam perhorrescant. Quapropter nosse debemus nō idcirco nos tantum ab vnoquoque vitio debere purgari, quia suis perturbationibus nostrū occupet sensum, sed quia cōtentū non sit solū absque aliorū consortio dominari, sed intromisso omniū vitiorū diriore collegio, subditā sibi mentē multiplicata captiuitate populetur. Et idcirco gastrimargia vincenda est, nō propter se tantū, ne scilicet onerosa nos voracitate corrūpat, nec propter hoc solū, ne carnalis cōcupiscentiæ nos igne succēdat, sed ne etiā iracundiæ vel furoris atque tristitiæ, ceterarumq. omnium passionum faciat esse mancipia. Nam cū nobis esca ac potus vel minus, vel negligentius, vel tardius ministratur, si gulæ dominatione deprimimur, cōsequens est, vt etiā iracundiæ stimulis incitemur. Et rursus voluptuosis saporibus demulceri absque philargyriæ peste non possumus, per cuius superfluos apparatus magnis luxuria gaudet impendijs. Philargyriæ vero, cenodoxia, atque superbia, & oīum multitudo vitiorū, indiuidua societate iungūtur, atque ita vnūquodque vitiū si vigere in nobis vel solū cœperit, etiā ceteris suggerit incremēta.

*Interrogatio an ad sacrosanctam communionem accedere liceat, nocturna illusione pollutum.*

GERMANVS. *Cap. IV.*

DIspensatione Dei credimus hanc quæstionem in medium fuisse prolatam, vt illud quod verecūdia interrogandi fiduciam cohibente, numquam potuimus edoceri, nunc oportunitate collationis causæq. ipsius ordine prouocati, scisciari fiducialiter audeamus. Si igitur eo tempore quo



quo accedi oportet ad sacrosancta mysteria, senserimus nos somni illusione pollutos, præsumenda est, an vitanda illa salutaris escæ sacrosancta perceptio?

*Responsio, quando reatum contrahat hæc passio dormienti. Cap. V.*

THEONAS.

OMni quidem industria quantum in nobis est studere debemus, vt immaculatam castimoniæ puritatem illo vel maxime tempore teneamus, quo venerandis assistere debemus altaribus, & vigilantissima circumspectione cauendum est, ne carnis integritas præcedente tempore custodita, in ea præcipue in qua nos ad communionem salutaris conuiuij præparamus nocte, frauderur. Verum si hostis ille nequissimus, vt nobis cælestis remedij subtrahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit, ita dumtaxat vt nullo reprehensibili interueniēte pruritu, nullo oblectationis contaminetur assensu, sed egestionem aut naturali necessitate propulsam, aut certe impugnatione diaboli absque sensu voluptatis elicitam, ad impedimentum nostræ sanctificationis obtenderit, possumus & debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere. Sin vero nostro vitio hæc fuerit egesta concretio, conuenientes conscientiam nostram illud apostolicum formidemus: Qui manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem primum seipsum homo, & sic de pane illo manducet & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non discernens corpus Domini: id est, nequaquam illum cælestem cibum a communium escarum vilitate secernens, nec talem esse dijudicans, quem non nisi pura liceat mēte vel carne præsumere. Denique infert: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi; spiritales scilicet infirmitates ac mortes ex hac præsumptione dicens specialiter generari. Multi enim qui eum illicita vsurpatione præsumunt, infirmātur fide, & imbecilli sunt mente, passionum scilicet lāguoribus inuoluti, & dormiunt somno peccati, ab hoc sopore letali nequaquam salutari solicitudine resurgētes. Deinde sequitur: Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, nō vtique iudicaremur; hoc est, si nosmetipsos perceptione sacramentorum quotiescumque peccati vulnere præuenimur, iudicaremus indignos, impēderemus vtique studiū, vt per pœnitudinis emendationem ad

*1.Cor.11*

*Ibid.*

*Ibid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad ea digne possemus accedere, & non tamquam indigni
*al. saui-ssimis* † seuerissimis infirmitatum flagris castigaremur a Domino, vt vel sic compuncti ad remedia nostrorum vulnerum recurramus, ne digni præsentis sæculi breuissima correptione non habiti, in futuro simul cum huius mundi peccatoribus condemnemur. Quod etiam in Leuitico euidenti denuntiatione præcipitur: Omnis mundus manducabit
*Leuit.7. sec.lxx.* carnes, & anima quęcumque comederit de carnibus sacrificij salutaris, quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino. In Deuteronomio quoque a spiritalibus castris immundus similiter mystice segregatur:
*Deut.23.* Si fuerit, inquit, inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra.

### *Quòd nonnumquam etiam inimici factione hæc contingat illusio. Cap. VI.*

VErum vt manifestius approbetur, quòd etiam inimici factione nonnunquam hæc eliciatur impuritas; nouimus fratrem, qui cum castimoniam cordis & corporis summa circumspectione atque humilitate promeritam, iugiter possideret, ac nequaquam nocturnis ludificationibus tentaretur, quotiescumque se tamen ad percipiendã communionem Dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens fœdabatur. Qui cum multo se tempore a sacrosanctis mysterijs trepidus abstineret, tandem hanc ad seniores detulit quæstionem, remedium impugnationum ac doloris sui, medicabili eorum consilio cõsecuturum se esse confidens. Sed cum primam causam morbi huius spiritalium medicorum doctrina discuteret, quæ solet ex abundanti ciborum perceptione descendere, eamq. memorato fratri deprehenderent non inesse, atque hanc illusionẽ nequaquam vitio saturitatis constaret emergere, eo quòd nec fratris nota districtio, nec solemnium dierũ quibus illa pollutio contingebat specialis exceptio hoc illos pateretur opinari, ad secundam huius valitudinis causam ilico transtulerũt inquisitionis indaginem, discutientes ne animæ forsitan culpa, caro exhausta ieiunio, impuris illusionibus vrgeretur, quibus etiam districtissimi viri, cum paululum elati de sui corporis fuerint puritate, per superbiæ vitium polluuntur, quod scilicet donum præcipuum Dei, id est, corporis castitatem,



tatem, humanis se viribus obtinuisse crediderint. Interrogatus igitur vtrũ industriam suam ita capacẽ huius crederet esse virtutis, vt ope diuini non egeret auxilij, summa hunc impium sensum execratione detestans, cum se humiliter adstruxisset ne ceteris quidem diebus corporis puritatem retinere potuisse, nisi diuina in omnibus gratia fuisset adiutus: illi confestim ad causam tertiam recurrentes, occultas diabolicæ factionis insidias peruiderunt, probantesq. nec animæ culpam esse, nec carnis, sacrosanctis eum epulis debere misceri confidentissime censuerunt, ne scilicet si in hac obstinatione durasset, versutis maligni hostis laqueis obligatus, sanctificationis & corporis Christi particeps esse non posset, & per hanc fraudẽ medicina remedij salutaris in perpetuũ fraudaretur. Quo facto ita omnis diabolicę factionis scena detecta est, vt mox virtute Dominici corporis protegente, illa præteritæ illusionis consuetudo cessaret; in quo inimici dolus euidenter apparuit, & exposita est pariter ac probata sententia seniorum, quæ plerumque hunc impurissimum fluxum nõ carnis, nec animæ vitio, sed aduersarij factiosa docuit ludificatione propelli. Vt ergo fallax imaginatio somniorũ, illectrix egestionis impuræ, vel in perpetuũ, vel certe secundũ humiliorẽ (siue cõmunẽ dixerim) statum certis mensibus ignoretur, post illam fidem, qua de Dei specialiter gratia puritatis donum iugiter sperare nos conuenit, escæ potusq. est nimietas castiganda. Horũ namque redundantia istiusmodi humores propensius gigni necesse est, qui quoniam concreti nõ possunt nõ egeri, atque ab ipsius naturę lege propelli, sub occasione cuiuscũque pruritus atque illusionis emergũt. Escarũ vero satietate subtracta, cõsequens est illas quoque immũdas egestiones tardius generari, & ita fit vt quemadmodum fluxus earum, ita etiã illusio dormientes vel rarius, vel subtilius inquietet; quia non solum egestio ex imaginatione, sed imaginatio ex egestionis nimietate descendit. Quapropter si volumus ab illusionũ istarum illecebris liberari, omni virtute nobis est enitendũ: Primũ, vt fornicationis passione deuicta, iuxta beatum Apostolũ, nõ regnet peccatum *Rom. 6.* in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentijs eius. Secundo, vt ipso quoque illecebroso corporis motu sedato penitus ac sopito, nequaquam exhibeamus membra *Ibid.* nostra arma iniquitatis peccato. Tertio, vt interiore quoque

que homine noſtro, ab illa libidinis titillatione omnimodis ac medullitus mortificato, exhibeamus nos Deo tamquam ex mortuis viuentes, & ita per hunc profectum peruenientes ad perpetuam quietem corporis noſtri, exhibeamus etiam membra noſtra arma non iam libidinis, ſed iuſtitiæ Deo. In qua nobis caſtimoniæ puritate fundatis, peccatum in nobis iam non dominabitur. Nõ enim ſumus ſub lege, quæ dum licita nuptiarum iura commendat, etiam illum cuius miniſterio opus illicitæ fornicationis expletur, in noſtris medullis nutrit ac reſeruat ardorem; ſed ſub gratia, quæ dum incorruptionem virginitatis inſinuat, etiam iſtum innoxium ac ſimplicem corporis motum, & ipſius quoque liciti coitus interimit † voluptatẽ, atque ita cunctis impuriſſimæ colluuionis humoribus arefactis, egregij ac laudabiles eunuchi qui per Eſaiam prædicantur, effecti, merebimur illam quæ eis repromittitur beatitudinẽ poſſidere. Hæc enim ait Dominus eunuchis: Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filijs & filiabus; nomen ſempiternum dabo eis, quod nõ peribit. Qui ſunt filij & filiæ, quibus intantum iſti præferuntur eunuchi, vt etiam locum ac nomen melius accepturi eſſe dicantur, niſi illi ſancti qui ſub veteri teſtamento in coniugiorum copula permanentes, per obſeruantiam mandatorum in adoptionem filiorum Dei non immerito peruenerunt? Quod etiam nomen eſt illud quod eis velut præcipuum quiddam vice remunerationis ſummæ promittitur, niſi hoc quòd Chriſti vocabulo dicuntur eſſe cenſendi? De quo nomine & alibi idem propheta: Et ſeruos ſuos, inquit, vocabit nomine alio, in quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo amen; & qui iurat in terra, iurabit in Deo amen. & iterum: Et vocabitur, inquit, tibi nomen nouum quod os Domini nominauit. Quique pro hac cordis & corporis puritate, etiã illa præcipua ac ſingulari beatitudine perfruentur, vt illud cãticum iugiter canant, quod nemo alius ſanctorum canere poteſt, niſi iſti ſoli qui ſequuntur agnum quocumque vadit: Virgines enim ſunt, & cum mulieribus ſe non coinquinauerunt. Proinde ſi ad hanc ſublimiſſimam virginum gloriam volumus peruenire, omni virtute incorruptionem mentis ac ſpiritus excolamus, ne in illarum inſipientium virginum numero

*Ibid.*

*Ibid.*

*al. voluntatem*

*Eſai. 56.*

*Eſai. 65.*

*Eſai. 62.*

*Apoc. 14.*



mero collabamur, quibus idcirco non fuit reputata virginitas, quia a commixtione carnali immunes ſe tantummodo ſeruauerunt, & ob hoc virgines quidem, ſed fatuæ nuncupantur, quia deficiente in vaſis eorum oleo puritatis internæ, claritas ac ſplendor corporalis virginitatis extinguitur. Interioris enim fotu ac pabulo puritatis, ſubminiſtrari neceſſe eſt etiam exteriori homini caſtitatem, eamq. iugiter ad perſeuerantiam perpetuæ incorruptionis animari. Et ideo fatuæ illæ virgines glorioſum ſponſi thalamum cum illis prudentibus non merentur intrare, quæ integrum ſpiritum ſuum, & animam, & corpus ſine querela in die Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruarunt. Illi namq. ſunt veri atque incorrupti virgines Chriſti, illi admirabiles atque egregij reputantur eunuchi, non qui metuunt, ſed quibus non libet fornicari, nec qui impudicitiæ reprimunt fræna, ſed qui ipſam quoque minimam mẽtis titillationẽ & tenuiſſima libidinis incitamenta vicerunt, & eo vſque extenuauerunt illum carnis (vt ita dixerim) ſenſum, vt non ſolum ex commotione eius nulla oblectatione, ſed ne exigua quidem titillatione tangantur.

*Matt. 25.*

*1. Theſſ. 5*

*Quòd numquam dignum ſe communione Dominica quiſpiam debeat iudicare.* Cap. VII.

TAnta autem cor noſtrum humilitatis debemus vallare cuſtodia, vt hanc definitionem perpetua ſenſuum ſtabilitate teneamus, nequaquam nos poſſe ad tantum purificationis meritum peruenire, vt licet hæc, quæ ſupra dixi, per Dei gratiam omnia fecerimus, dignos tamen nos communione ſacri corporis eſſe credamus. Primum quia cæleſtis illius mannæ tanta maieſtas eſt, vt nemo hac lutea carne circumdatus pro ſuo merito eius edulium, & non ex gratuita Domini largitate percipiat. Deinde quia nullus ita circumſpectus in huius mundi poteſt eſſe cõflictu, vt eum ſaltem rara vel leuia peccatorum tela nõ feriant, quia impoſſibile eſt, vt non aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut neceſſitate, aut oblitione peccetur. Nam & ſi ad tam præcelſum quis virtutũ culmen aſcenderit, vt apoſtolicũ illud non iactanter exclamet: Mihi autem pro minimo eſt vt a vobis dijudicer, aut ab humano die; ſed neque me ipſum iudico: nihil enim mihi conſcius ſum; ſciat ſe tamen abſque peccato eſſe nõ poſſe. Neque enim fruſtra idẽ doctor adiunxit: Sed non in hoc iuſtifi-

*1. Cor. 4.*

*Ibid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



iustificatus sum; id est, non si ego iustum me esse credidero, veram confestim iustitiæ gloriam possidebo; vel quia me conscientia mea nullius peccati reprehẽsione compungit, idcirco nullius sordis contagione fuscatus sum: multa enim meam conscientiam latent, quæ cum sint mihi incognita vel obscura, Deo nota atque manifesta sunt. Ideoque
*Ibid.* subijcit: Qui autem me iudicat, Dominus est; idest, ab illo solo, quem secreta sordium non latent, verum iudicij in me profertur examen.

*Obiectio eo quòd omnes Dominica cõmunione priuandi sint si*
GERMANVS. *nullus est absque peccato. Cap. VIII.*

SVpra dictum est non nisi sanctos cælestium sacramentorum esse debere participes, nũc adijcitur impossibile esse homini, vt immunis sit penitus a delicto. Si nullus ergo liber a noxa, nullus est sanctus, & consequens est vt homo cui sanctitas deest, mysteriorum Christi particeps esse non possit; regnum etiam cælorum sperare non debeat, quod solis sanctis Dominus pollicetur.

*Responsio eo quòd multi sancti esse possint, nemo tamen absque*
THEONAS. *peccato nisi Christus. Cap. IX.*

MVltos quidem esse sanctos ac iustos negare non possumus, sed inter sanctum & immaculatũ multa distantia est. Aliud est enim esse quempiam sanctum, id est, diuino cultui consecratum (hoc enim nomen nõ solum homi-
*Psal. 23.* nibus, sed etiam locis, & vasculis templi, atque lebetibus, at-
*Num. 31* testante scriptura, cõmune est) aliud est autem esse absque peccato, quod vnius Domini nostri Iesu Christi singulariter cõuenit maiestati; de quo etiam Apostolus velut præci-
*1. Petr. 2.* puum quid ac speciale pronunciat, dicens: Qui peccatum
*ex Esai. 53.* non fecit. Satis enim vilem atque indignam eius præconijs laudem quasi incõparabile ac diuinum ei aliquid assignauit, si etiam nos illibatam ab omni peccato possumus tran-
*Hebr. 4.* sigere vitã. Rursus Apostolus ad Hebræos: Non enim habemus, inquit, pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia secundum similitudinem absque peccato. Si igitur etiã terrenæ humilitatis nostræ, cum illo excelso diuinoq. pontifice hæc potest esse communio, vt etiã nos absque vlla peccati offensione tentemur, cur in illo hoc Apostolus velut vnicum ac singulare suspiciens, tanta eius meritum ab vniuersis hominibus diuisione discreuit? Hac ergo sola ab omnibus nobis exceptione



ptione distinguitur, quia nos nõ absque peccato, illum sine peccato constat fuisse tentatum. Quis etenim hominum quamuis fortis atque bellator sit, hostilibus tamen telis plerũque non pateat? Quis velut impenetrabili carne circũdatus, tantis præliorum periculis sine periculo misceatur? Ille autem solus, speciosus forma præ filijs hominum, cõdicio- *Psal. 44.*
nem mortis humanæ cum vniuersa carnis fragilitate suscipiens nullius vmquam est sordis maculatus attactu.

*Quòd solus filius Dei absque ullo peccati uulnere uicerit tentatorem. Cap. X.*

TEntatus est autem secundum similitudinem nostram *Hebr. 4.*
gastrimargiæ primum vitio, vt ei callidus ille serpens eo ordine quo Adam ante seduxerat esuriẽti escæ desiderio *Gen. 3.*
conaretur illudere: Si filius, inquiens, Dei es, dic vt lapides *Matth. 4.*
isti panes fiant. Sed nullum recipiens ex hac tentatione peccatum, cũ ei facultas indubitata suppeteret, respuit cibum quẽ deceptionis artifex ingerebat, dicens: Non in solo pane *Ibid. ex*
viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Deut. 8.*
Tentatus est etiam cenodoxia secundum similitudinẽ nostrã, cum ei dictũ est: Si filius Dei es, mitte te deorsum: sed *Ibid.*
subdola diaboli suggestione non captus est, & vanissimum seductorem etiã scripturarũ obiectione confutans: Nõ ten- *Ibid. ex*
tabis, inquit, Dominũ Deum tuũ. Tentatus est etiã tumo- *Deut. 6.*
re superbiæ secundũ similitudinem nostrã, cum ei a diabolo promitterentur omnia regna mundi & gloria eorum; sed irrisa atque obiurgata est † nequitia tentatoris. Respondit *al. vanitas*
enim ei: Vade satana: scriptum est enim, Dominum Deum *Ibid. ex*
tuum adorabis, & illi soli seruies. His autem testimonijs *Deut. 6.*
edocemur, vt fraudulẽtis suggestionibus inimici nos quoque similiter memoria scripturarum debeamus obsistere. Rursum tentatus est superbia secundũ similitudinẽ nostrã, cum idem insidiarum artifex, regnũ quod ab ipso oblatum ante respuerat, per homines ei moliretur ingerere; sed absque peccato insidias tentantis irrisit. Cum enim cognouis- *Ioan. 6.*
set Iesus, quòd venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montẽ ipse solus. Tentatus est secundum similitudinem nostram, cum verberatus flagris, *Matt. 27.*
cum palmis cæsus, cum sputorum horrore respersus est, cũ ad extremum pertulit crucis exquisita supplicia; sed nullis vmquam non dicam contumelijs, verum ne supplicijs quidem ad tumorem vel leuissimæ indignationis impulsus

est, quin in patibulo constitutus misericorditer proclamauit: Pater ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt. *Luc.23.*

*Quòd in similitudine carnis peccati solus venerit Christus. Cap. XI.*

QVemadmodum vero & illud accipietur, quod eũ Apostolus in similitudine carnis peccati venisse commemorat, si etiam nos nulla peccati labe pollutam habere possumus carnẽ? Nam & hoc de illo, qui solus est absque peccato tamquã singulare memoratur: Misit Deus filium suũ in similitudine carnis peccati; quia verã atque integrã suscipiens substantiã carnis humanæ, non ipsum peccatũ in ea, sed similitudinẽ peccati suscepisse credẽdus est. Similitudo enim nõ ad carnis veritatẽ, secundum prauum quorundam hæreticorum sensum, sed ad peccati est imaginem referẽda. Erat enim in ipso vera quidem caro, sed absque peccato, similis scilicet peccatrici. Illud siquidẽ ad humanæ substantiæ pertinet veritatẽ, hoc vero ad vitia referuntur & mores. Habebat similitudinem carnis peccati, cum velut homo ignarus ac pro cibo solicitus quæreret: Quot panes habetis? sed sicut peccato nequaquam caro illius, ita nec anima ignorantiæ subiacebat. Denique statim Euãgelista subiungit: Hoc autẽ dicebat tentãs eum, ipse enim sciebat quid esset facturus. Habebat carnẽ similem peccatrici, cum velut sitiens a Samaritana muliere poscereț potũ, sed non erat peccati sorde polluta, quia econtrario mulier prouocata est petere aquã viuam, quę illam numquã sitire permitteret, sed fieret in ea fons aquæ salientis in vitã æternã. Habebat carnis istius veritatẽ cum dormiret in naui, sed neque pariter nauigantes peccati similitudine fallerentur, surgens increpauit ventos & mare, & facta est tranquillitas magna. Communi cum omnibus sorte peccato subditus videbatur, cum diceretur de ipso: Hic homo si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eũ, quia peccatrix est: sed peccati non habuit veritatem, quia blasphemam cogitationem arguens Pharisæi, statim mulieri peccata dimisit. Peccatricem cum ceteris carnem gerere putabatur, cum velut homo in mortis discrimine cõstitutus, & imminentium suppliciorũ terrore perculsus oraret: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. &: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sed peccati contagium nesciebat illa tristitia, quia vitæ auctor mortem formidare nõ poterat. Ait *Rom. 8.* *Matt. 15* *Ioan. 6.* *Ioan. 4.* *Luc. 8.* *Luc. 7.* *Ibid.* *Matt. 26.* *Ibid.*



Ait enim: Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. *Ioan. 10.*

*Quòd iusti, & sancti omnes non fuerunt in similitudine, sed in veritate peccati. Cap. XII.*

IN hoc ergo ille homo qui natus ex virgine est, magna a cunctis, qui ex vtriusque sexus cõmixtione producimur, distantia segregatur, quòd cum omnes non similitudinem sed veritatem peccati in carne gestemus, ille non veritatem, sed similitudinem peccati in veræ carnis assumptione suscepit. Denique licet scriptum de eo in Esaia propheta Pharisæi apertissime meminissent: Qui peccatum nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; tamen ita similitudine carnis peccati fallebantur, vt dicerent: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorũ & peccatorum amicus. Et ad illum qui illuminatus fuerat cæcum: Da gloriam Deo, nos enim scimus quia hic homo peccator est. Et ad Pilatũ: Nisi esset hic malefactor, non vtique eũ tradidissemus tibi. Huius ergo rei, quæ illi tãtum singularis ac propria est, æqualitatem sibi blasphemæ superbiæ crimine vindicabit, quisquis se esse sine peccato ausus fuerit profiteri. Consequens enim est, vt similitudinem carnis peccati, & non veritatem peccati habere se dicat. *1. Petr. 2.* *ex Esa. 53* *Matt. 11.* *Ioan. 9.* *Ioan. 18.*

*Quòd non sint tam grauia peccata sanctorum, vt eis auferãt meritum sanctitatis. Cap. XIII.*

CEterum iustos ac sanctos viros nõ esse immunes a culpa, manifeste scriptura pronuntiat, dicens: Septies in die cadit iustus & resurgit. Quid enim aliud est cadere, quàm peccare? Et tamen cum dicatur septies cadere, iustus nihilominus pronuntiatur, nec iustitiæ eius præiudicat lapsus fragilitatis humanæ, quia multum interest inter sancti & peccatoris hominis lapsum. Aliud enim est admittere mortale peccatum, & aliud est cogitatione quæ peccato nõ careat præueniri, vel ignorantiæ, aut obliuionis errore, aut facilitate otiosi sermonis offendere, aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæsitare, aut subtili quadam cenodoxiæ titillatione pulsari, aut necessitate naturæ aliquantisper a summa perfectione recedere. Hæc enim sunt septem lapsuum genera, in quibus vir sanctus licet nonnumquam cadat, tamen iustus esse non desinit; quæ quamuis leuia videantur ac parua, tamen faciunt eum sine peccato esse *Prou. 24.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



non posse. Haber enim pro quibus quotidianã gerens pœnitudinẽ, & veniam veraciter debeat postulare, & pro suis
*Matth.6.* indesinenter orare peccatis, dicens: Dimitte nobis debita nostra. Et vt euidentissimis probemus exemplis & etrasse nonnullos sanctorum, & tamen a sua non discessisse iustitia, certe ille beatissimus & Apostolorum eximius Petrus, quid aliud credendus est fuisse quàm sanctus, præsertim id
*Matt. 16* temporis quo ei a Domino dicebatur: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus
*Ibid.* qui in cælis est. &: Tibi dabo claues regni cælorũ, & quodcũque ligaueris super terrã, erit ligatũ & in cælis; & quodcumque solueris super terrã, erit solutum & in cælis? Quid hac Dominica laude præclarus? quid hac potestate ac beatitudine potest esse sublimius? & tamen post paululum, cũ ignorans mysterium passionis, tantæ vtilitati humani generis inscius obuiaret, dicens: Absit a te Domine, non erit tibi
*Ibid.* hoc; ilico meretur audire: Vade post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Numquid nam cum his eum verbis ipsa æquitas increparet, aut nequaquã cecidisse, aut in sanctitate atque iustitia non permansisse credendus est? Quid? illo etiam tẽpore numquid ruinam manifeste negandus est pertulisse, quo
*Matt. 26* imminente persecutorum metu, ter Dominum negare cõpulsus est? Sed confestim pœnitudine subsequente amarissimis lacrymis maculam tanti criminis abluendo, sanctitatis atque iustitię merita non amisit. De ipso igitur ac de eius similibus sanctis illud etiam quod a Dauid canitur, debe-
*Psal. 36.* mus accipere: A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet nimis. Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Cuius enim gressus a Domino diriguntur, quid aliud potest esse quàm iustus? Et tamẽ de hoc ipso dicitur; Cũ ceciderit nõ collidetur. Quid est, cum ceciderit, nisi cũ lapsum peccati alicuius incurrerit? Non collidetur, inquit, id est, nequaquã diu opprimetur incursione peccati, sed licet ad præsens videatur elisus, tamen diuino, quod implorat erectus auxilio, celeri resurrectione stabilitatẽ iustitiæ nõ amittet; vel etiã si ad præsens per fragilitatẽ carnis amiserit, suppositio manus Dominicæ reparabit. Nec enim sanctus esse desinit post ruinã, qui cum se fiducia operum suorum iustificari non posse cognoscat, & a tantis peccatorum nexibus credat sola Domini gratia



gratia liberandum, cum Apostolo proclamare non desinit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. *Rom.7.*

*Quomodo intelligendum sit illud Apostoli: Non enim quod volo facio bonum. Cap. XIV.*

NAm cum Apostolus Paulus inæstimabilem puritatis abyssum, resistentibus cogitationum æstibus penetrari ab homine non posse cognoscens, diu velut per profunda iactatus, ante dixisset: Non enim quod volo facio bonum, *Ibid.*
sed quod odi malum hoc ago. Et rursum: Si autem quod no lo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in *Ibid.*
me peccatum. &: Condelector legi Dei secundũ interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis; omni vel sua, vel naturæ ipsius fragilitate perspecta, tam immensæ altitudinis vastitate conterritus, ad tutissimum portum diuini confugit auxilij, & quasi de nauigij sui oneribus mortalitatis oppressi, naturali infirmitate desperans, ab eo cui impossibile *Ibid.*
nihil est, naufragiorũ deposcit remedia, cum quodam miserabili vociferans eiulatu: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Statimq. absolutionẽ quam desperauit de imbecillitate naturæ, de Dei benignitate præsumpsit, confidenter adiungens: Gratia Dei per Iesum Chri *Ibid.*
stum Dominum nostrum.

*Obiectio quòd ex peccatorum potius persona hoc Apostolus*
GERMANVS. *dixisse credendus sit. Cap. XV.*

MVlti hunc Apostoli locum ita intelligi debere desiniunt, vt hoc eum non ex sua, sed ex peccantium persona dixisse confirment, eorum scilicet qui volentes semetipsos a corporalibus illecebris, ac voluptatibus abstinere, obstricti vitijs pristinis, & oblectatione passionum carnalium captiuati, semetipsos cohibere non possunt, dum inolita consuetudine vitiorum, velut immiti quadam tyrannidis dominatione depressi, ad libertatem pudicitiæ respirare non possunt. Quomodo enim beato Apostolo quem ad summum perfectionis totius culmen certum est peruenisse, illud poterit conuenire quod dicit: Non enim quod volo *Ibid.*
facio bonum, sed quod odi malum hoc ago? Illud etiam quod subiungit: Si autem quod nolo hoc ago, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum? Necnon

*Ibid.* etiam hoc: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legē in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. In quo igitur hæc personæ apostolicæ poterunt coaptari? Quid enim est boni quod ille non potuerit adimplere? Et econtrario, quid illud est mali quod nolens & odiens, tamen cogente natura inuitus admiserit? Ad quam vero peccati legem electionis vas
2.Cor.13 in quo Christus Dominus loquebatur, potuit captiuus ab-
2.Cor.10 duci? Qui cum omnem inobedientiam, & omnem extollentem se aduersus Deum altitudinem captiuasset, de se-
2.Tim.4. metipso cum fiducia proclamabat: Bonum agonem certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; de cetero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

*Dilatio propositæ quæstionis.*

THEONAS *Cap. XVI.*

INtrantem me tutissimum silentij portum, rursus ad immensum profundissimę quæstionis pelagus reuocare conamini; sed oportunitatem fidæ stationis amplexi, hic interim cursu tam longæ collationis emenso, taciturnitatis anchoram iaciemus, vt crastina die, si tamen nulla vis tempestatis obstiterit, flatu prosperi spiritus explorato, disputationis vela pandamus.

*COLLATIONIS SECVNDÆ abbatis Theonæ, de nocturnis illusionibus, Finis.*

COLLA-

# COLLATIO XXIII. QVÆ EST TERTIA ABBATIS THEONÆ,

## DE EO, QVOD DICIT APOSTOLVS, NON ENIM QVOD VOLO FACIO BONVM, SED QVOD NOLO MALVM HOC AGO.

*Disputatio abbatis Theonæ de eo quod dicit Apostolus: Non enim quod volo facio bonum. Cap. I.*

REVERSA igitur luce, cum ad perscrutandum abyssum apostolicę quęstionis summa a nobis senex compelleretur instātia, ita effatus est: Testimonia quibus probare conamini Apostolum Paulum non ex sua sed ex peccantium dixisse persona: Non *Rom. 7.* enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago. vel illud: Si autem quod nolo hoc fa- *Ibid.* cio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. vel quod sequitur: Condelector enim legi Dei secun *Ibid.* dum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis; econtrario euidenter ostendunt peccatorum personæ hæc non posse omnimodis cōuenire, sed ad solos quę dicta sunt attinere perfectos, & eorum tantum qui Apostolorum merita subsequuntur congruere sanctitati. Ceterum quo pacto hoc peccatorum personæ poterit cōuenire, quod dicit: Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago? Sed nec illud quidem: Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū? Quis enim delinquentium nolens se adulterijs fornicationibusq. contaminet? Quis inuitus proximo tendat insidias? Quis ineuitabili necessitate cogatur, vt falso testimonio hominem opprimat, furtove decipiat, aut alterius spolia concupiscat, vel sanguinem fundat? Quinimmo, vt scriptum

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Gen. 8. fec. lxx.* est: Humanum genus diligenter intentum est ad nequitiam a iuuentute sua. Intantum enim omnes vitiorum amore flagrantes desiderant implere quæ cupiunt, vt etiam peruigili cura opportunitatem, committendi sceleris aucupentur, ac de ignominia sua, & criminum cumulo gloriantes, secundum sententiã obiurgantis Apostoli, laudem sibi quandam de confusione conquirant. *Philip. 3.* Quos etiã Hieremias propheta non solũ non nolẽtes nec cum requie corporis flagitiorum crimina perpetrare, verumetiam intantum eos asserit laboriosis conatibus vt ad effectum eorum perueniant desudare, vt a letali scelerum appetitu nec obsistẽtibus arduis difficultatibus reuocẽtur, dicens: *Hiere. 9. Rom. 7.* Vt inique agerent laborauerũt. Illud quoque quis dixerit peccatoribus cõuenire: Itaque ego ipse mente seruio legi Dei, carne autẽ legi peccati; quos nec mente nec carne Deo seruire manifestũ est? aut quemadmodum hi peccent corpore, mente seruiant Deo, cum vitiorum fomitem caro ex corde concipiat, & ipse auctor vtriusque naturę, fontem atque originem peccatorum ex eo *Matt. 15* pronuntiet emanare? De corde, inquiens, procedunt cogitationes malæ, adultera, fornicationes, furta, & cetera. Quamobrem euidenter ostenditur nullo modo hoc de peccatorum intelligi posse personis, qui non solum non oderunt, sed etiam diligunt mala; & intantum Deo nec mente nec carne deseruiunt, vt ante delinquant mente quàm cor- *al. voluntatem.* pore; & priusquam carnis expleant †voluptatẽ, præueniantur mentis suæ cogitationumq. peccato.

*Multa bona Apostolum consummasse. Cap. II.*

*Hæc tria capita habes nomine Aug. serm. de tẽpore 45. in app. 31.* SVperest igitur vt virtutem sensus ex intimo dicẽtis mctiamur affectu, & quid beatus Apostolus dixerit bonũ, quidve comparatione eius pronuntiauerit malum, non nuda significatione verborum, sed eodem quo ille discutiamus intuitu, intellectum quoque eius secũdum dignitatem pronũtiantis ac meritum perscrutemur. Tunc enim sententias Deo inspirante prolatas, secundum propositum ac voluntatem eius comprehendere poterimus, cum eorum a quibus promulgatæ sunt statum ac meritum perpendentes, non verbo, sed experimentis parem induerimus affectum, pro cuius qualitate sine dubio vel concipiuntur vniuersi sensus, vel sententiæ proferuntur. Quamobrem quid sit principaliter bonum, quod Apostolus cum vellet perficere non potuerit, diligentius indagemus. Multa enim nouimus bona,



bona, quæ beatum Apostolum omnesq. illius meriti viros, & per naturam habuisse, & acquisisse per gratiam negate non possumus. Est enim bona castitas, laudabilis continentia, miranda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperãtia, pia misericordia, sancta iustitia, quæ omnia in Apostolo Paulo eiusq. consortibus, ita plena atque perfecta fuisse dubium non est, vt virtutum potius quàm verborum magisterio ab eis religio doceretur. Quid quòd iugi ecclesiarum omnium cura, ac peruigili solicitudine semper exusti sunt? Quãtum hoc misericor- *2. Cor. 11* diæ bonum, quanta perfectio est, pro scandalizantibus vri, cum infirmantibus infirmari? Cum ergo tantis Apostolus abundauerit bonis, quod illud sit bonum cuius perfectione caruerit, non poterimus agnoscere, nisi in illum quo ipse locutus est, profecerimus affectum. Omnes itaque quas eum diximus habuisse virtutes, quamuis velut gẽmæ splendidissimæ atque pretiosæ sint, tamen si prẽclaro illi atque præci- *Matt. 13* puo margarito, quod ille euangelicus negotiator inquirens, vniuersis quæ possidet venditis comparare desiderat, conferantur, ita earum meritum euilescit atque contemnitur, vt eis sine cunctatione distractis, vnius tantum boni possessio locupletet bonorum innumerabilium venditorem.

*Quod sit uere bonum quod Apostolus semetipsum perficere non posse testatur. Cap. III.*

QVid ergo est vnũ quod illis tantis tamque innumeris bonis tam incomparabiliter præponatur, vt spretis abiectisq. omnibus solum debeat possideri? Nimirũ illa pars optima, cuius magnificentiam ac perpetuitatem cum relicto susceptionis atque humanitatis officio Maria prælegisset, ita prædicatur a Domino: Martha Martha so- *Luc. 10.* licita es, & turbaris circa multa, paucis vero opus est, aut etiã vno. Maria optimã partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea. Vna ergo & sola est theoria, id est, cõtemplatio Dei, cui merito omnia iustificationum merita, vniuersa virtutum studia postponũtur, & illa quidem omnia quæ in Apostolo Paulo fuisse prædiximus, non solum bona & vtilia, verum etiã magna atque prẽclara sunt: Sed sicut, verbi gratia stãni metallũ, quod alicuius vtilitatis & gratiæ putabatur, fit argenti contẽplatione vilissimũ, & rursum auri cõparatione meritum euanescit argenti, aurum quoque ipsum gemmarum collatione contemnitur, & ipsarũ nihilominus quamuis

uis insignium multitudo gemmarum vnius margariti vincitur claritate; ita illa omnia merita sanctitatis, quāuis non solum ad præsens bona & vtilia sint, verum etiam donum æternitatis acquirant, tamen si diuinæ cōtemplationis meritis conferantur, vilia atque (vt ita dixerim) vendibilia censebuntur. Et vt hanc eādem comparationem etiam scripturarum confirmet auctoritas, nonne de vniuersis quæ a Deo
*Gen. 1. sec. lxx.* creata sunt, generaliter scriptura pronuntiat, dicens: Et ecce
*Eccli. 39.* omnia quæ fecit Deus bona valde? & iterum: Vniuersa quæ fecit Deus bona in tempore suo? Hæc igitur, quæ in præsenti non solum bona simpliciter, verum etiam cum additamento valde bona pronuntiantur (sunt enim revera in hoc mundo commorantibus nobis, aut ad vsum vitæ, aut ad corporis medicinam, aut ad aliquam causam ignotæ nobis vtilitatis accommoda; vel certe in eo etiā valde bona, quòd
*Rom. 1.* faciunt nos inuisibilia Dei creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspicere, sempiternam quoque virtutē eius, ac diuinitatem, ex tanta, tamq. ordinata molitione fabricæ mundialis, & omnium quæ in ea sunt subsistentia contemplari) hæc tamen omnia nec boni nomen tenebūt, si futuro illi sæculo comparentur, vbi bonorum nulla immutatio, nulla est veræ beatitudinis formidanda corruptio.
*Esai. 30.* Cuius mundi ita beatitudo describitur: Erit lux lunæ sicut lux solis; & lux solis septempliciter sicut lux septem dierū. Magna igitur hæc & præclara intuitu atque mirifica, si futuris ex fide repromissionibus conferantur, cōtinuo vanitas
*Psal. 101.* apparebunt, dicente Dauid: Omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut operторium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ergo quia nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonum nisi deitas sola, omnes vero creaturæ vt beatitudinem æternitatis vel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem & gratiam consequuntur, tenere meritum bonitatis creatori suo collatæ non possunt.

*Bonitatem humanam atque iustitiam non esse bonam si diuinæ bonitati ac iustitiæ conferatur. Cap. IV.*

QVòd si etiam manifestioribus adhuc testimonijs huius sententiæ rationem voluerimus adstruere, nonne multa pronūtiari bona in Euangelio legimus, & arborem bonam, & thesaurum bonum, & bonum hominem, & bo-



& bonum seruum: Quia non potest, inquit, arbor bona ma- *Matth. 7.*
lus fructus facere. &: Bonus homo de bono thesauro cordis *Matt. 12*
sui profert bona. &: Euge serue bone & fidelis: & vtique hos *Matt. 25.*
omnes cum secundum se bonos esse non dubium sit; si respiciamus ad bonitatem Dei, nullus eorum pronuntiabitur
*Luc. 18.* bonus, dicente Domino: Nemo bonus nisi solus Deus. Cuius intuitu etiam ipsi Apostoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis excesserant modis, mali esse dicuntur, Domino ad eos ita loquente: Si ergo vos cum si- *Matt. 7.*
tis mali, nostris bona data dare filijs vestris; quanto magis pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se? Denique sicut bonitas nostra supernæ bonitatis intuitu in malitiam vertitur, ita etiam iustitia nostra diuinæ collata iustitiæ panno menstruatæ similis deputatur, dicente Esaia pro-
*Esai. 64.* pheta: Sicut pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Et vt aliquid adhuc euidentius inferamus, legis quoque ipsius præcepta vitalia, quæ dicitur ordinata per angelos in *Galat. 3.*
manu mediatoris, & de qua idem Apostolus: Itaque lex, in- *Rom. 7.*
quit, sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum; si perfectioni euangelicæ conferantur, minime bona diuino pronuntiantur oraculo; ait enim: Et dedi eis præcepta *Ezech. 20*
non bona, & iustitias in quibus non viuent in eis. Apostolus quoque, ita noui lumine testamenti gloriam legis affirmat obtundi, vt eam euangelici comparatione fulgoris nec glorificatam esse pronūtiet, dicens: Nam nec glorioſum est *2. Cor. 3.*
id quod glorificatū est, propter excellētem gloriam. Quam comparationem etiam in parte contraria, id est, in peccatorum meritis compensandis scriptura cōseruat, vt eos qui multo minus peccauerūt, peiorum collatione iustificet, di-
*Ezech. 16* cens: Iustificata est Sodoma ex te. & iterū: Quid enim pec- *Ibid.*
cauit soror tua Sodoma? &: Iustificauit animā suam auer- *Hiere. 3.*
satrix Israel, comparatione præuaricatricis Iudæ. Ita igitur & vniuersarum virtutum merita, quę superius comprehendi, cū per se bona atque pretiosa sint, tamen theoreticæ claritatis comparatione fuscantur. Multum etenim sanctos, quamuis bonorum operū, terrenis tamen studijs occupatos, a contēplatione summi illius boni retrahūt ac retardāt.

*Neminem summo illi bono intentum esse iugiter posse. Cap. V.*

NAm quis eripiens inopem de manu fortiorum eius, & *Psal. 34.*
egenum & pauperem a diripientibus eum; quis conterens

terens molas iniquorum, & de medio dentium eorum rapinas extorquens, in ipso intercessionis opere diuinæ gloriam maiestatis quieta mente suspiciat? Quis alimoniam pauperibus subministrans, aut aduenientium turbas benuola humanitate suscipiens, in eo temporis puncto quo pro necessitatibus fratrum solicita mente distenditur, immensitatem supernæ beatitudinis speculetur, & cum præsentis vitæ angoribus curisq. concutitur, futuri sæculi statum eleuato a terrenis cõtagijs corde prospiciat? Vnde beatus Dauid solum hoc bonum homini esse definiens, Deo iugiter
*Psal. 72.* inhærere desiderat, dicens: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Quod etiam Ecclesiastes a nemine iustorum sine querela perfici posse
*Eccls. 7. sec. lxx.* pronuntians: Quia non est homo iustus, ait, in terra, qui faciat bonum & non peccabit. Quis enim vmquam quamuis præcipuus omnium iustorum atque sanctorum corporis huius vinculis illigatus, summum hoc bonum ita possidere potuisse credendus est, vt numquam a diuina contemplatione discedens, ne paruo quidem tempore ab eo qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur abstractus? qui numquam vllam cibi, vllam indumẽti, aliarumve carnalium rerum gesserit curam, numquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellulæ structione solicitus, aut opem aliquam humani concupierit adiumenti, aut inopiæ sterilitate vexatus, illam sententiam Dominicæ in-
*Luc. 12.* crepationis incurrerit: Ne soliciti sitis animæ vestræ quid mãducetis, neque corpori vestro quid induamini? Denique ipsum illum Apostolum Paulum, qui omnium sanctorum laborem, passionũ numerositate transcẽderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter adstruimus, ipso in Acti-
*Act. 20.* bus Apostolorum discipulis attestante: Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Vel cum Thessalonicensibus scri-
*2. Thess. 3* bens, in labore & fatigatione nocte & die operatum se fuisse testatur. Quibus licet magna eidem meritorum stipendia pararentur, tamen mens eius quãuis sancta atque sublimis, non poterat non ab illa cælesti theoria, intentione terreni operis aliquãdo diuelli. Denique cum se tantis ac talibus ditari fructibus cerneret, & econtrario theoriæ bonum corde pensaret, ac velut in vna lance tantorum laborũ profectum, in altera delectationem diuinæ contemplationis appen-



penderet, diu examine pectoris sui quodammodo castigato, dum illum hinc laborum stipendia immensa delectant, illinc desiderium vnitatis & inseparabilis Christi societas, etiam ad resolutionem carnis inuitat, anxius tan-
*Philip. 1.* dem proclamat & dicit: Quid eligam ignoro; coartor autẽ e duobus, desiderium habens dissolui & cum Christo esse, multo enim melius; permanere autem in carne magis necessarium propter vos.

*Quòd lippis similes sint hi, qui se credunt esse sine peccato. Cap. VI.*

*Nulla est distinctio cap. in v. c.*

CVm igitur multis modis boni huius excellentiam, cunctis etiam prædicationis suæ fructibus prætulisset, tamẽ charitatis, sine qua nemo Dominum promeretur, contemplatione submittitur, ac propter illos quibus adhuc lac velut nutricula, vberibus euangelicis immulgebat, diuulsionem a Christo sibi quidem noxiam, sed ceteris necessariam non recusat. Etenim ad electionẽ huius potissimũ rei, illa nimia pietatis virtute compellitur, qua pro salute fratrũ suorum si esset possibile etiam vltimum anathematis malum optasset incurrere. Optarem enim, inquit, ego ipse ana-
*Rom. 9.* thema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundũ carnem, qui sunt Israelitæ; hoc est, vellem ego non solum temporalibus, verum etiam perpetuis addici pœnis, dummodo omnes, si fieri posset, homines Christi cõsortio fruerentur. Certus etenim sum vtiliorem Christo & mihi omnium salutem esse, quàm meam.

*Quòd hi qui pronuntiant hominem posse esse sine peccato, duplici in hoc agantur errore. Cap. VII.*

BOnum ergo hoc summum (id est, Dei conspectu frui, & Christo iugiter inhærere) vt perfecte Apostolus pos-
*Philip. 1.* sit adipisci, dissolui optat a corpore, quod caducum & multis fragilitatis suæ necessitatibus impeditum non potest a Christi consortio non auelli. Impossibile est enim etiam mẽti quæ tam crebris distenditur curis, tã varijs, tam molestis angoribus præpeditur, diuino frui semper intuitu. Quod enim tam pertinax sanctorũ studium, quod tam arduum potest esse propositum, cui non aliquando ille versutus insidiator illudat? Quis ita solitudinis secreta sectatus est, vniuersorumq. mortalium consortia declinauit, vt numquam cogitationibus superfluis laberetur, & intuitu rerum vel occupatione actuum terrenorum ab illa quæ vero

Universidad de Deusto
Biblioteca



vere sola & bona est Dei contemplatione deciderit? Quis tantum spiritus vmquam potuit retinere feruorem, vt non interdum lubricis cogitationibus ab ipsa quoque orationis intentione translatus repente de cælestibus ad terrena corruerit? Quis nostrum, vt cetera peruagationum tẽpora prætermittam, non illo etiam momento quo Deo supplicas ad sublimia erigit mentem, quodam stupore collapsus etiam per id vel inuitus offendat, per quod sperabat veniam delictorum? Quis, inquã, tam expergitus ac vigilans est, vt dum psalmum Deo canit, numquam a scripturæ sensu eius animus abducatur? Quis tam familiaris Deo tamq. coniunctus, qui apostolicum illud imperium, quo sine intermissione orare nos præcipit, vel vno die se gaudeat executum? Quæ licet omnia nonnullis, qui sunt crassioribus vitijs inuoluti, leuia atque a peccato pene aliena videantur, scientibus tamen perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo grauissima est. * Velut si in aliquam magnam domum multis instrumentis, vasculis, sarcinis, impeditam, vnum integra visuum acie perspicacem, alterum cui oculorum lumen obtuderit lippitudo, pariter ponamus ingressos, nonne cum ille cui ad videnda omnia hebes obsistit obtutus, nihil illic aliud esse æstimet nisi armaria, lectos, scamna, præsepia, & quidquid non tam oculis speculantis quàm manibus palpantis occurrerit, ecõtra hic qui clarissimo luminum sidere etiam occulta rimatus est, multa illic minutissima & quæ vix possint etiam numero comprehendi inesse pronuntiet, quæ si aliquando in vnum cumulum cõgregentur, paucorum quæ ille palpauerat magnitudinem numerositate compensent, aut etiam fortasse transcendant? Ita igitur sancti atque (vt ita dicam) vidẽtes, quibus summum perfectionis est studium, etiam illa quæ velut tenebrosus animi nostri non intuetur aspectus, in semetipsis sagaciter deprehendunt, acerrimeq. condemnant, vsque adeo, vt qui sicut nostræ videtur incuriæ, ne tenuis quidem peccati næuo candorem conscientiæ fuscauerunt, multis sibi maculis videantur aspersi, si, non dicam vanæ cogitationis improbitas in atria mentis irrepserit, sed vel psalmi qui dicẽdus est recordatio orationis tempore intentionem supplicantis auerterit. Si enim, inquiunt, cum sublimi homini, non dicam pro vita ac salute nostra, sed etiam pro alicuius lucri commodo supplicamus, totam in eum &

*1. Thess. 5*

*Hoc est initium Cap. vij. in v. c.*

mentis



mentis & corporis aciem defigentes, de nutu eius trepida expectatione pendemus, non mediocriter formidantes, ne quod sorte ineptum aut incongruum verbum misericordiã audientis auertat; tum deinde si nobis in foro aut iudicum sæcularium tribunalibus constitutis, assistente etiam econtra aduersario in media prosecutione atque cõflictu, tussis, sternutatus, risus, oscitatio, somnus obrepserit, quãta in perniciem nostram vigilantissimus inimicus seueritatem iudicis commouebit inuidia? Quanto magis cum illi occultorum omnium cognitori pro imminenti perpetuæ mortis periculo supplicamus, præsertim cum ediuerso callidus seductor pariter & criminator assistat, intenta atque solicita oratione iudicantis pietas imploranda est? Nec iniuste non solum leui peccato, sed etiam grauissimo crimine impietatis adstringitur, qui precem Domino fundens, subito a conspectu eius quasi ab oculis non videntis nec audientis, cogitationis improbæ vanitatem secutus abscesserit. Illi autẽ qui oculos cordis sui contegunt crasso velamine vitiorum, ac secundum sententiam Saluatoris, videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, vix in recessibus pectoris sui etiam illa, quæ magna sunt & capitalia crimina contemplantur, nullas autem cogitationum subreptiones, sed neque illos in se lubricos occultosq. pruritus, qui mentẽ tenui atque subtili suggestione compungunt, nec captiuitates animæ suæ possunt purgatis obtutibus intueri, sed inuerecundis semper cogitationibus euagantes, nec dolere norunt cum ab illa contemplatione, quæ singularis est, distrahuntur, nec habent quod se doleant amisisse, quippe qui mentem suam ingruentibus, vt libitum est, cogitationibus expandentes, nihil habent propositum, quod principaliter teneant, vel quod omnimodis concupiscant. * Hæc sane nos in hũc errorẽ causa præcipitat, quia ἀναμαρτήτους, id est, impeccantiæ ipsius virtutem penitus ignorantes, existimamus nullam omnino culpam ex istis otiosis ac lubricis cogitationum excursibus nos posse contrahere, sed hebetudine stupefacti, & velut oculorum cæcitate percussi, nihil in nobis nisi capitalia crimina cõtemplamur, eaq. tantummodo credimus euitãda, quæ legum quoque sæculariũ seueritate damnantur, a quibus si nos immunes vel paululum senserimus, nihil nobis inesse peccati protinus arbitramur. * Proinde ab illo videntiũ numero segregati, quia minutias

*Matt. 13*

*Cap. viij. in v. c.*

*Cap. ix. in v. c.*

nutias multarum sordium quæ intra nos aggestæ sunt non videmus, nequaquam salubri compunctione mordemur, si sensum nostrum interpellauerit ægritudo tristitiæ, nec dolemus vanæ gloriæ subtili suggestione pulsati, nec de emissa tardius vel tepidius oratione deflemus, nec reputamus ad culpam cur psallentibus vel orantibus nobis aliquid aliud quàm ipsa oratio vel psalmus occurrerit, nec illud horremus, quòd multa quæ vel loqui vel agere coram hominibus pudet, non erubescimus vel ad horam corde concipere, quod diuino nouimus patere conspectui, nec pollutionem turpium somniorum larga fletum ablutione purgamus, nec lugemus quòd in ipsa eleemosynæ pietate, cum vel fratrum necessitatibus subuenimus, vel alimoniâ pauperibus ministramus, serenitatem nostræ hilaritatis obnubilat auara cunctatio; nec feriri nos vllo credimus detrimento, cum derelicta memoria Dei, ea quæ sunt tẽporalia ac corporea cogitamus, ita vt nobis satis congrue Salomonis illud aptetur eloquium: Ferierunt me, sed non dolui; & deluserunt me, ego autem nescíui. *Prou. 23.*

*Quòd paucorum sit intelligere peccata. Cap. VIII.*

EContra hi qui summam totius voluptatis & gaudij & beatitudinis suæ, in diuinarum ac spiritalium rerũ tantum contemplatione cõstituunt, cum ab ea inuiti vel paululum violentis cogitationibus abstrahuntur, velut quoddã in se sacrilegij genus præsenti pœnitudinis puniunt vltione, ac vilissimam creaturam ad quam sit detortus mentis intuitus, creatori sua se prætulisse lugentes, pene dixerim impietatis sibi crimen adscribunt: & licet ad conspiciendã diuinæ gloriæ claritatem, oculos cordis summa alacritate conuertant, tamen etiam breuissimas carnalium cogitationum tenebras non ferentes, quidquid ab illo vero lumine mẽtis aspectum retrahit execrantur. Denique cũ hunc beatus Apostolus Ioannes affectum cunctis vellet infundere: Filioli, inquit, nolite diligere mundũ, neque ea quę in mundo sunt, si quis diligit mundum, non est charitas Dei in ipso; quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum est, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est; & mundus præterit, & concupiscentia eius; qui autem facit voluntatẽ Dei, manet in æternum. Fastidiunt ergo sancti vniuersa in quibus mũdus iste versatur, sed impossibile est vt non ad ea vel breui cogitationum *1. Ioã. 2.*



tionum rapiantur excessu, nullusq. etiam nunc hominum (excepto Domino & Saluatore nostro) naturalem peruagationem mentis, ita † defixus semper in Dei contemplatione continuit, vt numquam ab ea raptus mundanæ cuiusquam rei dilectione peccarit, dicente scriptura: Sidera ipsa nõ sunt munda in conspectu eius. & iterum: Si in sanctis suis non confidit, & in angelis suis reperit prauitatem; siue vt emendatior translatio habet: Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius. *al. defixã* *Iob. 25.* *Iob. 15.* *sec. lxx.*

*Qua cautione memoriam Dei monachus debeat custodire. Cap. IX.*

REcte igitur sanctos, qui memoriam Dei stabiliter retinentes, quasi per extentas in sublime lineas suspenso feruntur incessu, schœnobatis, quos vulgo funambulos vocant, dixerim comparãdos, qui summam suæ salutis ac vitæ in angustissimo funiculi illius tramite collocantes, atrocissimam se mortem protinus incursuros esse non ambigunt, si vel exigua pes eorum titubatione deuiauerit, aut modum illius salutaris directionis excesserit. Qui dum arte mirifica aerios gressus per inania moliuntur, si illam angustiorem vestigio semitam, non cauta atque solicita moderatione seruauerint, terra quæ omnibus velut naturalis est basis, & solidissimum cunctis ac tutissimum firmamẽtum, fit illis præsens ac manifesta pernicies; non quia illius natura mutetur, sed quia illi ad eam præcipiti carnis pondere delabantur. Ita etiam indefessa illa Dei bonitas, immutabilisq. substantia, ipsa quidem neminem lędit, sed nos declinando a summis atque ad ima tendendo, nobis ipsis conscíscimus mortem, immo declinatio ipsa mors efficitur declinanti. Væ enim, inquit, eis quoniam recesserunt a me. Vastabuntur, quoniam præuaricati sunt in me. & iterum: Væ eis cum recessero ab eis. Arguet namque te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Funiculis namque suorum peccatorum vnusquisque constringitur. Ad quos satis competenter a domino increpatio illa dirigitur: Ecce, inquit, omnes vos accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis. & iterum: Qui incendit, inquit, malitiam, peribit ab ea. *Oſee 7.* *Oſee 9.* *Hier. 2.* *Prou. 5.* *Eſai. 50.* *Prou. 19.* *sec. lxx.*

*Quòd hi qui ad perfectionẽ tendunt in veritate humilientur, & Dei gratia semper se sentiant indigere. Cap. X.*

*Habes hæc nomine Aug. Sermone de temp. 47.*

CVm ergo sancti semetipsos quotidie sentiãt terrenę cogitationis pondere prægrauatos, ab illa mentis sublimitate decidere, & inuitos, immo vero etiam nescientes in legem peccati mortisq. traduci, atque, vt cetera prætermittam, illis saltem quæ superius comprehendi, bonis quidem ac iustis, sed tamen terrenis, a conspectu Dei operibus auocari, habent profecto pro quibus ad Deum iugiter ingemiscant, habẽt pro quibus in veritate humiliati atque cõpuncti, nõ verbis tantummodo, sed affectu semetipsos pronuntient peccatores, & veniam pro omnibus, quæ quotidie superati fragilitate carnis incurrunt, ac gratiam Domini iugiter postulantes, veras pœnitentiæ lacrymas indesinenter effundant; quippe qui videant ijsdem ipsis se pro quibus continuo dolore vexati sunt, etiã vsque ad vltimum vitę finem æstibus inuolutos, ipsasq. etiam supplicationes suas offerre se sine cogitationum anxietate non posse. Experti igitur se humanis viribus desideratum finem obsistente carnis sarcina non posse cõtingere, neque illi præcipuo summoq. bono secundum cordis sui desiderium posse coniungi, sed ab eius intuitu captiuos ad mundana traduci, ad gratiam Dei qui impios iustificat cõuolantes, cum Apostolo protestantur: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrũ. Sentiunt enim se bonum istud, quod volunt, non posse perficere, sed in illud quod nolunt, quodq. oderunt malum, id est, cogitationum motus & curam corporalium rerum semper incidere.

*Rom. 4.*
*Rom. 7.*

*Ibid.* *Expositio illius sententiæ: Condelector enim legi Dei secundũ interiorem hominem, &c. Cap. XI.*

ET condelectantur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, qui visibilia vniuersa transcendens, conatur Deo soli semper vniri; sed vident aliã legem in membris suis, id est, in natura humanæ condicionis insertã, quæ repugnans legi mentis eorum, captiuum pertrahit sensum violenta lege peccati, compellens scilicet eum, relicto illo principali bono, terrenæ cogitationi submitti. Quæ quamuis necessaria atque vtilis videatur, cum dispensationi religiosæ cuiuspiam necessitatis impenditur, comparatione tamen illius boni quod sanctorum omnium oblectat intuitum,



tum, mala vtique ab eis ac fugiẽda decernitur, qui per eam quoquomodo vel ad modicum tempus ab illius perfectæ beatitudinis gaudio retrahuntur. Vere enim lex peccati est quam humano generi præuaricatio sui induxit auctoris, per illius noxam in quem lata est æquissimi iudicis illa sententia: Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi, & in sudore vultus tui edes panem tuum. Hæc, inquam, est lex membris omnium inserta mortaliũ, quæ repugnat legi mentis nostræ, eamq. a diuino arcet intuitu, & qua maledicta terra in operibus nostris, post agnitionem boni & mali, cogitationum spinas cœpit ac tribulos germinare, quarum aculeis naturalia virtutum semina præfocantur, ne illum panem nostrum qui de cælo descendit, quique confortat cor hominis, edere absque vultus nostri sudore possimus.

*Gen. 3.*
*Matt. 13.*
*Ioan. 6.*
*Psal. 103*

*Item expositio illius: Scimus quoniam lex spiritalis est, & reliqua. Cap. XII.*

OMne igitur humanum genus huic generaliter legi sine vlla exceptione subijcitur. Nullus enim est quamuis sanctus qui supradictum panem nõ cum sudore vultus sui, & solicita cordis intentione percipiat. Ceterum communi isto pane multi, vt videmus, diuites sine vllo vultus sui sudore vescuntur. Quam etiã legem beatus Apostolus spiritalem asserit, dicens: Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum venũdatus sub peccato. Spiritalis enim est lex quæ iubet nobis vt in sudore vultus nostri comedamus illũ panem verum qui de cælo descendit, sed nos carnales fecit venundatio illa peccati. Quod rogo istud, cuiusve peccatũ est? Sine dubio Adæ, cuius præuaricatione, & (vt ita dicã) negotiatione damnosa, fraudulentoq. commercio venditi sumus. Omnem enim prolem suam serpentis persuasione seductus, illiciti cibi perceptione distractam, iugo perpetuæ seruitutis addixit. Hic namque mos solet inter vendentem ememtemq. seruari, vt is qui se alieno cupit dominio mancipare, aliquid pretij pro iactura propriæ libertatis & addictione perpetuæ seruitutis a suo cõsequatur emptore. Quod etiam inter Adam atque serpẽtem manifestissime videmus impletum. Ille enim a serpente pretiũ libertatis suæ esum interdictæ arboris capiens a naturæ libertate discessit, illiq. maluit semetipsum perpetua dedere seruitute, a quo vetiti pomi letale pretium fuerat assecutus: qua deinceps condi-

*Rom. 7.*
*Ioan. 6.*

cione constrictus, non immerito omnem posteritatis suæ progeniem, perpetuo eidem cuius effectus est seruus subdidit famulatu. Quid enim aliud seruile coniugium potest procreare, quàm seruos? Quid ergo? Numquid emptor iste versutus & callidus, domino vero atque legitimo ius dominationis eripuit? Non ita est. Neque enim sic ille omne peculium Dei, vnius fraudis dolositate peruasit, vt potentiam dominij sui verus dominator amitteret, qui ipsum quoque emptorem quamuis refugam ac rebellem, tamen iugo deprimit seruitutis; sed quia omnibus rationabilibus creaturis arbitrij libertatem creator indulserat, eos qui se contra fas edacis concupiscentiæ transgressione vendiderant, inuitos ad ingenitam libertatem reuocare non debuit. Abhorret siquidem ab illo iustitiæ & pietatis auctore, quidquid bonitati æquitatiq. contrarium est. Malum enim fuerat si cõcessæ libertatis beneficium reuocasset, iniustum si liberum hominem potentia sua opprimens & captiuans, libertatis acceptæ † pontificium exequi non siuisset, cuius salutem in futura tunc sæcula reseruauit, vt recto ordine compleretur statuti temporis plenitudo. Oportebat enim eius sobolem tamdiu sub auita condicione durare, quousque eam de originalibus vinculis liberatam, in antiquũ libertatis statum, prioris Domini gratia pretio sui sanguinis reformaret, quam pietatis instinctu potuit etiam tunc saluare, sed noluit; quia eum decreti sui sanctionem irrumpere æquitas non sinebat. Vis nosse causam venditionis tuæ? Audi ipsum redemptorem tuum per Esaiam prophetam apertissime proclamantem: Quis est iste liber repudij matris vestræ quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Vis etiam euidenter agnoscere, cur te iugo seruitutis addictum redimere potentiæ suæ virtute noluerit? Audi quid ad superiora eisdem quibus causam voluntariæ venditionis exprobrarat adiecit: Numquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere, aut non est in me virtus ad liberandum? Sed quid huic potentissimæ misericordiæ eius semper obstiterit, idem propheta demonstrans: Ecce, inquit, nõ est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat; sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata

*al. priuilegiorum*

*Esai. 50.*

*Ibid.*

*Esai. 59.*



cata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret.

*Item expositio illius: Scio autem quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Cap. XIII.*

QVia ergo carnales nos fecit, & spinis ac tribulis condemnauit illa prima Dei maledictio, nosq. ita iniquo pater noster venundauit commercio, vt bonũ, quod volumus, agere nequeamus, dum diuulsi a memoria summi Dei, ea quæ fragilitatis humanæ sunt cogitare compellimur, dum puritatis amore flagrantes, incentiuis naturalibus, quæ penitus ignorare vellemus, etiam inuiti plerumque compungimur: scimus quia non habitat in carne nostra bonum, id est, huius quam diximus theoriç atque puritatis perpetua iugisq. tranquillitas. Sed factum est in nobis istud pessimum ac lugubre diuortium, vt cum mente legi Dei seruire velimus, numquã scilicet volẽtes a claritate diuina dimouere cõspectum, tamen carnalibus tenebris circumfusi quadam lege peccati ab eo quod bonum nouimus cogamur auelli, scilicet ad curas cogitationesq. terrenas, ab illa mentis celsitudine decidentes, ad quas nos lex peccati, id est, illa sententia Dei non immerito condemnauit, quam primus delictor excepit; & inde est quòd beatus Apostolus, cum apertissime fateatur ineuitabili se vel omnes sanctos peccati huius necessitate constringi, tamen neminem eorum ob hoc esse damnandum audenter enuntiat, dicens: Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me a lege peccati & mortis; id est, quotidiana gratia Christi omnes sanctos suos ab hac lege peccati & mortis (in quam iuuiter vel nolentes coguntur incurrere) cum remissionem debitorum suorum a Domino deprecantur, absoluit. Videtis ergo non ex persona peccatorum, sed ex illorum qui vere sancti atque perfecti sunt, hanc beatũ Apostolum prompsisse sententiam: Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago. &: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.

*Rom. 7.*

*Gen. 3.*

*Rom. 8.*

*Rom. 7.*

*Ibid.*

*Obiectio quòd neque infidelium personis conueniat neque sanctorum quod Apostolus ait: Non enim quod volo facio bonum. Cap. XIV.* *Ibid.*

GERMANVS.

NEque eorum qui capitalibus criminibus implicantur, neque Apostoli vel illorum, qui ad eius profecere men-

mensurã, hoc dicimus congruere posse personis; sed de his proprie hoc intelligi debere censemus, qui post Dei gratiã agnitionemq. veritatis a carnalibus se vitijs abstinere cupientes, antiqua adhuc consuetudine velut naturali lege in membris suis violentissime dominante, ad inolitam passionum concupiscentiam pertrahuntur. Vsus enim ac frequentia delinquendi, velut lex efficitur naturalis, quæ membris humanæ infirmitatis inserta, affectus animæ necdum plenis virtutum studijs eruditæ, sed adhuc rudis ac teneræ (vt ita dixerim) castitatis, captiuos rapit ad vitia, ac morti eos antiqua lege subijciens, iugo peccati dominantis addicit, non sinens eos bonum quod diligunt puritatis adipisci, sed potius malum, quod execrantur exercere compellens.

*Responsio ad obiectionem propositam.*

THEONAS. *Cap. XV.*

NOn parum vestra profecit opinio, siquidem etiam vos ipsi adstruere iam cœpistis in illorũ persona qui omnino peccatores sunt, hoc penitus stare nõ posse, illis autem qui se a vitijs carnalibus abstinere cõtendunt, proprie conuenire. Quos quoniam a peccatorum iam numero segregastis, cõsequens est vt etiam fidelium atque sanctorum paulatim cœtibus inseratis. Quæ enim genera peccatorũ istos dicitis posse committere, quibus si fuerint post gratiam baptismatis inuoluti, rursum per quotidianã Christi gratiam liberẽtur? Aut de quo mortis corpore Apostolus dixisse credẽdus est: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominũ nostrum. Nonne manifestũ est, sicut vos quoque ipsos veritas compulit confiteri, non de illis capitalium criminum membris, per quæ stipendium æternæ mortis acquiritur, id est, homicidij, fornicationis, adulteriorũ, ebrietatis, furtorum atque rapinarũ, sed de illo prædicto cui gratia Christi quotidiana succurrit corpore memorari? Quisquis enim post baptismũ ac scientiam Dei, in illud mortis corpus irruerit, sciat se non quotidiana gratia Dei, id est, facili remissione, quam momentis singulis exoratus Dominus erroribus nostris donare cõsuevit, sed aut diuturna pœnitudinis afflictione ac pœnali dolore purgandũ, aut certe pro his in futuro æterni ignis supplicijs addicendum, ita eodem Apostolo pronuntiante: Nolite falli, neque fornicarij, neque idolis seruiẽtes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures,

*Rom. 7.*

*1. Cor. 6.*



fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnũ Dei possidebunt. Aut quæ est ista lex militans in membris nostris, quæ repugnet legi mentis nostræ, cũq. nos resistentes, atque captiuos in lege peccati ac mortis abduxerit, eiq. nos fecerit carne seruire, nihilominus mente legi Dei seruire permittat? Nec enim hic puto legẽ peccati flagitia designare, aut hoc de illis supradictis intelligi posse criminibus, quę si quis facit, legi Dei mẽti non seruit, a qua necesse est eum animo ante desciscere quàm aliquid eorum carne committat. Quid est enim seruire legi peccati, nisi ea quæ a peccato imperantur implere? Quod ergo peccati genus est, quo cum se tanta sanctitas atque perfectio sentiat captiuari, gratia tamen Christi non ambigat liberandũ, dicẽs: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quam, inquam, legem membris nostris inesse firmabitis, quæ abstrahens nos a lege Dei, & captiuans in lege peccati, infelices nos potius faciat quàm nocẽtes; vt non æternis supplicijs addicamur, sed quasi de interrupto beatitudinis gaudio suspiremus, & auxiliatorem qui nos ad id retrahat inquirentes, cum Apostolo proclamemus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Abduci namque captiuũ in lege peccati, quid est aliud quàm in effectu peccati atque opere permanere? Aut quod aliud principale dabitur bonum, quod sancti explere nõ possint, nisi id ad cuius comparationem, vt supra diximus, vniuersa nec bona sunt? Equidem nouimus multa esse in hoc mundo bona, præcipueq. pudicitiam, continentiam, sobrietatem, humilitatem, iustitiam, misericordiam, temperantiam, pietatem; sed hæc omnia & summo illi bono paria ẽsse non possunt, & perfici non dicam ab Apostolis, sed etiam a mediocribus possunt, & a quibus impleta non fuerint, aut æterno supplicio puniũtur, aut grandi, vt supra dictum est, labore pœnitentiæ, non quotidiana Christi gratia liberantur. Superest igitur, vt hanc sentẽtiam Apostoli soli sanctorũ personæ rectè fateamur aptari, qui in hanc quam prædiximus incurrẽtes quotidie peccati nõ criminũ legem, de statu salutis suæ certi non præcipitantur in facinus, sed, vt sæpe dictum est, de cõtemplatione diuina ad miseriã cogitationum corporalium deuoluti, veræ illius beatitudinis bono plerumq. fraudantur. Si enim se per hanc membrorum

*Rom. 7.*

*Ibid.*

*Ibid.*

rum suorum legem quotidianis sentirent sceleribus illigari, non vtique de felicitatis amissione, sed de innocētiæ causarentur, nec diceret Apostolus Paulus: Infelix ego homo; *Ibid.* sed, Impurus aut sceleſtus ego homo: nec de corpore mortis huius, hoc est, de cōdicione mortali, sed a flagitijs atque criminibus carnis huius vellet absolui. Sed quia se pro condicione fragilitatis humanę sensérat captiuatum, id est, abductum ad solicitudines curasq. carnales, quas lex peccati operatur & mortis, ingemiscēs super hac, quam inuitus incurrerat, lege peccati, confestim recurrit ad Christū, & præsentissima gratiæ eius redemptione saluatur. Quidquid ergo lex illa peccati, quæ spinas ac tribulos cogitationū curarumq. mortalium naturaliter gignit, etiam in apostolici pectoris terra solicitudinis germinarit, ista lex gratiæ mox *Rom. 8.* auellit: Lex enim, inquit, spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me a lege peccati & mortis.

*Quid sit corpus peccati. Cap. XVI.*

HOc ergo ineuitabile corpus est mortis, in quo perfecti *Psal. 33.* quique, qui gustauerunt quàm suauis est Dominus, *Hiere. 2.* quotidie reuoluti, sentiūt cum propheta, quàm malū sibi & amarū sit discedere a Domino Deo. Hoc est corpus mortis, quod a cęlesti eos intuitu retrahēs ad terrena deducit, quod psallentes eos atque in oratione prostratos, vel humanas effigies, vel sermones, vel negotia, vel actus facit superfluos retractare. Hoc est corpus mortis, propter quod æmulantes angelicam sanctitatē, & volentes Domino iugiter inhærere, perfectionē tamen huius boni, quia corpus mortis obsistit, inuenire non possunt, sed faciunt malum, quod nolūt, id est, traducuntur mente etiam ad illa quæ ad profectum virtutū perfectionemq. non pertinēt. Denique vt hoc de sanctis atque perfectis sibiq. similibus, se dixisse beatus Apostolus euidenter exprimeret, digito quodammodo semetipsum *Rom. 7.* tactuq. designans, cōtinuo infert: Itaque ego ipse, id est, qui hæc pronuntio, meæ non alterius conscientię latebras pando. Hoc sane locutionis genere familiariter vti Apostolus solet, si quando vult se specialiter designare, sicut ibi: Ipse *2. Cor. 10* ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem, & mode- *2. Cor. 12* stiam Christi; & rursum: Nisi quòd ego ipse non grauaui *Ibid.* vos; & iterum: Sed esto, ego ipse non grauaui vos; & alibi: *Galat. 5.* Ego ipse Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus vo- *Rom. 9.* bis nil proderit. & ad Romanos: Optabam enim ego ipse anathe-



anathema esse a Christo pro fratribus meis. Potest autem non absurde etiā sic accipi, vt expressius cum emphasi pronuntietur: Itaque ego ipse, id est, quem nostis esse Apostolum Christi, quem tota suspicientia veneramini, quem creditis summum esse atque perfectū, & in quo loquitur Christus, cum mente seruiam legi Dei, carne tamen legi peccati seruire me fateor, hoc est, distentione condicionis humanæ interdum de cęlestibus ad terrena deuoluor, & ad curas humilium rerum mentis meæ altitudo prolabitur, per quam peccati legem ita momentis singulis me sentio captiuari, vt quamuis immobili circa legem Dei desiderio perseuerem, nullo tamen modo vim huius captiuitatis euadere posse me sentiam, nisi confugero semper ad gratiam Saluatoris.

*Quòd sancti omnes veraciter immundos se & peccatores esse confessi sunt. Cap. XVII.*

ET idcirco quotidianis suspirijs sancti omnes pro hac substantiæ suæ fragilitate compuncti, dum cogitationum varietates, & conscientiæ suæ latebras ac penetralia perscrutantur, suppliciter clamant: Non intres in iudicium *Psal. 142.* cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens. Et illud: Quis gloriabitur castum se habere cor, *Prou. 20.* aut quis fiduciam habebit mundum se esse a peccato? & *sec. lxx.* iterum: Non est iustus homo in terra, qui faciat bonum, & *Eccls. 7.* non peccabit. Et ita infirmam hominum imperfectamq. *sec. lxx.* iustitiam, ac Dei misericordiæ semper indigam esse sensērūt, vt vnus ex his cuius iniquitates atque peccata Deus misso de altari ignito verbi sui carbone purgauit, post illā mirificam contemplationem Dei, post intuitum sublimium Seraphim, & reuelationem sacramentorum cælestium dicat: Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio *Esai. 6.* populi polluta labia habētis ego habito. Qui sicut arbitror labiorum suorum immunditiam nec tunc quidem fortasse sensisset, nisi veram perfectionis & integrā puritatem contemplatione Dei meruisset agnoscere, cuius intuitu pollutionem suam sibi ante incognitam repente cognouit. Cum enim ait: Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum; de suo- *Ibid.* rum hoc labiorum, non de populi pollutione confessum id quod sequitur manifestat: Et in medio populi polluta labia habētis ego habito. Sed etiam cum orans peccatorum quasi vniuersalium immunditiam confitetur, non iniquorum tantum, sed etiam iustorum plebem generali supplicatione com-

*Esai. 64.* complectitur, dicens: Ecce tu iratus es, & peccauimus; in ipsis fuimus semper, & saluabimur; facti sumus vt immundi omnes nos, tamquam pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Rogo quid euidentius hac potest esse sententia, qua non vnam tantum, sed vniuersas iustitias nostras propheta complexus, & circumspiciens omnia quæ vel immunda vel horrida iudicãtur, quia nihil in hominum conuersatione sordidius neque impurius potuit reperire, panno eas comparare maluit menstruatæ?

*Etiam iustos & sanctos sine peccato non esse. Cap. XVIII.*

FRustra ergo manifestissimæ veritati spinosæ obiectionis acumen opponitur, sicut paulo ante dixistis, si nemo sine peccato, nullus est sanctus, & si nemo sanctus, nullus ergo saluabitur. Hoc enim prophetæ testimonio potest *Ibid.* nodus huius quæstionis absolui. Ecce, inquit, tu iratus es, & peccauimus; id est, cum elationem nostri cordis vel negligentias auersatus, tuo nos auxilio denudasti, confestim nos vorago absorbuit peccatorum, velut si quis splendidissimo solis diceret elemento: Ecce tu occubuisti, & nos illico tenebrosa cõtexit obscuritas. Et tamen cum hic sanctus peccasse se dicat, & non solum peccasse, sed etiam in ipsis *Ibid.* semper permansisse peccatis, non desperat penitus de salute, sed subdit: In ipsis fuimus semper, & saluabimur. Hanc ergo sententiam: Ecce tu iratus es, & peccauimus, illi apo- *Rom. 7.* stolicæ comparabo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Rursumq. id quod propheta subiungit: In ipsis fuimus semper, & saluabimur; consequentibus Apostoli cõgruit verbis: Gratia Dei per Iesum Christũ Do- *Esai. 6.* minum nostrũ. Similiter etiam illud eiusdem prophetę: Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito; supradictos sapere sermones videtur: Infelix ego homo, quis me liberabit de cor- *Ibid.* pore mortis huius? Itemq. quod sequitur in propheta: Et ecce volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius carbunculus siue calculus, quem forcipe tulerat de altari; & tetigit os meum, & dixit: Ecce hoc tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mũdabitur; tale est, *Rom. 7.* vt Pauli videatur ore prolatum, qui ait: Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Videtis ergo quemadmodum omnes sancti non tam ex persona populi quàm ex sua, &



sua, & peccatores se veraciter fateantur, & tamen nequaquam de sua salute desperent, sed iustificationis plenitudinem, quam pro cõdicione fragilitatis humanæ consequi se posse diffidunt, de gratia Domini & miseratione præsumãt.

*Quòd in ipsa quoque orationis hora peccatum declinari vix possit. Cap. XIX.*

NEminem vero in hac vita quamuis sanctum, immunem esse a debitis peccatorum, etiam magisteriũ nos edocet Saluatoris, qui discipulis suis perfectæ orationis formulam tradens, inter reliqua illa sublimia sacratissimaq. mandata, quæ quoniam nõ nisi sanctis perfectisq. sunt tradita, malis & infidelibus conuenire non possunt, hoc iussit interseri: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit- *Matth. 6.* timus debitoribus nostris. Si ergo vere hæc a sanctis profertur oratio, sicut indubitanter credere nos oportet, quis tam cõtumax & præsumptor, tamq. superbia diabolici furoris elatus poterit inueniri, qui sine peccato se esse pronuntians, nõ solum maiorem se Apostolis credat, verumetiam ipsum quasi ignorantiæ aut vanitatis arguat Saluatorem, vt scilicet aut nescierit esse posse aliquos immunes a debitis, aut frustra docuerit eos quos scierit orationis istius remedio non egere? Sed cum regis sui præcepta seruãtes, omnes omnino sancti quotidie dicant: Dimitte nobis debita nostra; si verum dicunt, vere nemo est immunis a culpa; si autem fallunt, æque verum est, eos mendacij nõ carere peccato. Vnde etiam ille sapientissimus Ecclesiastes vniuersos actus & humana studia mente percurrens, sine vlla exceptione pronuntiat: Quia non est iustus homo in terra, qui *Eccls. 7. sec. lxx.* faciat bonũ, & non peccabit; id est, nemo in hac terra tam sanctus, tam diligens, tam intentus, vel potuit vmquam vel poterit inueniri, qui vero illi ac singulari bono ita iugiter valeat inhærere, vt non quotidie ab eo distractum se sentiat deliquisse. Qui tamen cum pronuntietur immunis a noxa esse non posse, iustus esse nihilominus non negatur.

*A quibus sit peccati euacuatio, & virtutum discenda perfectio. Cap. XX.*

QVisquis igitur ἀναμάρτητον, id est, impeccantiam naturæ adscribit humanæ, non inanibus verbis, sed conscientiæ suæ testimonio nobiscum ac probatione confligat, & tunc demum se absq. peccato esse pronuntiet, cum se ab hoc summo bono senserit non auulsum: immo ve-

mo vero quisquis considerans conscientiam suam, vt non dicam amplius, vnam saltem synaxim sine vlla verbi, vel facti, vel cogitationis interpellatione se deprehenderit celebrasse, absque peccato se esse pronuntiet. Proinde quia his omnibus otiosis ac superfluis rebus volucrē humanæ mentis excursum fatemur carere non posse, per hoc vtique consequenter sine peccato nos non esse veraciter confitemur. Nam quātauis circumspectione vnusquisque cor suum seruare contendat, numquam id secundum desiderium spiritus sui, repugnante carnis condicione custodiet. Quanto enim magis profecerit mens humana, & ad sinceriorē contemplationis peruenerit puritatem, tanto se immundiorem quasi per speculum suæ puritatis inspiciet, quia necesse est vt dum animus ad sublimiorem se extendit intuitum, & maiora quàm agit prospiciens concupiscit, illa in quibus est, vt inferiora ac semper viliora despiciat.

*Quòd licet agnoscamus nos sine peccato non esse, non debeamus tamen nos a Dominica communione suspendere. Cap. XXI.*

PLura siquidē denotat sincerior obtutus, paritq. sibi maiorem reprehensionis dolorem irreprehensibilis vita, & multiplicat gemitus atque suspiria emendatio morum & æmulatio attenta virtutum. Nemo enim illo, in quo profecerit, gradu potest esse contentus, & quantum quis fuerit mente purgatior, tanto se sordidiorem videns magis humilitatis quàm elationis inuenit causas, quantoq. pernicius ad sublimiora † conscenderit, tanto amplius præuidet sibi superesse quo tendat. Denique ille Apostolorū eximius quem diligebat Iesus, recumbens supra pectus eius, hanc quasi ex Dominico protulit corde sentētiam: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Itaque si dicētes nos non habere peccatum, veritatem, id est, Christum non habemus in nobis, quid aliud proficimus, nisi vt nos hac ipsa professione ex peccatoribus sceleratos atque impios approbemus? Postremo si cordi est verius explorare, vtrum possibile sit humanæ substantię ἀναμάρτητον possidere, a quibus hoc manifestius discere poterimus, quàm ab his qui carnē suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs; & quibus vere crucifixus est mundus? Qui cum de cordibus suis non solum radicitus vitia vniuersa conuulserint, verumetiam cogitationes ac memoriam

al. conten derit.
Ioan. 13.
1. Ioan. 1
Galat. 5.
Galat. 6.



riam peccatorum conentur excludere, nihilominus tamen quotidie fideliter profitentur, ne vna quidem hora macula se posse carere peccati. Nec tamen ex eo debemus nos a Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores, sed ad eam magis ac magis est propter animæ medicinā & purificationem spiritus auide festinandum: verumtamen ea humilitate mentis ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioquin nec anniuersaria quidem digne est præsumenda communio, vt quidam faciunt qui in monasterijs consistentes, ita sacramentorum cælestium dignitatem & sanctificationem ac meritum metiuntur, vt æstiment ea non nisi sanctos atque immaculatos debere præsumere, & non potius vt sanctos mundosq. nos sua participatione perficiant. Qui profecto maiorem arrogantiæ præsumptionem, quam declinare sibi videntur, incurrunt, quia vel tunc cum ea percipiunt, dignos se eius perceptione dijudicant. Multo enim iustius est, vt cum hac cordis humilitate qua credimus & fatemur illa sacrosancta mysteria numquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quàm vt vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participio nos esse credamus. Quapropter vt hęc intelligere & fructuose tenere possimus, misericordiam Domini, vt nos ad perficienda hæc adiuuet attentius imploremus, quæ nequaquam ita vt cęteræ humanæ artes precedente quadam ratione verborum, sed actu potius & experientia præeunte discuntur, quæque rursum, nisi tam collationibus spiritalium virorum frequenter examinata fuerint & polita, quàm documentis & quotidiana experientia solicitæ ventilata, aut obsolescunt incuria, aut otiosa obliuione depereunt.

*COLLATIONIS TERTIAE abbatis Theonæ, Finis.*

COLLA-

# COLLATIO XXIV. ET VLTIMA, QVÆ EST ABBATIS ABRAHÆ

## DE MORTIFICATIONE.

### *Quomodo abbati Abrahæ cogitationum nostrarum prodiderimus arcana. Cap. I.*

QVarta atque vigesima ista collatio abbatis Abrahæ Christo fauente procuditur, omnium seniorũ traditiones atque instituta concludens, qua vestris orationibus consummata, illorum vigintiquattuor seniorũ, qui in sancta Apocalypsi coronas suas agno offerre dicũtur numero mystice cõgruente, cunctarum promissionum nostrarum debitis nos credimus liberandos. Si qua proinde gloria hi vigintiquattuor senes nostri ob institutionis suę meritum fuerint coronati, illi qui pro salute mundi immolatus est agno prostratis sunt capitibus oblaturi. Ipse enim & illis tam eximium sensum, & nobis qualemcumque sermonẽ, quo tanta profunditas promeretur propter honorem sui nominis donare dignatus est. Et necesse est, vt ad auctorem bonorũ omniũ muneris sui merita referãtur, cui hoc ipso debetur amplius quo magis soluitur. Igitur ad hunc Abraham impugnationem cogitationum nostratum anxia cõfessione detulimus, quia ad repetendam prouinciam nostram, atque ad reuisendos parentes, quotidianis æstibus vrgebamur. Hinc etenim nobis maxima desideriorum nascebatur occasio, quòd tanta religione atque pietate parẽtes nostros prędotos recordabamur, vt eos nequaquam impedituros nostrum propositũ præsumeremus, hoc iugiter mente voluentes, quòd profectum magis ex illorum essemus assiduitate capturi, nullaq. nos corporalium rerum solicitudine, nullis prospiciendi victus distentionibus occupandos, illis affatim omnem cum gaudio præbitionem nostræ necessitatis explentibus. Insuper etiam spe inanium gaudiorum animum pascebamus,

*Apoc. 4.*



mus, credẽtes fructum nos maximum percepturos de conuersione multorum, qui velut nostro essent ad viam salutis exemplo ac monitis dirigendi: tum præterea ipsorum locorum situs, in quibus erat a maioribus nostris auita possessio, ipsarumq. amœnitas iucunda regionum ante oculos pingebatur, quàm gratæ & congruæ solitudinis spatijs tenderetur, ita vt non solum delectare monachum possent secreta siluarum, sed etiam magna victus præbere compendia. Quæ omnia prædicto seni, cum secundum fidem conscientiæ nostræ simpliciter pãderemus, nec iam impugnationum vim tolerare nos posse, nisi nobis per illius medicinam Dei gratia subuenisset, profusis lacrymis testaremur, tacitus ille, diuq. cunctatus, atque ad extremum grauiter ingemiscens, ita respondit.

### *Quomodo senex nostros patefecerit errores. Cap. II.*

NEc dum vos desiderijs renuntiasse mundanis, nec mortificasse concupiscentias pristinas, cogitationum vestrarum prodit infirmitas. Nam sicut desidiã cordis vestri, desideriorum vestrorum peruagatio protestatur, hanc peregrinationem ac parentum absentiam, quam mente potius suscipere debuistis, carne tantummodo sustinetis. Sepulta enim hæc omnia, ac de cordibus vestris euulsa penitus iam fuissent, si vel rationem ipsius abrenuntiationis, vel principalem solitudinis causam, in qua consistimus, cœpissetis. Ideoque vos illa otij ęgritudine sentio laborare, quę in Prouerbijs ita notatur: In desiderijs est omnis otiosus. & iterũ: Desideria pigrum occidunt. Nam & nobis poterant hæc, quæ cõmendastis carnalium cõmodorum non deesse compendia, si credidissemus ea nostro conuenire proposito, aut talem ex illis amœnitatum voluptatibus fructum nobis iudicassemus posse conferri, qualis iste est qui de hoc locorũ squalore & corporis contritione cõquiritur. Nec sumus ita parentum solatio destituti, vt nobis desint qui de suis substantijs sustentare nos gaudeãt, nisi nobis illa sententia Saluatoris occurrens, quidquid ad fotum huius pertinet carnis excluderet: Qui non reliquerit, siue oderit patrem, & matrem, & filios, & fratres, non potest meus esse discipulus. Quòd si parentum quoque essemus prędio destituti, certe vel potentum mundi istius obsequia deesse non possent, qui promptissima largitate necessitatibus nostris cũ omni gratiarũ actione subministrare gauderent, quorũ munificentia sustẽ-

*Prou. 13.*
*sec. lxx.*
*Prou. 21.*
*Luc. 14.*

sustentati, parandi victus solicitudine careremus, nisi nos
*Hiere. 17* vehemẽter illa prophetica maledictio deterreret: Nam maledictus, inquit, homo, qui spem suam ponit in homine. &:
*Psal. 145.* Nolite confidere in principibus. Potuimus etiam cellulas saltẽ nostras super Nili fluminis alueum collocantes, aquã habere pro foribus, ne eã a quattuor milibus passuum nostris cogeremur deferre ceruicibus, nisi nos ad tolerantiam laboris istius indefessos beatus Apostolus reddens hoc iu-
*1. Cor. 3.* giter animaret eloquio: Vnusquisque, inquiens, propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Nec ignoramus esse nonnulla etiam in regionibus nostris amœna secreta, in quibus pomorum copia, & hortorum gratia, vel vbertas, necessitatem victus nostri minimo labore corporis expedirent, nisi impingendam nobis illam exprobrationẽ, quæ ad illum in Euangelio directa est diuitem, vereremur:
*Luc. 16.* Quia recepisti consolationem tuam in vita tua. Sed despectis illis omnibus, & cum vniuersa mundi huius voluptate contemptis, his tantũ squaloribus delectamur, vniuersisq. delicijs horrendam solitudinis istius præferimus vastitatẽ, neque huic arenarum amaritudini quantasvis vberis glebæ diuitias comparamus, non temporalia huius corporis lucra, sed æterna spiritus emolumenta sectantes. Parum est enim renuntiasse monachũ semel, id est, in primordio conuersionis suæ cõtempsisse præsentia, nisi eis quotidie renuntiare perstiterit. Vsque ad finẽ nãque huius vitæ illud nobis
*Hiere. 17* dicendum est cum propheta: Et diem hominis non desideraui, tu scis. Vnde & Dominus in Euangelio: Si quis vult,
*Luc. 9.* inquit, post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

### *De qualitate locorum, quæ ab anachoretis expeti debeant. Cap. III.*

ET idcirco ei, qui de interioris hominis puritate perunigilem solicitudinem gerit, expetenda sunt loca, quæ merem eius nulla ad culturæ distentionem vbertatis suæ fœcunditate solicitent, nec de cellulæ fixa atque immobili statione proturbent, atque ad aliquod subdiuale opus prodire compellant; & ita velut in apertum effusis cogitationibus omnem mentis directionem ac subtilissimum certe illius destinationis intuitum per diuersa dispergat, quæ a nemine prorsus quamuis solicito ac vigilanti vel caueri poterũt vel videri, nisi qui corpus atque animum iugiter intra parietum septa



septa concluserit, vt ita quis velut piscator egregius, victum sibi apostolica arte prospiciens, in tranquillissimo cordis sui profundo, agmina cogitationum natantia intẽtus atque immobilis captet, & tamquam de prominenti scopulo curiose profunda prospectãs, quas ad se hamo trahere debeat salutari, quas vero tamquam malos ac noxios pisces negligat ac refutet, sagaci discretione dijudicet.

### *Quæ a solitarijs operationũ genera debeant eligi. Cap. IV.*

IN hac ergo vnusquisque custodia iugiter perseuerãs, efficaciter illud implebit, quod per Habacuc prophetã satis euidenter exprimitur: Super custodiam meam stabo, & *Habac. 2 sec. lxx.* ascendam super petram, & speculabor vt videam quid loquatur in me, & quid respõdeam ad arguentem me. Quòd quanti laboris ac difficultatis sit, experimentis illorum, qui in illa Calami siue Porphyrionis eremo commorantur manifestissime comprobatur. Nam cum longiore solitudinis interuallo ab vniuersis vrbibus & habitaculis hominum quàm Scithi eremus diuidantur (septem siquidem vel octo mansionibus vastissimæ solitudinis deserta penetrantes vix ad cellularum suarum secreta perueniunt) tamen quia illic agriculturæ dediti, claustris minime cohibentur, cũ ad hæc squalida in quibus degimus, vel ad illa Scithica venerint loca, tantis cogitationum æstibus, tantaq. animi anxietate vexantur, vt quasi rudes & qui solitudinis exercitia ne leuiter quidem aliquando contigerint, commorationem cellæ & quietis silentia tolerare nõ possint, atque ex eis statim excussi, tamquam expertes & nouitij perturbentur. Non enim sedare interioris hominis motus & cogitationũ suarum tempestatibus obuiare, iugi solicitudine ac perseuerãti intentione didicerunt, qui subdiualibus quotidie operibus desudantes, tota die sub aerea inanitate, nõ solum corpore, verumetiam mente peruolitant, & cogitationes suas cũ mobilitate corporea passim in aperta diffundunt. Et idcirco nec multiuolam animi sui sentiunt vanitatẽ, nec eius lubricos possunt coercere discursus, & contritionem spiritus non ferentes, intolerabilem sibi ipsam silentij sui æstimant iugitarem, ac laboriosis ruris operibus indefessi, vincuntur otio, & quietis suæ diuturnitate lassantur.

### *Quòd euagatione corporis grauetur magis quàm releuetur cordis anxietas. Cap. V.*

NEc mirum si in cella quis residens quasi intra artissimũ claustrum cogitationibus congregatis, anxietatum

multitudine suffocetur, quæ de carceribus habitaculi cum homine prorumpentes, continuo velut equi effrænes in diuersa peruolitant. Sed cum ad præsens de suis velut stabulis euagentur, capitur statim aliquod vel breue ac triste solatium, cum vero corpore ad cellam propriam remeante, rursus quasi ad sedem suam cuncta cogitationū caterua recurrerit, grauiores excitat stimulos ipsa inueteratæ licētiæ cōsuetudo. Hi ergo, qui necdum possunt vel nolunt voluntatū suarum instigationibus reluctari, cum acedia pectus insolitum vehementius impugnante, intra cellam fuerint anxiati, si progrediendi sæpius libertatem sibi remissa districtionis lege concesserint, acriorem aduersum se pestem hoc vt putant remedio suscitabunt, sicut gelidissimæ aquæ haustu vim internarum febrium quidam restringuere posse se credunt, cum vtique accendi ex hoc ignem illum cōstet potius quàm sedari, si quidem momentaneam illam reuelationem multo grauior consequetur afflictio.

*Ad quam comparationem monachus cogitationes suas debeat custodire. Cap. VI.*

QVamobrem ita monachi omnis intentio in vnum semper est defigenda, cunctarumq. cogitationum eius ortus atque circumitus in idipsum, id est, ad memoriā Dei strenue reuocandi, velut si quis absidis cameram volēs in sublime concludere, subtilissimi illius centri lineam iugiter circumducat, ac secundum certissimam normam omnem rotunditatis patilitatem, & structuræ colligat disciplinam. Qui vero eam absque illius medietatis examine consummare, quamuis summa artis aut ingenij præsumptione tentauerit, impossibile est, vt æqualitatem circuitus illius sine errore custodiat, aut quantum veræ rotunditatis pulchritudini errādo subtraxerit solo deprehendat aspectu, nisi ad illum indicem veritatis semper recurrens, atque eius arbitrio interiorem operis sui ambitum exterioremq. castigans, tam excelsæ magnitudinis molem vnius puncti lege concludat. Ita etiam mens nostra nisi solam Domini charitatem, velut centrum immobiliter fixum, per vniuersa operum molitionumq. nostrarū momenta circumagens, probabili (vt ita dixerim) circino charitatis, omnium cogitationum vel aptauerit, vel repulerit qualitatem, nequaquam
1. Cor. 3. structuram illam ædificij spiritalis, cuius Paulus est architectus, probabili arte molietur, nec pulchritudinem domus illius



illius possidebit, quam beatus Dauid in corde suo Domino cupiens exhibere: Domine, inquit, dilexi decorem domus Psal. 25.
tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; sed indecoram in corde suo atque indignā Spiritu sancto domum, continuoque lapsuram imprudenter attollet, non glorificandus beati cohabitatoris hospitio, sed ruina cōstructionis suæ lugubriter opprimendus.

*Interrogatio cur obesse nobis parentum vicinia putaretur quæ in Ægypto consistentibus non obesset.*

GERMANVS. *Cap. VII.*

SAtis vtili ac necessario præcipitur instituto hoc operum genus, quod intra cellulam exerceri potest. Etenim non solū exemplo beatitudinis vestræ apostolicarum virtutum imitatione fundatæ, verumetiam experientiæ nostræ testimonio commoditas huius rei nobis sæpe comperta est. Sed parentum vicinia quam nec vos nimium respuistis, cur tantopere a nobis debeat euitari non satis claret. Cum enim vos in omni perfectionis via irreprehēsibiliter incedentes, non solum in proprijs residere regionibus, sed nec longe a viculis suis quosdam recessisse cernamus, cur id quod vobis noxium non est, nobis putetur aduersum?

*Responsio quomodo non omnibus conueniant omnia.*

ABRAHAM. *Cap. VIII.*

NOnnumquam mala ex bonis rebus sumi videmus exempla. Nam si eadem quis agere, non eodem affectu atque proposito, aut dissimili virtute præsumpserit, profecto exinde laqueum deceptionis & mortis incurret, vnde alijs æternæ vitæ fructus acquiritur. Quod ille
1. Reg. 17 quoque puer manu fortis, bellicosissimo illi gigāti in certamine comparatus, haud dubie pertulisset, si virilibus atque fortissimis Saulis armis fuisset indutus; & quibus ætas robustior innumerabiles cateruas hostium prostrauisset, hæc indubitatam primæue potuerunt inferre perniciem, nisi prudenti discretione congrua adolescentiæ suæ armorum genera delegisset, & aduersus hostem teterrimum, non lorica & clypeo quibus ceteros videbat instructos, sed illis quibus ipse dimicare telis poterat fuisset armatus. Quamobrem mensuram virium suarum vnumquemque nostrum conuenit diligentius ante pensare, atque ad eius modulum arripere quam libuerit disciplinam; quia quamuis omnes vtiles sint, tamen aptæ cunctis cunctæ esse nō possunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Non enim quia bona est anachoresis, vniuersis eam congruam comprobamus. A multis enim nõ solum infructuosa, sed etiam perniciosa sentitur. Nec quia institutionẽ cœnobiorum vel curã fratrum sanctam atque laudabilẽ merito profitemur, idcirco ab vniuersis eam expetendam esse censemus. Ita etiam xenodochij vberrimus fructus est, sed ab omnibus expeti sine patientiæ detrimento non potest. Proinde primum regionis vestræ, atque huius inter se pensanda sunt instituta, deinde vires hominum iugi vel virtutum, vel vitiorum assiduitate collectæ, diuersa lance inuicem trutinandæ. Fieri etenim potest, vt quod alterius gentis homini arduũ atque impossibile est, hoc alijs insita cõsuetudo quodammodo verterit in naturã, sicut nationes quædam ingenti plagarum diuersitate disiunctæ magnam vim frigoris, vel ardorem solis absque vllo corporis perferũt tegumento, quæ vtique alij illam cæli inclementiam non experti, quantivis roboris fuerint, sustentare non possunt. Ita etiam vos, qui summo animi & corporis nisu, in hac regione dumtaxat, quasi naturam patriæ vestræ in multis impugnare conamini diligenter expendite, vtrum in illis torpidis (vt fama est) regionibus, & velut frigore nimiæ infidelitatis obstrictis, hanc (vt ita dixerim) nuditatem sustentare possitis. Nostris enim istam propositi fortitudinem naturaliter quodammodo indidit sanctæ conuersationis antiquitas, quorum si constantiæ atque virtuti pares esse vos cernitis, viciniam parentum fratrumq. vestrorum similiter fugere non deberis.

*Quod hi possint parentum viciniam non timere, qui abbatis Apollo mortificationem potuerint æmulari. Cap. IX.*

VT vero ad certum districtionis examen vestrarum virium quantitatem meriri congrua æstimatione possitis, cuiusdam vobis senis, id est, abbatis Apollo factum breuiter indicabo, vt si vos intimum vestri cordis examen huius proposito atque virtuti haud inferiores esse cẽsuerit, absque iactura profectus vestri professionisq. periculo, patriæ inhabitationem ac parentũ viciniã præsumatis; certi quòd districtionem humilitatis huius, quam vobis in hac prouincia non solum voluntas, sed etiam necessitas peregrinationis extorquet, propinquitatis affectus aut locorum oblectatio non possit euincere. Ad hunc igitur quem prædiximus





senem, cum germanus suus intempesta nocte venisset, implorãs, vt de monasterio suo paulisper egressus, ad eueilendum bouem, quem cœno palustri eminus inhærere flebiliter quærebatur, ei esset auxilio, quia eum solus nequaquam posset eruere, abbas Apollo pertinaciter obsecranti: Cur, ait, iuniorem fratrem nostrum, quem prçteriẽs propiorem, quàm me, habueras, non rogasti? Cumq. ille eum mortem olim sepulti fratris oblitum, & ex nimia continentiæ ac solitudinis iugitate velut imporem mentis existimans respondisset: Quemadmodum poteram de sepulchro eum, qui ante annos quindecim obijt inuocare? abbas Apollo: Ignoras ergo, ait, me quoque ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum, nullaq. iam posse de huius cellæ sepulchro, quæ ad præsentis vitæ pertineant statum, tibi conferre solatia? quem in tantum Christus ab intentione mortificationis arreptæ, vel modicum ad extrahendũ bouem tuum non patitur relaxari, vt ne breuissimi quidem momenti inducias pro patris indulserit sepultura, quæ multo vtique celerius, honestius, & religiosius fuerat exhibenda. Reminimini itaque nunc arcana pectoris vestri, prudenterq. conijcite, an talem etiam vos iuxta parẽtes vestros districtionẽ mentis iugiter retentare possitis. Cumq. vos in hac animi mortificatione eidem consimiles senseritis, tum demum scitote parentum fratrumq. viciniam, vobis quoque similiter noxiam nõ futuram, vt scilicet eis, quamuis in proximo constituti, velut mortuos vos esse credatis, ita vt nec illos vestris foueri solatijs, nec vos illorũ sinatis obsequijs relaxari. *Matt. 8.*

*Interrogatio an obsit monacho si a parentibus necessaria suggerantur. Cap. X.*

GERMANVS. SVper hoc plane iam nullũ ambiguitati locum vlterius reliquisti. Certi etenim sumus tam præsentis huius habitus vilitatem, quàm quotidiana hæc nudi pedalia in illorum vicinia nullatenus exercere nos posse, sed ne laborẽ quidem illic simili ea, quæ sunt ad victum necessaria prouisuros, sicut hic etiam ipsam quotidie aquam cernitibus nostris ex tribus milibus exhibere compellimur; nec nostra enim nec illorum verecundia, hæc nos coram illis agere omnino patietur. Sane quid nostro proposito oberit, si illis subministrantibus vniuersa, nos solicitudine parandi victus penitus absoluti, lectioni tantum & orationi operam dederimus, vt isto quo nunc distrahimur labori

Universidad de Deusto
Biblioteca



re ſublato, ſpiritalibus tantũ ſtudijs intentius incubemus?

*Reſponſio quid ſanctus Antonius ſuper hoc pronuntiauerit.*

HABRAHAM. *Cap. XI.*

NOn meam contra hoc vobis, ſed beati Antonij ſententiam proferam, qua ille ita cuiuſdam fratris hoc quo dicitis tepore torpentis ſegnitiam confutauit, vt etiam nodum veſtræ propoſitionis abſcideret. Nam cum ad prædictum virum quidam, vt dixi, veniens anachoreticam diſciplinam minime diceret admirandam, maioris pronuntians eſſe virtutis, ſi ea quæ perfectionis ſunt inter homines quiſpiã quàm in eremo poſitus exerceret, beatus Antonius vbi nam ipſe cõſiſteret, percontatur. Cumq. ille ſe iuxta parentes ſuos habitare dixiſſet, & eorum præbitione ab omni cura & ſolicitudine diurni operis abſolutum, lectioni tantum & orationi, abſq. vlla diſtentione ſpiritus indeſinenter gloriaretur inſiſtere; rurſum beatus Antonius: dic, inquit, fili, vtrum in eorum damnis vel aduerſis caſibus contriſteris, pariq. etiam modo ſuper eorum proſperitate congaudeas. Ille vtriuſque rei ſe participẽ eſſe confeſſus eſt. Cui ſenex: Noueris te, inquit, etiam in futuro ſæculo eorum ſorte cenſendum, cum quibus in hac vita in lucri detrimentiq. conſortio, vel gaudio vel mœrore concureris. Nec hac contentus ſententia beatus Antonius, maiorẽ inſuper campum diſputationis ingreſſus eſt: Hæc, inquiens, cõuerſatio atque hic tepidiſſimus ſtatus, non hoc ſolo quod dixi te feriunt detrimento (licet id nunc ipſe non ſentias, dicens quodam- *Prou. 23.* modo ſecundum illam Prouerbiorum parabolam: Ferierũt *ſec. lxx.* me, ſed non dolui; & deluſerunt me, ego autem neſciui. vel *Oſea. 7.* illud quod dicitur in propheta: Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit) quòd ſcilicet diebus ſingulis mentem tuam pro caſuum varietate mutantes, indeſinẽter ad terrena demergũt, verum etiam quòd fructu manuum tuarum, & iuſta laboris proprij mercede te fraudãt, non permittentes te horum præbitione ſuffultum ſecũdum beati Apoſto- *Act. 20.* li regulam, quotidianum tibi victum tuis manibus præparare, quam ille vltima Epheſiorũ Eccleſiæ principibus præcepta promulgans, ſe etiam ſanctis euangelicæ prædicationis ſtudijs occupatum, non ſolum ſibi, verum etiam his qui *Ibid.* erant erga miniſterium ſuum neceſſarijs obſequijs præpediti, præbuiſſe ſe memorat, dicens: Ipſi ſcitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt



runt manus iſtæ. Quod tamen vt ſe feciſſe pro forma noſtræ vtilitatis oſtenderet, alibi ait: Non otioſi fuimus inter *2. Theſſ. 3* vos, neque gratis panẽ ab aliquo manducauimus, ſed in labore & fatigatione nocte ac die operãtes, ne quem veſtrum grauaremus: non quia non habuerimus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.

*De vtilitate operationis, & otij detrimento. Cap. XII.*

ET ideo cum etiam nobis parentum præſidia non deeſſent, tamen hãc cunctis opibus prætulimus nuditatem & quotidiana corporis alimenta noſtris maluimus ſudoribus præparare, quàm ſecura parentum præbitione fulciri, laborioſiſſimę huic penuriæ illam, quam prædicas otioſam ſcripturarum meditationem, atque infructuoſam lectionis inſtantiã poſtponentes, quam proculdubio libentiſſime ſectaremur, ſi hoc eſſe vtilius vel exẽplis ſuis apoſtolica tradidiſſet auctoritas, vel inſtituta ſeniorũ ſalubriter præfiniſſent. Noueris autem te etiam ex hoc non leuius quàm ex illo quod ſupra diximus affici detrimento, quia cum ſis ſani corporis ac robuſti, ſtipe ſuſtentaris aliena, quæ iuſte ſolis eſt debilibus attributa. Nam vtique omne hominum genus abſque illo tantum genere monachorum, quod ſecundum præceptum Apoſtoli quotidianis manuum ſuarum laboribus viuit, agapen alienæ operationis expectat. Vnde non ſolum eos, qui ſemetipſos, vel parentum facultatibus, vel famulorum laboribus, vel fundorum ſuorum fructibus gloriantur, ſed ipſos etiam reges mundi huius, agape certum eſt ſuſtentari. Hoc denique maiorũ noſtrorum definitio habet, qui quidquid ad neceſſitatem quotidiani victus inſumitur, quod opere manuum noſtrarum effectum partumq. non fuerit, ad agapen referri debere ſauxerunt, ſecundum Apoſtolum, qui otioſis penitus interdicens opem largitatis alienæ: Qui, inquit, non operatur, nec manducet. His ver- *Ibid.* bis aduerſus quẽdam vſus beatus Antonius, etiam nos magiſterij ſui informauit exemplo, vt parentum pernicioſiſſima blandimenta, & omnium qui victus neceſſaria ſubminiſtrant, inſuper etiam omnem amœnæ habitationis gratiam deuitemus, ſqualentesq. naturali amaritudine aregenas, & peruſtas ſalſa inundatione regiones, nulliq. obidipſum hominum iuri dominioq. ſubiectas, cunctis mundi huius opibus præponamus, vt non ſolum frequẽtias hominum obtentu inuiæ ſolitudinis declinemus, ſed etiam vt

nequaquam nos ad qualiscumque culturæ distentionem vberis soli natura solicitet, per quam mens ab illa principali cordis obseruatione distracta, spiritalibus studijs rederetur effœta.

*Fabula de tonsoris mercede composita ad illusiones diaboli cognoscendas. Cap. XIII.*

NAm quod alios quoque saluare vos posse confiditis, & spe maioris lucri ad reuisendam patriam festinatis, audite etiam super hoc quamdam abbatis Macarij fabulã, iucundissime atque aptissime figuratam, quam & ille cuidã similibus desiderijs æstuanti, medicina oportunissimæ narrationis ingessit. Erat, inquit, in ciuitate quadam peritissimus tonsor, qui denarijs ternis vnumquemq. detondẽs, tenuem vilemq. mercedem sui operis acquirendo ex hac eadem quantitate necessaria victui quotidie comparabat; centumq. denarios expleta omni corporis cura, marsupio suo diebus singulis inferebat. Sed cum indesinenter hunc conderet quæstum, audiuit in quadam longe posita ciuitate, singulorum solidorum singulos homines tonsori præbere mercedem. Quo ille comperto: Quamdiu ero, inquit, hac mendicitate contentus, vt trium denariorum stipem cum labore conquiram, cum possim illo pergens ingenti solidorum quæstu diuitias congregare? Itaque sumens artis suæ protinus instrumenta, expensis in sumptu omnibus, quę hic multo tempore collecta seruarat, ad vrbem illam quæstuosissimam cum summo labore peruenit. Vbi cum ea, qua ingressus est, die secundum id quod compererat ab vnoquoque mercedem sui operis recepisset, ad vesperam se videns grandem solidorum numerum conquisisse, ad macellum lætus intrẽdit, escas refectioni suæ necessarias coempturus. Quas cum cœpisset magno solidorum pretio comparare, expensis in perexiguo victu vniuersis, quos acquisierat solidis, ne vnius quidem denarij intulit lucrum. Cumq. ita singulis diebus acquisitionem suam vidisset insumi, vt non solũ nihil redigere, sed vix ipsam quotidianæ substãtiæ necessitatem posset explere, apud semetipsum recogitans: Reuertar, inquit, ad ciuitatem meam, illumq. repetam tenuissimum quæstum, ex quo mihi expleta omni corporis cura, quod ad sustentationem senectutis accresceret, quotidiana exuberantia conferebat. Quod quamuis paruum videretur & tenue, non mediocrem tamen summam iugi pariebat augmento. Quæstuosior quippe mihi fuit ille nummorum quàm iste solidorum imaginarius quæstus, ex quo non solum nihil exuberat quod recondam, sed etiam vix ipsa quotidiani victus necessitas sustinetur. Et idcirco rectius nobis est, hunc solitudinis huius tenuissimum fructum indirupta iugitate sectari, quem nullæ sæculares curæ, nullæ mundanæ distentiones, nulla cenodoxiæ ac vanitatis arrodat elatio, nullæ solicitudines diurnæ necessitatis imminuãt (Melius est enim modicum iusto super diuitias peccatorũ multas) quàm affectare lucra illa maiora, quæ etiã si parta fuerint quæstuosissima conuersione multorum, necessitate tamen mundanę conuersationis, & quotidianis distentionum diminutionibus absumẽtur. Melior namque est, secundum sententiã Salomonis, pugillus vnus cum requie, quàm duo pugilli cum labore & præsumptione spiritus. Quibus illusionibus atque dispendijs omnes admodũ infirmos necesse est implicari, qui cum etiam de sua salute sint dubij, ipsiq. adhuc magisterio atque institutione egeant aliena, ad conuertendos alios & regẽdos diabolicis illusionibus instigantur, quiq. etiam si potuerint lucri aliquid ex quorumdã conuersione conquirere, impatientia sua atque inconditis moribus quidquid acquisierint profligabunt. Illud namque eis quod Aggæus propheta describit, eueniet: Et qui mercedes congregat, misit eas in sacculum pertusum. Vere enim lucra sua in pertusum sacculum cõdit, qui quidquid per aliorũ conuersionẽ videtur acquirere, intẽperantia cordis sui & quotidiana animi distẽtione disperdit. Itaque fiet, vt dum vberiora lucra per aliorũ credũt institutionẽ parare se posse, etiã sua correctione priuentur. Sunt enim qui se diuites ferunt, nihil habentes, & sunt qui se humiliãt in multis diuitijs. &: Melior est vir in ignobilitate seruiens sibi, quàm qui dignitatem sibi acquirit, & indiget pane.

*Psal. 36.* *Eccls. 4. sec. lxx.* *Aggæ. 1. sec. lxx.* *Prou. 13. sec. lxx.* *Prou. 12. sec. lxx.*



*Interrogatio, vnde nobis talium cogitationum error irrepserit. Cap. XIV.*

GERMANVS. SAtis congrue nobis his comparationibus disputatio tua cogitationum nostrarum manifestauit errores, quorum causas & curationes similiter optamus agnoscere, & vnde acciderit nobis ista deceptio, pariter cupimus edoceri. Nulli etenim est dubium neminem admodum posse remedia malis valitudinibus adhibere, nisi eum qui ipsas morborum origines ante prædixerit.

Respon-

*Responsio de tripartito animæ motu.*

HABRAHAM. *Cap. XV.*

OMnium vitiorum vnus fons atque principium est, secundum qualitatẽ vero partis illius, & (vt ita dixerim) membri quod in anima fuerit vitiatum, diuersa vocabula passionum corruptionumq. sortitur. Quod nonnunquam etiam morborum corporalium probatur exemplo, quorum cum vna sit causa, in diuersa tamen ægritudinum genera pro qualitate membrorum, quæ fuerint occupata, distinguitur. Etenim cum arcem corporis, id est, caput, vis noxij humoris obsederit, cephalalgiæ procreat passionem; cum vero aures, oculosve peruaserit, in otalgicũ, siue in ophthalmicum vertitur morbum, cumq. se ad articulos quosque & ad manuum summa trãsfuderit, articularis atque chiragrica dicitur valitudo: cum autem ad pedum ima defluxerit, podagra mutato nomine nũcupatur: tot postremo censenda vocabulis, quot membrorum ceperit portiones. Eodem modo de visibilibus ad inuisibilia transeuntes, animæ nostræ partibus, atque (vt ita dixerim) membris, vim cuiusque vitij inesse credamus. Quã cũ sapientissimi quique tripartitæ definiant esse virtutis, necesse est vt aut λογικὸν, id est, rationabile, aut θυμικὸν, id est, irascibile, aut ἐπιθυμητικὸν, id est, concupiscibile eius, aliquo corrũpatur incursu. Cum ergo aliquem ex his affectibus vis noxiæ passionis obsederit, pro illius corruptione etiam vitio nomen imponitur. Nam si rationabilem eius partem vitiorum pestis infecerit, cenodoxiæ, elationis, inuidiæ, superbiæ, præsumptionis, hæreseos vitia procreabit. Si irascibilem vulnerauerit sensum, furorem, impatientiam, tristitiam, acediam, pusillanimitatem, crudelitatemq. parturiet. Si concupiscibilem corruperit portionem, gastrimargiam, fornicationem, philargyriam, & desidetia noxia terrenaq. germinabit.

*Rationabilem nostræ animæ partem corruptam principio esse curandam. Cap. XVI.*

ET idcirco si fontem vitij huius & originẽ vultis agnoscere, rationabilem mentis vestrę atque animæ portionem noueritis esse corruptam, ex qua uel præsumptionum uel cenodoxiæ solent uitia pullulare Proinde hoc primum uobis animæ (ut ita dixerim) membrum rectæ discretionis iudicio & humilitatis uirtute curandum est; quo uitiato dum non solum ad perfectionis iam peruenisse fastigia, sed etiam



etiam docere alios posse vos creditis, & ad eruditionem ceterorum sufficientes atque idoneos iudicatis per elationem cenodoxiæ hac, quam patefecit vestra confessio, peruagationũ vanitate raptamini; quas amputare deinceps absque difficultate poteritis, si veræ discretionis, vt dixi, humilitate fundati, quàm laborioſum quàmq. difficile sit vnicuique nostrum saluare animam suam mentis vestræ contritione discatis, & intimo cordis affectu, non modo longe vos ab illa docendi præsumptione submotos, verum etiam adhuc egere doctoris agnoscatis auxilio.

*Quòd infirmior pars animæ diabolicis tentationibus primæ succumbat. Cap. XVII.*

ADhibete ergo huic membro vel parti animæ vestræ, quam specialiter diximus vulneratam, vere humilitatis medelam; quæ quoniam ceteris animæ partibus in vobis, quantum apparet, infirmior est, necesse est, vt diabolicæ infestationi prima succumbat. Quemadmodum enim ingruentibus quibusdam iniurijs, quæ vel ex accidenti labore, vel de aeris corruptione gignuntur, fieri etiã in corporibus humanis solet, vt illa, quæ fuerint infirmiora, casibus istis prima consentiant atque succumbant; cumq. peculiarius in eis morbus insederit, reliquas quoque partes corporis tabefaciat; ita & animã vniuscuiusque nostrum flante quodammodo pestilenti halitu vitiorum, illa maxime passione necesse est attẽtari, in qua tenerior atque infirmior eius portio, validis inimici non tam fortiter resistit impulsibus, & ex illis periculum captiuitatis incurrere, in quibus facilio-
rem proditioni aditũ referat incauta custodia. Sic namque
Balaam populum Dei posse decipi, certa ratione collegit, *Apo. 2. ex*
dans consilium vt ex illa parte, qua infirmari nouerat filios *Num. 24.*
Israel, pernicioſi eis laquei tenderentur, non dubitans eos oblata copia feminarum fornicationis ruina protinus collapsuros, quia concupiscibiles animæ eorum partes sciebat esse corruptas. Ita ergo vnumquemque nostrũ nequitię spiritales versuta malignitate pertentant, illis præcipue affectibus animæ insidioſos laqueos præstruentes, quibus eam senserint ægrotare; vt verbi gratia, cum viderint rationabiles animæ nostræ partes esse vitiatas, illo nos ordine decipere moliantur, quo Achab regem ab illis Syris deceptum
scriptura commemorat, qui dixerunt: Scimus quoniam re- *3. Reg. 20*
ges Israel misericordes sũt; ponamus itaque saccos in lumbis no-

bis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad regem Iſrael, & dicemus: Seruus tuus Benadad dicit: Viuat, oro, anima mea. Quibus ille non vera pietate, ſed vana
*Ibid.* miſericordiæ laude permotus: Si adhuc, inquit, viuit, frater meus eſt. Et hoc exemplo etiam nos rationabilis illius partis errore deceptos, inde incurrere offenſam Dei faciant, vnde conſecuturos mercedem, ac recepturos pietatis nos
*Ibid.* præmia credebamus, ſimiliq. nobis etiam increpatione dicatur: Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo
*3. Reg. 22* eius. Sitte cum immundus ſpiritus dicit: Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius; per ra-
*al. apertũ* tionabilem proculdubio affectum, quem letalibus† aptum norat inſidijs, laqueum deceptionis ac mortis intendit. Sic
*Matt. 2.* etiam Herodem per iraſcibilem animæ partem ad illam tantorum infantium necem callidiſſimus hoſtis impegit, eo quòd iſtam propẽſius in eo nouerat vitiatã. Quod etiam de Domino noſtro idem ſpiritus opinatus, cum in his eum tribus animæ tentaſſet affectibus, in quibus omne hominũ genus nouerat captiuari, nihil tamen verſutis profecit inſi-
*Matt. 4.* dijs. Nam concupiſcibilẽ mentis eius aggreſſus eſt partem, dicens: Dic vt lapides iſti panes fiãt. Iraſcibilem, cum eum ad expetendam præſentis ſæculi poteſtatem & regna mun-
*Ibid.* di huius inſtigare conatus eſt. Rationabilem, cum ait: Si filius Dei es, mitte te deorſum. In quibus idcirco nihil eius profecit illuſio, quia nihil ſecundum coniecturam ſuam, quam falſa opinatione conceperat, in eo reperit vitiatum.
*Ioan. 14.* Vnde etiam nulla pars animæ eius, inimici inſidijs attenta conſenſit: Ecce enim, inquit, venit princeps mundi huius, & in me inuenit nihil.

*Interrogatio, an vtili deſiderio maioris ſilentij retraheremur ad patriam. Cap. XVIII.*

GERMANVS.

INnter cetera illuſionum errorumq. noſtrorum genera, quæ nos ad deſiderium patriæ noſtræ, ſicut beatitudo tua ſolerti mentis perſpexit intuitu, vana ſpiritalium commodorum pollicitatione flammauerant, etiam hæc vel maxima extitit cauſa, quòd interdum a fratribus frequentati, iugi ſecreto, ac diuturno ſilentio, ſecundum deſiderium noſtrum nequaquam poſſumus inhærere. Per quod neceſſe eſt curſum atque menſurã quotidianæ continentiæ, quam protaſtigatione corporis indiruptam perpetuo cupimus retenta-



tare, nonnullis ſuperuenientibus fratribus, intercidi. Quod ſine dubio nullatenus in noſtra prouincia credimus euenturum, in qua aut nullum, aut certe rariſſimum profeſſionis huius virum inuenire poſſibile eſt.

*Reſponſio de illuſione diaboli eo quòd vaſtioris ſolitudinis requiem repromittat. Cap. XIX.*

ABRAHAM.

IRrationabilis atque inconſideratæ diſtrictionis, immo potius ſummi teporis indicium eſt, nequaquã ab hominibus frequentari. Qui enim in hac, quam arripuit via nimium tardis paſſibus graditur, ac ſecundũ anteriorem hominem conuerſatur, æquum eſt vt ad eum, non dicam ſanctorum, ſed ne hominum quidem vllus adueniat. Vos autẽ ſi vera atque perfecta Domini dilectione flagratis, & Deũ,
*1. Ioan. 4.* qui vtique charitas eſt, pleno ſpiritus feruore ſectamini, ad quælibet loca inacceſſibilia fugeritis, neceſſe eſt ea ab hominibus frequẽtari; quantoq. vos propiores Deo amoris diuini ardor effecerit, tanto ad vos maior ſanctorum fratrum confluet multitudo. Non enim poteſt, ſecundum ſententiã Domini, ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: Quia dili-
*Matt. 5.* gentes me, inquit Dominus, glorificabo; qui autẽ me con-
*1. Reg. 2. ſec. lxx.* temnunt erunt ignobiles. Verumtamen noſſe debetis hanc eſſe ſubtiliſſimam diaboli calliditatem, hãc occultiſſimam foueam, in quam miſerabiles & incautos quoſque præcipitat; vt dum eis maiora promittit, neceſſaria quotidiani fructus emolumenta ſubripiat, abſtruſiores ſcilicet & vaſtiores ſolitudines expeti debere perſuadens, easq. velut mitis amœnitatibus conſitas in eorum corde depingens, ignota etiã quædam & quæ penitus nuſquã ſunt loca, velut cognita ac præparata, noſtræq. poteſtati iã dedita, & abſque vlla difficultate poſſidenda cõfingit. Homines quoque regionis illius tractabiles, & ad viam ſalutis ſequaces eſſe mentitur, vt dũ illic vberiores fructus animę pollicetur, præſentia lucra fraudulenter auertat. Nam cum vnuſquiſque hac vana ſpe a ſeniorũ ſalutari cõtubernio ſeparatus, atque omnibus quæ ſibimet fruſtra in ſuo corde depinxerat, fuerit deſtitutus, velut de profundiſſimo ſopore conſurgens, nihil ex his quæ ſomniauerat expergefactus inuenier. Itaque eũ diabolus maioribus vitæ huius neceſſitatibus & inextricabilibus laqueis irretitũ ne reſpirare quidẽ ad hæc, quæ ſibi ipſe promiſerat, aliquando permittit, eumq. nõ iam illis quas ante vitauerat raris ac ſpiritalibus fratrũ viſitationibus, ſed quotidia-

tidianis sæcularium incursionibus obligatum, ne ad mediocrem quidem anachoreseos quietem ac disciplinā vmquam redire patietur.

*Quam vtilis sit remissio in aduentu fratrum. Cap. XX.*

ILla quoque remissionis atque humanitatis intercapedo gratissima, quæ nonnumquā pro aduentu fratrum interuenire consueuit, licet molesta vobis ac fugienda videatur, tamen quàm sit vtilis ac salubris tam corpori quàm spiritui vestro paucis patienter attendite. Sæpe accidit, non dicam nouitijs & infirmis, sed etiam experientissimis atque perfectis, vt nisi mentis eorū directio atque censura, quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certe in pernicioſam corporis valitudinē collabatur. Et idcirco a prudentibus atque perfectis, cū intercesserit fratrum etiam crebra visitatio nō solum toleranda patienter, sed etiam gratanter est amplectenda. Primum quòd prouocat nos auidius semper solitudinis desiderare secreta; nam quodammodo cursum nostrum dum interpolare creditur, infatigabilem iugemq. conseruat; qui si nullo interdum obice tardaretur, vsque ad finem cōtendere indefessa pernicitate non posset. Deinde quòd necessitatem reficiendi corpusculi cum fructu humanitatis indulget, maiora nobis conferens lucra cum iucundissimo corporis laxamento, quàm illa sunt quæ per abstinentiæ fatigationē fuerant acquirenda. Super qua re aptissimam comparationem antiqua narratione vulgatam breuiter indicabo.

*Quomodo Euangelista Ioannes vtilitatem remissionis ostendisse dicatur. Cap. XXI.*

FErtur beatissimus Euangelista Ioannes cum perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad se habitu venatorio venientem subito cōspexisse. Qui miratus quòd vir tantæ opinionis ac famæ ad tam parua & humilia se oblectamenta submitteret: Tu ne es, inquit, ille Ioannes, cuius fama insignis ac celeberrima, me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tā vilibus occuparis? Cui beatus Ioannes: Quid est, inquit, quod manu tua gestas? At ille: Arcus. Et cur, ait, non eum tensum semper vbique circumfers? Cui ille respondit: Non oportet, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata mollescat atque depereat, & cum oportuerit vt sortiora in aliquam feram spicula dirigantur, rigore iam per nimietatem continuæ tensio-



tensionis amisso, violentior ictus non possit emitti. Nec nostri, inquit, beatus Ioannes, animi te offendat, o iuuenis, tam parua hæc breuisq. laxatio, quæ nisi remissione quadam rigorem intentionis suæ interdum releuet ac relaxet, irremisso vigore lentescens, virtuti spiritus, cum necessitas poscet obsecundare non poterit.

*Interrogatio qualiter intelligendum sit illud, quod in Euangelio dicitur: Iugum meum suaue, & onus meum leue est. Cap. XXII.*

GERMANVS.

QVoniam nobis illusionum cunctarum remedia cōtulisti, & diabolicæ quibus quatiebamur insidiæ, per doctrinam tuā Domino donante detectæ sunt, hoc quoque nobis similiter precamur edisseri, quod in Euāgelio dicitur: Iugum meum suaue, & onus meum leue est. Satis enim propheticæ illi sententiæ videtur aduersum, qua dicitur: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Quippe cum etiam Apostolus dicat: Omnes qui volunt pie viuere in Christo, persecutionem patientur. Quidquid autem durum & persecutionibus est refertum, nec suaue potest esse nec leue.

*Matt. 11*

*Psal. 16.*

*2. Tim. 3.*

*Responsio cum expositione sententiæ. Cap. XXIII.*

ABRAHAM.

VErissimam Domini ac Saluatoris nostri esse sententiā experiētiæ ipsius facili probabimus documēto, si perfectionis viam legitime & secūdum voluntatē Christi fuerimus aggressi, & mortificantes omnia desideria nostra ac voluntates noxias abscidentes, non solū nihil residere nobis de mūdi huius substantia siuerimus, per quam vtique cum libitum fuerit vastandi nos ac dilacerandi potestatem inimicus inueniat, sed etiam nostri ipsius non esse nos dominos senserimus, illud apostolicum in veritate complentes: Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Quid enim graue poterit esse, quid durum ei, qui iugum Christi tota mente susceperit, qui vera humilitate fundatus, semperq. ad Domini respiciens passiones, in omnibus quæ sibi fuerint irrogatæ lætatur iniurijs, dicens: Propter quod cōplaceo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo; cū enim infirmor tunc potens sum? Quo, inquam, familiaris rei cruciabitur damno, qui perfecta nuditate glorioſus voluntarie pro Christo vniuersas mundi huius respuit facultates, omnesq.

*Galat. 2.*

*2. Cor. 12.*

*Philip. 3.* omnesq. eius concupiscentias generaliter arbitratur vt ster-
cora, vt Christum lucrifaciat, euãgelici illius præcepti me-
ditatione continua, cunctorum dispendiorum æstus despi-
*Matt. 16* ciens & excludens: Quid enim prodest homini si vniuer-
sum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum pa-
tiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima
sua? Super cuius rei priuatione tristabitur, qui omnia quæ
ab alijs auferri possunt sua non esse cognoscit, illud inuicta
*1. Tim. 6.* virtute proclamans: Nihil intulimus in hunc mundũ, haud
dubium quia nec auferre quid possumus? Cuius autem ino-
*Marc. 6.* piæ necessitate eius superabitur fortitudo, qui perã in via,
æs in zona, vestem in tempora habere non nouit, sed cum
*2. Cor. 11* Apostolo gloriatur in ieiunijs multis, in fame & siti, in fri-
gore & nuditate? Quis labor, quodve tam arduum senioris
præceptum, pectoris eius tranquillitatem poterit perturba-
re, qui nullam habens propriam voluntatem, omnibus quæ
sibi fuerint imperata, non solum patienter, sed etiam gra-
tanter occurrit, nostriq. Saluatoris exemplo non quærit
*Matt. 26.* suam, sed patris facere voluntatem, dicens & ipse ad patrẽ
suum: Verumtamen nõ sicut ego volo, sed sicut tu? Quibus
etiam iniurijs, qua persecutione terrebitur, immo quod ei
*Act. 5.* non etiam iucundum potest esse supplicium, qui in omni-
bus plagis cum Apostolis semper exultans, optat vt dignus
habeatur pro Christi nomine contumeliam pati?

*Cur amarum iugum & graue onus Domini sentiatur.*
*Cap. XXIV.*

VT autem nobis econtrario iugum Christi non leue nec
suaue videatur, contumaciæ nostræ est iustius adscri-
bendum, qui diffidentia atque incredulitate deiecti, contra
*Matt. 19* illius imperium, qui ait: Si vis perfectus esse, vade, vẽde om-
nia tua, & veni sequere me; inepta peruersitate pugnamus,
terrenarum scilicet facultatum materias retentantes, quarũ
cum nexibus animum nostrum diabolus teneat illigatum,
quid supereſt nisi vt cum voluerit nos a spiritalibus gau-
dijs separare, earundem imminutione ac priuatione mæ-
stificet? id versutis fraudibus elaborans, vt cum iugis illius
suauitas & oneris leuitas, vitiosæ concupiscentiæ prauita-
te nobis fuerit aggrauata, ipsius facultatis atque substantiæ,
quam nobis pro requie ac solatio reseruamus, vinculis irre-
titos sæcularium curarum flagris semper excruciet, ex no-
*Prou. 5. sec. lxx.* bismetipsis quo dilaceremur exculpens: Funiculis namque
pecca-



peccatorum suorum vnusquisque cõstringitur, audiens per
prophetam: Ecce omnes vos accendentes ignem, accincti *Esai. 50.*
flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis,
quas succendistis. Per hæc siquidem, vt Salomon testis est, *Sap. 11.*
vnusquisque per quæ peccauerit, & punitur. Ipsæ enim no-
bis tormento sunt, quibus vtimur, voluptates, & oblecta-
menta huius carnis atque deliciæ carnificum vice in suũ re-
torquentur auctorem, quia necesse est eum, qui facultatibus
pristinis opibusq. suffultus est, nec integram humilitatem
cordis nec mortificationem plenam noxiarũ suscipere vo-
luntatum. His autẽ virtutũ patrocinantibus instrumentis,
omnes vitæ præsentis angustiæ, & cuncta quæ inimicus
potest inferre dispendia, non modo patientissime, verum
etiam iucundissime sustinentur, quibus rursum exulanti-
bus elatio tam pernicioſa succresceret, vt etiam pro leuissima
contumelia mortiferis impatientiæ ictibus vulneremur, di-
caturq. nobis per Hieremiam prophetam: Et nunc quid tibi *Hier. 2.*
vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi
vis cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet
te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito, & vide
quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum
tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus.
Quod ergo iugi Dominici mirifica suauitas amara senti-
tur, quid est nisi quia eam auersionis nostræ amaritudo cor-
rumpit? Quòd diuini oneris tam iucunda leuitas ingraue-
scit, quid est nisi quia eum, a quo sustinebatur contumaci
præsumptione contemnimus, quippe cum euidenter idip-
sum scriptura testetur, dicens: Nam si ambularent semitas *Prou. 2.*
rectas, inuenisset vtique semitas iustitiæ leues? Nos, inquã, *sec. lxx.*
nos esse manifestum est, qui semitas Domini rectas ac le-
ues, prauis durisq. desideriorum cautibus asperamus. qui
viam regiam apostolicis ac propheticis silicibus commu-
nitam, sanctorumq. omnium atque ipsius Domini vesti-
gijs complanatam, amentissime deserẽtes, deuia quæque ac
dumosa sectamur, & præsentium oblectationum illecebris
obcæcati, per obscuros impeditosq. vitiorum sentibus cal-
les, laceratis cruribus, & dirupta illa nuptiali veste repta-
mus, non modo acutissimis veprium aculeis configendi,
sed etiam virulentorum serpentum vel scorpionum illic
latitantium ictibus prosternendi. Tribuli enim & laquei in *Prou. 22.*
vijs prauis, qui autem timet Dominum abstinebit ab eis. *sec. lxx.*

*Hier. 18.* De talibus & alibi Dominus per prophetam: Oblitus est mei, inquit, populus meus, frustra libantes & impingentes in vijs suis, in semitis sæculi, vt ambularent per eas in itinere non trito. *Prou. 15. sec. lxx.* Viæ enim, secundum sententiam Salomonis, nihil operantium, stratæ sunt spinis, fortiũ vero tritæ sunt: & ita ab itinere regio deuiantes, ad illam metropolim, vbi noster cursus indeclinabiliter semper debet esse directus, non poterunt peruenire. Quod etiam Ecclesiastes satis significanter expressit: Labor, inquiẽs, stultorum affliget eos, *Eccls. 10. sec. lxx.* qui non nouerunt ire in ciuitatem; illam scilicet Hierusalem cælestem, quæ est mater omnium nostrum. *Galat. 4.*

*Quid vtilitatis conferat tentationũ incursio. Cap. XXV.*

QVisquis autem in veritate huic mũdo renuntians super se tulerit iugum Christi, & didicerit ab eo quotidianis iniuriarũ exercitijs eruditus, quia mitis est & humilis corde, in cũctis tentationibus manebit semper immobilis, omniaq. illi cooperabuntur in bonũ. Verba enim Dei secundũ prophetã, bona sunt cũ eo, qui recte graditur. & iterum: Quia rectæ vitæ Domini, & iusti incedent in eis: præuaricatores vero corruẽt in eis. Maiora igitur nobis per colluctationẽ tentationum laudis cõtulit præmia, benigna erga nos gratia Saluatoris, quàm si omnem a nobis necessitatem certaminis abstulisset. Etenim sublimioris præstantiorisq. virtutis est, persecutionibus ærumnisq. vallatũ, manere semper immobilem, & aduersum se sæuientibus cunctis, certũ de præsidio Dei atque intrepidũ perdurare, humanisq incursibus velut armis inuictæ virtutis accinctũ, gloriosissime de † impatiẽtia triumphare, & acquirere quodãmodo de infirmitate virtutẽ, quia virtus in infirmitate perficitur: Ecce enim dedi te, inquit Dominus, in columnã ferreã, & in murũ æreum super omnẽ terram regibus Iuda, & principibus eius, & sacerdotibus, & omni populo terræ, & bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecũ sum, vt eruã te, dicit Dominus. Ergo secundũ verã Domini traditionẽ, via regia suauis ac leuis est, licet dura & aspera sentiatur. Pie enim ac fideliter seruiẽtes cũ tulerint iugum Domini super se, & didicerint ab eo, quia mitis est & humilis corde, iam quodãmodo terrenarũ passionũ sarcinam deponẽtes, nõ laborem, sed requiẽ animabus suis Domino præstante reperient, sicut per Hieremiã propherã ipse testatus est, dicens: State super vias & videte, & interrogate de semitis

*Matt. 11.* *Rom. 8.* *Mich. 2.* *Osee. 14.* *al. patiẽtia.* *2. Cor. 12* *Hiere. 1.* *Matt. 11.* *Hiere. 6.*



semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigeriũ animabus vestris. sient namque eis cõtinuo praua in directa, & aspera in vias planas, & gustantes videbunt, quoniã suauis est Dominus, audientesq. Christũ in Euangelio proclamantem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos; depositis ponderibus vitiorum, ea quæ sequuntur intelligent: Quia iugum meum suaue, & onus meũ leue est. Habet ergo refrigerium via Domini, si secundũ legẽ ipsius teneatur. Sed nos sumus qui dolores nobis atque tormẽta, turbulentis distentionibus procuramus, dum malumus vias sęculi huius prauas atque peruersas, etiam cũ summo discrimine ac difficultate sectari. Cum vero hoc modo graue nobis ac durum iugum Domini fecerimus blasphemo iam spiritu, vel de ipsius iugi, vel de Christi, qui illud imponit, duritia atque asperitate causamur, secundũ illud: Insipiẽtia viri corrũpit vias eius: Deum autẽ causatur in corde suo. Et secundũ prophetam, cum dixerimus, quia via Domini non dirigit, congrue nobis respondetur a Domino: Numquid via mea non dirigit? nonne magis viæ vestræ sunt prauæ? Et revera si comparare volueris suaueolentem virginitatis florem, & tenerrimã castimoniæ puritatem, tetris ac fœtidis libidinum uolutabris; quietẽ securitatemq. monachorũ, periculis & ærumnis quibus mundi huius homines implicantur, paupertatis nostræ requiem, edacibus diuitum tristitijs ac peruigilibus curis, quibus non absque summo vitæ periculo diebus ac noctibus consumuntur, suauissimum iugum Christi onusq. leuissimum facillime comprobabis.

*Prou. 18. sec. lxx.* *Ezech. 18 sec. lxx.*

*Quemadmodum perfecte renuntiantibus centuplum in hoc mundo repromittatur. Cap. XXVI.*

PRoinde etiam illa retributio præmiorum, qua perfecte renuntiantibus in hac vita centuplum Dominus repromisit, dicens: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in præsenti, & vitam æternam possidebit; recte atque verissime eodem sensu absque vlla fidei perturbatione susci-pitur. Multi enim occasionem huius sententiæ nacti crasso intellectu, hæc in illo mille annorum tempore carnaliter sanctis restituenda confirmant, cum vtique illud sæculum, quod o st resurrectionem futurum dicunt, præsens intel-

*Esai. 40.* *Psal. 33.* *Matt. 11.* *Ibid.* *Matt. 19.* *Marc. 10.*

ligi non posse fateantur. Multo ergo credibilius multoq; manifestius est, eum qui aliquid sæcularium vel affectuum vel bonorum Christo suadente cõtempserit, a fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spiritali glutino colligantur, centuplo gratiorem etiam in hac vita recipere charitatem. Hanc siquidem quam inter parentes ac filios atque germanos, coniuges vel propinquos, siue socieras copulæ seu cõsanguinitatis necessitudo coniungit, satis breuem esse constat ac fragilem. Denique etiam boni ac pij cum adoleuerint filij, a parentum domibus nonnumquã ac substantijs excluduntur, cõmunio quoque consortij coniugalis interdum etiam honesta causa interueniente diuellitur, fratres dirimit facultatum contentiosa diuisio. Monachi soli perpetuæ coniunctionis retinent vnitatem, atque indiscrete possident vniuersa, qui omnia sua esse quæ fratrum, omnia fratrum credunt esse, quæ sua sunt. Si ergo istis quibus carnalis charitas copulatur affectibus, dilectionis nostræ gratia conferatur, profecto centuplo hæc dulcior atque sublimior est. Recipietur sane etiam de continentia coniugali maior centuplo suauitas, ab illa quæ eis inuicem per commixtionẽ sexuum præbebatur. Pro lætitia quoque illa quã in vnius agri ac domus possessione quis habuit, centuplo maiore diuitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem
*Ephes. 1.* transiens filiorum Dei, vniuersa quæ æterni sunt patris, ut propria, possidebit, & affectu atque uirtute ad imitationem
*Ioan. 16.* ueri illius filij proclamabit: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Nec iam cum illa pœnali distentionis ac solicitudinis cura, sed securus ac lætus uelut in proprijs ubique succedet,
*1. Cor. 3.* audiens quotidie sibimet ab Apostolo prædicari: Omnia enim uestra sunt, siue mundus, siue præsentia, siue futu-
*Prou. 17.* ra. Et a Salomone: Fidelis uiri totus mundus diuitiarum.
*sec. lxx.* Habes ergo istam centupli retributionem, in magnitudine meriti, & in discretione tam incomparabilis qualitatis expressam. Neque enim si pro æris aut ferri, aut uilioris cuiusquam metalli certo pondere, tantundem ponderis auri quispiam reddidisset, non etiam amplius quàm centuplum restituisse uideretur; ita cum pro contemptu uoluptatum atque affectuum terrenorum, spiritale gaudium & pretiosissimæ charitatis iucunditas repensatur, etiam si ipse sit numerus, centuplo tamen hæc maior atque præclarior est. Atque ut hoc euidentius crebra repetitione

redda-



reddatur, vxorem antea in passione fragilis desiderij possi- *1. Thess. 4*
debam, hanc eandẽ in honore sanctificationis & vera Christi dilectione possideo. Vna est mulier, sed centuplum creuit meritum charitatis. Si autem & pro iræ ac furoris perturbatione, iugem animi lenitatem; pro solicitudinis ac distentionis angore, securitatis quietem; pro infructuosa huius sæculi pœnaliq. tristitia, salutaris tristitiæ fructum pro vanitate lætitiæ temporalis, gaudij spiritalis appenderis vbertatem, retributionem in horum affectuum commutatione centuplam peruidebis. Et si vniuscuiusque vitij breui ac lubricę uoluptati contrariarum virtutum merita conferantur, centuplo esse meliora multiplicata iucunditas approbabit. Centenarius enim numerus de sinistra transfertur ad dextram, & licet eandem in supputatione digitorum figuram tenere videatur, nimium tamen quantitatis magnitudine supercrescit. Fiet enim ut qui hœdi formam gerere uidebamur in leua, ouis meritum translati consequa- *Matt. 25*
mur ad dextram. Nunc ad quantitatem earum rerum, quas pro contemptu mundialium commodorum nobis in hoc sæculo Christus restituit, transeamus, præcipue secundum Euangelium Marci ita dicentis: Nemo est qui reliquit do- *Marc. 10*
mum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, fratres & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam. Centuplam namque fratrum, parentumve recipiet quantitatem, quisquis patris vnius vel matris seu filij pro Christi nomine charitate contempta, in omnium qui Christo deseruiũt dilectionem sinceriſſimam transit, pro vno scilicet tot inueniẽs patres, fratresq. feruentiore ac præstantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorũ possessione ditabitur, quisquis vna domo pro Christi dilectione reiecta, innumera monasteriorum habitacula tamquam propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in suo iure succedens. Quomodo enim non centuplum, & (si Domini nostri sententiæ superadijci aliquid fas est) plus quàm centuplum recipit, qui decem vel viginti seruorum ministeria infida & coactitia derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Quod ita esse etiam vestris experimẽtis probare potuistis,

Universidad de Deusto
Biblioteca



qui singulis patribus matribusq. ac domibus derelictis, quamlibet mundi partem fueritis ingressi, patres, matres, fratresq. innumeros, domos quoque, & agros, seruosq. fidelissimos, absque vllo solicitudinis labore conquiritis, qui vos vt proprios dominos summis suscipiũt, amplectuntur, fouent, venerantur officijs. Sed hoc tam sancto ministerio merito ac fiducialiter perfruentur, qui prius in seruitutem fraternitatis semetipsos suaq. omnia voluntaria deuotione
*Matt. 7.* subdiderint. Recipient enim secundum sententiam Domini libere, id quod ipsi alijs dependerunt. Quisquis autem hæc humilitate sincera consortibus suis ante non detulit, quomodo deferri sibi ab alijs patienter admittet, cum grauari se eorum obsequijs intelligat potius quàm foueri, quia accipere mauult fratrũ quàm deferre famulatum? Hæc tamen omnia non cum remissa securitate nec cum inerti oblectatione percipiet, sed secundum verbum Domini, cum
*Marc. 10* persecutionibus, id est, cum pressuris sæculi huius, ac summis angoribus passionum, quia sicut ille sapientissimus cõ-
*Prou. 14. sec. lxx.* testatur: Qui suauis & sine dolore est, in egestate erit. Regnum etenim cælorum non desides, non remissi, non delicati, non teneri, sed violenti diripiunt. Qui ergo hi violenti sunt? Nempe illi qui non alijs, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omni se præsentium rerum voluptate fraudantes, voce Dominica egregij direptores pronuntiantur, & per huiusce modi rapi-
*Matt. 11* nam regnum cælorum violenter inuadunt. Regnum enim cælorum, secundum sentẽtiam Domini, vim patitur, & violenti, diripiunt illud. Isti profecto sunt laudabiles violenti,
*Prou. 16. sec. lxx.* qui vim faciunt perditioni suæ. Homo enim, vt scriptũ est, in laboribus laborat sibi, & vim facit perditioni suæ. Perditio nostra est oblectatio vitæ præsentis, & (vt expressius dicam) executio desideriorum voluntatumq. nostrarũ, quas si quis ab anima sua subtraxerit ac mortificauerit, glorio-
sam profecto & vtilem perditioni suæ vim facit, abnegans dumtaxat ei iucundissimas voluntates, quas per prophetã
*Esai. 58.* sermo diuinus frequenter incusat, dicens: Quia in diebus
*Ibid.* ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. & iterum: Si auerteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt loquaris sermonem. Cui etiam quanta beatitudo promittatur, cõfestim prophe-
ta sub-



ta subiungit: Tunc, inquiẽs, delectaberis super Dominum, *Ibid.*
& sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui: os enim Domini locutum est. Et idcirco Dominus noster atque Saluator, vt nobis amputandarum voluntatũ nostrarum formã traderet: Nõ veni, inquit, *Ioan. 6.*
facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. & iterum: Nõ sicut ego volo, sed sicut tu. Quam virtu- *Matt. 26.*
tem illi specialiter exercent, qui in cœnobijs commorantes, senioris regunrur imperio, qui nihil omnino arbitrio suo agunt, sed voluntas eorum ex voluntate pẽdet abbatis. Postremo vt iam disputationis huius sermo claudatur, nõne obsecro etiam in hoc centuplam gratiam euidentissime qui fideliter Christo deseruiunt consequuntur, dum pro nomine eius a summis principibus honorantur, ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen etiã in persecutionem angustijs iudicibus cunctis ac potestatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forsitan despicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro condicione seruili, si in sæculari conuersatione mansissent? Pro Christi autẽ militia nemo status calumniã commouere, nemo obscuritatẽ generis audebit opponere; quin potius illis ipsis vilissimæ condicionis opprobrijs quibus confundi & dehonestari ceteri solent, Christi famuli gloriosius adornantur. Quod euidentius in abbate Ioanne, qui in illa eremo, quæ Lyco oppido adiacet, cõmoratur, possumus approbare. Qui perobscuris maioribus natus, ita pro Christi nomine vniuerso pene humano generi admirabilis factus est, vt eũ ipsi quoque rerum præsentium domini, qui
mundi † huius atque imperij gubernacula retinẽtes, etiam *al. in.*
potentibus cunctis regibusq. terrori sunt, velut dominum venerentur, & oracula eius de tam longinquis regionibus expetentes, imperij sui apicem & statum salutis, bellorumque prouentus illius orationibus meritisq. committant. Tali beatus Abraham de illusionis nostræ vel origine vel medela disputatione disseruit, atque oculis quodãmodo nostris cogitationum quas diabolus auctor ingesserat propalauit insidias, nosq. ad desiderium veræ mortificationis accendit, quo etiam multos, licet incompto hæc omnia sermone digesta sint, credimus inflammandos. Nam licet summorum patrum flagrantissimos sensus tepida eloquij nostri fatilla contexerit, plurimorum tamen algorem qui remotis

verborum cineribus viuacitatem latentium sensuum suscitare voluerint, calefaciendum putamus. Sed ad vos, o sancti fratres, nō vtique hunc ignem, quem Dominus venit mittere in terram, & quem nimium ardere desiderat, ita spiritu præsumptionis elatus emisi, vt quasi feruētissimum propositum vestrum caloris huius adiectione succenderem, sed vt vobis maior apud filios esset auctoritas, si id quod ipsi non mortuo verborum sono, sed viuo docetis exemplo, etiā summorum atque antiquissimorum patrum præcepta confirmēt. Superest vt me periculosissima hactenus tempestate iactatum, nunc † ad tutissimum silentij portum spiritalis orationum vestrarum aura comitetur.

Luc. 22.

al. in tutissimo silētij portu orationū vestrarū tutela cōseruet.

COLLATIONVM XXIV. A Ioanne Cassiano conscriptarum

FINIS.

S. PA-

# S. PACHOMII REGVLA

## A S. HIERONYMO IN LATINVM SERMONEM CONVERSA.

### *Præfatio Sancti Hieronymi.*

QVAMVIS acutus gladius & leuigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine, & splendorē pristini decoris amittit. Vnde ego mærens super dormitione sanctæ & venerabilis Paulæ, nō quo contra præceptum Apostoli facerem, sed quo multorū incisa illius morte refrigeria suspirarem, accepi libros ab homine Dei Siluano præsbytero mihi directos, quos ille Alexandria missos susceperat, vt mihi iniungeret transferendos. Aiebat enim quòd in Thebaidis cœnobijs, & in monasterio † Metanœæ, quod de Tanobo in Pœnitentiam felicis nominis conuersione mutatū est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorarent Ægyptiacum Græcumq. sermonem, quo Pachomij & Theodori & Orsiesij præcepta conscripta sunt. Qui primi per Thebaidem & Aegyptum cœnobiorum fundamenta iecerunt iuxta præceptum Dei, & angeli, qui a Deo sub hanc ipsam institutionē missus fuerit. Itaque quia diu tacueram, & dolorem meum silentio deuoraram, vrgebant autem missi ad me ob hanc ipsam causam Leontius presbyter, & ceteri cū eo fratres, accito notario, vt erant de Ægyptiaca in Græcam linguam versa nostro sermone dictaui, vt & tantis vitis imperantibus ne dicam rogantibus obedirem; & bono, vt aiunt, auspicio longum silentium rumperem, reddens me pristinis studijs, & sanctæ feminæ refrigerans animam, quę monasteriorum semper amore flagrauit, & quod visura erat in cælo, hoc in terris meditata est. Venerabilis quoque virgo Christi Eustochiū haberet, quod sororibus † agendum tribue-

1. Thess. 4

Metanœa Latine est pœnitentia.

f. legendū

tribueret, noſtriq. fratres Ægyptiorum, hoc eſt, Tabennenſium monachorũ exempla ſequerentur, qui habent per ſingula monaſteria patres, & diſpenſatores, & hebdomadarios, ac miniſtros, & ſingularum domorum præpoſitos, ita vt in vna domo quadraginta plus minuſve fratres habitent, qui obediat præpoſito; ſintq. pro numero fratrum triginta, vel quadraginta domus in vno monaſterio, & ternæ vel quaternæ domus in vnam tribum fœderentur, vt vel ad opera ſimul vadant, vel in hebdomadarum miniſterio ſibi ſuccedant per ordinem. Quicumque autẽ monaſterium primus ingreditur, primus ſedet, primus ambulat, primus pſalmũ dicit, primus in menſa manum extendit, prior in eccleſia communicat, nec ætas inter eos quæritur, ſed profeſſio. Nihil habent in cellulis præter pſiathium & duo lebitonaria (quod Ægyptijs monachis genus veſtimenti eſt ſine manicis) & vnum iam attritum ad dormiendum vel operandum, & amictum lineum, cucullasq. duas & caprinam pelliculam, quam meloten vocant, balteolum lineum & caligas, ac baculum itineris ſocium. Ægrotantes miris ſuſtentantur obſequijs, & ad omnem copiam præparatis cibis: ſani maiori pollent abſtinentia. Bis in hebdomada, die quarta & ſexta ſabbati, ab omnibus ieiunatur, excepto pentecoſte. Alijs diebus comedunt qui volunt poſt meridiem, & in cœna ſimiliter menſa ponitur propter laborantes, ſenes & pueros, eſtusq. grauiſſimos. Sunt qui ſecundo parum comedunt, alij qui prandij, ſiue cœnæ vno tantum cibo contenti ſunt. Nonnulli guſtato paululum pane egrediuntur. Omnes pariter comedunt; qui ad menſam ire noluerit, in cellula ſua panem tantum, & aquam, ac ſal accipit, ſiue vno die voluerit, ſiue biduo. Cumq. maior, vel ſtans prior in gradu, manu percuſſerit, de ſcripturis quidpiam reuoluens memoriter, vt oratio finitur, nullus conſurgit tardius, ſed omnes pariter eleuantur. Nemo aſpicit alterum operantem, vel orantem, ſed defixis luminibus vnuſquiſque in ſuo opere intentus eſt, &c.

INCI-

# INCIPIT REGVLA S. PACHOMII.

HÆC ſunt præcepta vitalia † tribus a maioribus tradita. *Pachomio, Theodoro, Orſieſio.*

1 Si acciderit vt pſallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat, ſoluet cingulum, & inclinata ceruice manibus ad inferiora depreſſis ſtabit ante altare, & a principe monaſterij increpabitur. hoc idem faciet & in conuentu fratrum, cum ad veſcendum pariter conuenerint.

2 Quando ad collectam tuba inſonuerit per diem, qui vna oratione tardius venerit, ſuperioris increpationis ordine increpabitur, & ſtabit in loco conuiuij Noctu vero quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui poſt † tres orationes venerit, eodem, & in collecta, & in veſcendi loco, ordine corripietur. *f. duas*

3 Quando in collecta orant fratres, nemo egrediatur abſque iuſſione maiorũ, niſi interrogauerit, conceſſumq. ei fuerit exire pro naturæ neceſſitate.

4 Omnes memoriter retexent quæ ſibi fuerint imperata, de quibus ſiquis oblitus aliquid fuerit, aut hæſitauerit in dicendo, negligentiæ & obliuionis increpabitur.

5 In die Dominica in collecta in qua offerenda eſt oblatio, abſq; præpoſito domus, & maioribus monaſterij qui alicuius nominis ſunt, nemo pſallendi habeat poteſtatem. Pſallente autem quolibet de maioribus, id eſt, dicente reſponſorium, ſi quis defuerit, ſtatim ante altare pœnitentiæ & increpationis ordinem ſuſtinebit.

6 De collecta in qua offerenda eſt oblatio, qui ſine præcepto maioris exierit, ſtatim increpabitur.

7 Mane per ſingulas domos finitis orationibus, non ſtatim ad ſuas cellas reuertentur, ſed conferent inter ſe quæ præpoſitos audierint diſputantes, & intrabunt cubilia ſua. Diſputatio autem a præpoſitis domorum per ſingulas hebdomadas tertio fiet, & in ipſa diſputatione ſedentes, ſiue ſtantes fratres ſuum ordinem nõ mutabunt, iuxta domorum ordinem, & hominum ſingulorum.

8 Si quis

Universidad de Deusto
Biblioteca



8 Si quis dormitauerit sedens, præposito domus vel monasterij principe disputante, surgere statim compellitur, & tamdiu stabit, donec ei videatur vt sedeat.

9 Quando signum insonuerit, vt conueniant & audiant præcepta maiorum, nullus remanebit; nec succendetur focus antequam disputatio compleatur. qui vnum mandatū de his præterierit, prædictæ correptioni subiacebit.

10 Dimissa collecta singuli egredientes vsque ad cellulas suas, & vsque ad vescendi locū de scripturis aliquid meditabuntur, nullusq. habebit opertum caput meditationis tempore.

11 Cum autem ad vescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis, & operient capita. Statim vt tibi a maiore fuerit imperatum, vt de alia mēsa ad aliam transeas, ire debebis in nullo penitus contradicens. Nec ante præpositum domus tuæ manum in mensa extendas, nec circumspicias vescentes alios. Vnusquisque præpositorū docebit in domo sua quomodo debeant cum disciplina & māsuetudine comedere. Quòd si quis vel locutus fuerit, vel riserit in vescendi tempore, aget pœnitentiam, & in eodem loco mox increpabitur, & stabit donec surgant alij de vescendo.

12 Si quis ad comedendum tardius aduenerit, excepto maioris imperio, similiter aget pœnitentiam, aut ad domum ieiunus reuertetur.

13 Si aliquid necessarium fuerit ad mensam, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signi sonitum dabit.

14 Si egressus fueris a cibo, ne loquaris in redeundo, donec ad locum tuum perueneris.

15 Ministri absque his, quæ in cōmune fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant præparare.

*id est, qui signū dat*

16 † Qui percutit ad vescendum, dum congregantur fratres, meditetur aliquid in percutiendo.

17 Qui ante fores cōuiuij egredientibus erogat fratribus dulciamina, in tribuēdo meditetur aliquid de scripturis.

18 Qui susscipit ea, quæ dantur nō in cuculla, sed in pelle accipiat, neque gustabit de his, quæ acceperit, donec ad domum peruenerit. Ipse autem qui ceteris diuidit, suam partem a præposito accipiet. Quod & ceteri ministri faciant accipientes ab alio, & nil sibi suo arbitrio vindicantes.



cantes. Nemini plus alteri dabit, quàm alter acceperit. quòd si obtenditur infirmitas, præpositus domus perget ad ministros ægrotantium, & ab his, quæ necessaria sunt, accipiet.

19 Si de ipsis ministris aliquis ægrotauerit, non habebit licentiam introeundi in coquinam, vel cellarium, & sibi aliquid auferendi, sed ei ceteri ministri id quod necessarium viderint, dabunt. nec permittitur coquere sibi quod desiderabit, sed præpositi domorum, quæ necessaria viderint ei, ab alijs ministris accipient.

20 Nullus introeat locum ægrotantium, qui non ægrotat. Qui ægrotauerit, a præposito domus ducetur in triclinium ægrotantium. quòd si opus habuerit palliolo, aut tunica, aut ceteris quæ ad operiendum, vel ad vescendū necessaria sunt, ipse præpositus accipiet a ministris, & dabit ægrotanti. Nec poterit languidus ingredi cellam vescentium, & comedere, quę desiderat, nisi a ministrò, qui huic rei præpositus est, ducatur ad vescendū. Non ei licebit de his, quæ acceperit in loco ægrotantiū, ferre ad cellulam suam, nec pomum quidem.

21 Qui pulmentaria coquunt, ipsi nihil gustantes edentibus ministrabunt.

22 Vinum, & liquamen, absque loco ægrotantium nullus attingat.

23 Si aliquis eorum, qui peregre mittuntur, in itinere, vel in via ægrotauerit, & habuerit necessitatem, siue desiderium comedendi liquamen de piscibus, vel aliquid eorum, quæ comedere non consueuerunt, non manducabit cum fratribus ceteris, sed separabitur, & dabitur ei a ministris ad omnem abundantiam, vt in nullo frater languidus contristetur.

24 Ægrotantē absque cōcessu maioris nullus audeat visitare, nec propinquus quidem atque germanus sine imperio præpositi domus ministrandi habebunt potestatem.

25 Si vnum ex his, ab aliquo fuerit prætermissum atque neglectum, increpatione solita emendabitur.

26 Si quis accesserit ad ostium monasterij volens sæculo renuntiare, & fratrum congregari numero, non habebit intrādi potestatē; sed prius nuntiabitur patri monasterij, & manebit paucis diebus foris ante ianuam, & docebitur orationē Dominicā, & psalmos quantos potuerit

discere,

discere, & diligenter sui experimentum dabit, ne forte aliquid fecerit, & turbatus ad horam discesserit, aut sub aliqua potestate sit, & vtrum possit renuntiare parentibus suis, & propriam facultatem contemnere. Si eum viderint aptum ad omnia, tũc docebitur & reliquas monasterij disciplinas, quas facere debeat, quibusque seruire siue in collecta omnium fratrum, siue in vescẽdi ordine, & instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis sæcularibus, & induent habitum monachorum. tradetur ostiario, vt orationis tempore adducat eum in conspectum omnium fratrum. sedebit in eo loco, in quo ei præceptum fuerit. vestimenta autem, quæ secum detulerat, accipient qui huic rei præpositi sunt, & inferentur in repositorio, & erunt in potestate principis monasterij.

27 Nemo manens in monasterio suscipiendi quempiam ad vescendum habet potestatem, sed mittet eum ad ostium xenodochij, & suscipiatur ab his, qui huic rei præpositi sunt.

28 Quando ad ostium monasterij aliqui venerint, si clerici fuerint, aut monachi, maiori honore suscipiantur. lauabunt pedes eorũ, seruabũt Euangelij præcepta, & deducent ad locum xenodochij. præbebũt omnia, quæ apta sunt vsui monachorum. Quòd si voluerint orationis tempore atque collectæ venire ad cõuentum fratrum, si eiusdem fidei fuerint, minister xenodochij nuntiabit patri monasterij, & sic deducentur ad orandum.

29 Si sæculares homines, aut debiles, aut vasa infirmiora, id est, mulierculæ venerint ad ostium, suscipient singulos in diuersis locis iuxta ordinem propositi, & sexus sui, præcipue feminas maiori honore & diligentia curabunt, cum omni timore Dei, & locum separatum ab omni virorum vicinia eis tribuent. vt nulla sit occasio blasphemandi. Quòd si ad vesperam venerint, abijcere eas nefas est, sed accipient, vt diximus, separatum locũ, & clausum cum omni disciplina atque cautela, vt grex fratrum libere suo officio seruiat, & nulli detur offendiculum detrahendi.

30 Si quis ante ostium steterit monasterij dicens se velle videre fratrem suum, vel propinquum, ianitor nuntiabit patri



patri monasterij, & ille accitum interrogabit præpositum domus, si apud eum sit, & permittente eo accipiet comitem egressionis suæ, cuius fides probata est, & sic mittetur ad fratrem videndum, vel ad proximum. Si forte aliquid attulerit ciborum, quibus in monasterio vesci licitum est, suscipere ipse non poterit, sed vocabit ianitorem, & ille allata suscipiet. quæ si talia fuerint, quæ cum pane vescenda sint, nihil horũ ij quibus allata sunt, accipiens, sed cuncta ad loca ægrotantium deferentur.

31 Si fuerit nuntiatum quòd de propinquis quis ægrotet, ianitor primus nuntiabit patri monasterij, & ille accitum interrogabit præpositum domus. Videbunt virum cuius fides & disciplina probata sit, & mittent cum eo, vt visitet ægrotantem. tantum accipiet viatici, quantum præpositus domus eius decreuerit.

32 Quòd si necessitas impulerit, vt foris maneat, & vescatur in paterna aut in propinquorum domo, hoc non faciet, sed manebit in † Dominico, vel in monasterio eiusdẽ * fidei. Quòd si ei adfines vel cognati præparauerint cibos & apposuerint, nec accipient omnino, nec vescentur nisi his quæ in monasterio edere consueuerunt. non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam quorum edendi non habent consuetudinem. Si a parentibus quidpiam acceperint, tantũ comedent quantum in via sufficit. Cetera quæ remanserint, dabunt præposito domus suæ, & ille portabit in cellam languentiũ.

33 Si propinquus alicuius, aut consanguineus mortuos fuerit, prosequendi funus non habebit potestatem, nisi pater monasterij præceperit.

34 Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotium, nisi iuncto ei altero. Quando autem reuersi fuerint in monasterium, si viderint ante ostium quærentem aliquem suorum affinium de his, qui in monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum & nuntiare, vel vocare. & omnino quidquid foris gesserint, aut audierint, in monasterio narrare non poterunt.

35 Si signum datum fuerit vt egrediantur ad opus, præpositus antecedet eos, & nullus in monasterio remanebit, nisi is cui pater præceperit; & hi qui vadunt, quo pergũt non interrogabunt, sed vnusquisque de scripturis aliquid meditabitur. Si forte aliquis eis occurrerit, vel voluerit cum

*id est, in ecclesiis vel locis Domino consecratis.*

** Hieron. epist. 77. Non mihi cõceditur vnus angulus Ere mi: quotidie expoſcor fidẽ, quasi sine fide renatus sim. Confiteor vt volũt: nõ placet. Subscribo: nõcredũt.*

cum aliquo eorum loqui, præpositus, vel alius cui hoc iniunctum fuerit, occurrentibus respondebit. Operantes nihil loquantur sæculare, sed aut meditentur, quæ sancta sunt, aut certe silebunt. Nemo palliolum tollet secum vadens ad operandum, nisi concessione maioris. Operans non sedebit sine maioris imperio. Omnia autem ferramenta post operationem ad domum reportabuntur.

36 Absque præpositi iussione nemo fratrum, si necessarium habuerit, aliquem mittere poterit. quòd si ipse qui maior est, cogitur necessitate ire ad aliquem locum, officium suum ei qui post se est in ordine, delegabit.

37 Si quis lauare voluerit vestimentum, cõmonebit præpositum suum, & ille mittet cum eo alium, & lota veste reuertuntur domum, & siccatam reponit ille, cui hoc iniunctum est.

38 Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

39 Palmarum folia vnde texuntur sportæ, nemo suo iure tollat, absque eo cui palmæ sunt creditæ.

40 Nullus vuas, aut spicas adhuc immaturas comedere audeat præter ordinem disciplinæ, & omnino de omnibus quæ in agro sunt vel in pomario nemo comedet separatim antequam cunctis fratribus pater exhibeat.

41 Qui coquent, ante quam fratres comedant, non audebunt edere.

42 Qui super arbores pomarias, & super vineas sunt, nõ comedent de fructibus earum, nisi fratres prius comederint. Si iussi fuerint pomorum vel vinearũ fructus colligere, præpositus colligentium dabit in eodem loco singulis ad vescendum modica: & cum ad monasterium venerint, inter ceteros fratres partes suas accipient. Si autẽ inuenerint sub arboribus poma cecidisse, comedere non audebunt, sed inuenta in transitu iuxta radices arborum collocabunt. Ipse quoque, qui ceteris colligentibus distribuit, gustare non poterit, sed portabit ad dispensatorem, qui cum ceteris dederit, & ipsi tribuat partem suam.

43 Nullus in cella sua reponat aliquid ad vescẽdum absque his, quæ a dispensatore acceperit.

44 Qui nolunt in commune vesci cum ceteris, quasi maiori abstinentiæ se dicantes, quando edere debuerint quod



quod eis vna die sufficiat, panem & sal accipiant tãtum. Præter monasterij autem coquinam nulli coquendi cibos habeant potestatem.

45 Nemo in cella sua habeat præter ea, quæ monasterij lege præcepta sunt, nec paucos nummos, nec proprium aliquid. extra habitum suum si quid inueneris, absque contradictione auferes.

46 Si quis transfertur de domo in alteram domum, excepto ea, quæ vsui quotidiano ad habitum necessaria sunt, secum transferre nihil poterit.

47 Nullus neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterij procedendi habeat facultatem, nisi interrogauerit præpositum, & ille concesserit.

48 Cauendũ est autem, ne quis de domo in alterã domum verba transferat, nec de monasterio in monasteriũ, nec de monasterio in agrum, nec de agro in monasterium.

49 Si quis ambulauerit in via, vel nauigauerit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monasterio, quæ ibi gerì viderit.

50 Non dormiat præter reclinem sellulam; cumq. ad dormiendum se collocauerit, alteri non loquatur. postquã obdormierit, si post somnum nocte euigilauerit, oret.

51 Si ieiunij instat dies, & sitire cœperit, bibere non audebit.

52 Nemo lauare alterum poterit aut vngere, nisi ei fuerit imperatum.

53 Nemo in tenebris alteri loquetur. Nullus cum altero dormiat. Manum alterius nemo teneat. Siue ambulauerit, siue sederit, aut steterit, vno cubito distet ab altero.

54 Nullus attondeat caput absque maioris arbitrio.

55 Mutare de his, quæ a præposito acceperit cum altero nemo audebit, nec accipiet melius, & dabit deterius; aut econtrario dans melius, deterius accipiet: & in vestimento & in habitu suo nil noui præter ceteros causa decoris inueniet.

56 Nemo vadens in congregationem ad vescendum, dimittat codicem non ligatum. Codices post nonam attendat, ad quem pertinet.

57 Si quis fratrum læsus fuerit, aut percussus, tamen lectulo non decumbit, sed ambulat inualidus, & aliqua re indigebit, vestimento, vel palliolo, & ceteris vtensilibus,

præpositus accipiet, & dabit. Cumq. sanus fuerit, reportabit sine mora vlla.

58 Nemo ab altero accipiet quidpiã, nisi præpositus iusserit.

59 In villam nullus vadat nisi missus. super nudũ dorsum asini duo pariter nõ sedebũt, nec super temonẽ plaustri.

60 Ad officinas diuersarum artium soli pergent præpositi, vt accipiant quod necessarium est.

61 Ad alterius cellulam intrare nullus audebit.

62 Commendatum aliquid etiam a germano fratre nullus accipiat.

63 Nihil in cella sua absque præpositi iussione quispiam condet, nec poma quidem.

64 Si præpositus profectus fuerit, aut alter præpositus, aut qui secũdus est, curã proficiscentis exerceat, vel quẽ ipse præpositus elegerit de fratribus, & curã ei suã iniũxerit.

65 Quando farinã cõspergunt aqua, & massam subigunt, nemo alteri loquatur. & quando tabulis ad furnũ deportant panes, simile silentium habebunt; tãtum de psalmis aut de scripturis aliquid meditabuntur, donec opus impleant. Si quid necessariũ fuerit, non loquantur, sed dent signũ his, qui possunt adferre, quç necessaria sunt. Quando ad miscendam farinam vocati fuerint, nullus resedeat in loco panes coquentium, exceptis his, qui coctioni sufficient, & quibus iussum fuerit.

66 In nauibus similis disciplina est. Nemo à terra soluit nauigij funiculum, nec mouet nauigium absque iussione patris. In interiore parte nauis ceteris fratribus super trãstra & tabulata quiescẽtibus, nullus dormiat. Et sæculares homines dormire secum nullus patiatur. † Vasa infirmiora cum eis non nauigabunt, nisi forte pater monasterij præceperit.

† *Id est, mulierem, vt sup. vers. 29.*

67 Nullus in domo sua audebit focum facere, nisi in commune omnibus succendatur.

68 Qui vna oratione tardius venerit, vel qui mussitauerit, aut locutus fuerit ad alterum, vel qui riserit in reliquis orationibus, constituto ordine aget pœnitentiam.

69 Quando domi residẽt, nõ eis liceat loqui aliquid sæculare, sed si quid præpositus de scripturis docuerit, vicissim inter se ruminent, & referent, quæ audierint, vel quæ memoriter tenent.

70 Qui vas fictile fregerit, vel aliquam vtilem rem ad vsus monasterij, aget pœnitentiam.



71 Si frater dormierit, omnis eum fraternitas prosequatur.

72 Nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat, excepto maioris imperio.

73 Audito signo excitantis, aut voce psallentis, omnes surgant currentes ad orationes. Nullus ante psallat, nisi ei iussum fuerit, nec completo psalmo alterum sine præpositi iussione audeat iungere.

74 Nemo ante præpositum suum, & ducẽ suum ambulet. Nullus remaneat de ordine suo.

75 Si quis aliquid perdiderit, ante altare publice corripietur. si vero de proprijs Vesticulis fuerit, quod perditum est, tribus hebdomadibus non accipiet, & in quarta acta pœnitentia dabitur ei quod amisit.

76 Qui inuenerit aliquid, per tres dies ante collectam fratrum suspendat, vt tollat qui cognouerit.

77 Lotum in domo nemo faciat absque præposito, & omne quod nouum est, illius sententia disponetur.

78 Omnis correptio ita fiet, vt discincti sint, qui corripiuntur, & demissis manibus & humiliato capite, emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.

79 Qui absque ordine fratrũ recesserit, & postea acta pœnitẽtia redierit, nõ erit in ordine suo absq; maioris imperio.

80 Qui rudis in monasterio fuerit ingressus, docebitur prius quæ debeat obseruare, & cum doctus ad vniuersa cõsenserit, dabũt ei viginti psalmos, aut duas epistolas Apostoli, aut alterius scripturæ partem. Et si litteras ignorauerit, hora prima, tertia, & sexta vadat ad eum qui docere potest, & qui ei fuerit delegatus, & stabit ante eum, & discet studiosissime cum omni gratiarũ actione. Postea scribentur ei elementa, syllabæ, verba ac nomina, & etiã nolens legere compellatur, & omnino nullus erit in monasterio, qui non discat litteras, & de scripturis aliquid teneat, quod minimũ est vsque ad nouum testamentum, & Psalterium. Omne quod in conuentu fratrum audierint disputatum, cogentur inter se vt recolant.

81 Ad psallendum, & ad orandum nullus sibi occasiones inueniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit, & si in naui fuerit, & in agro, & in itinere, vel in monasterio quolibet ministerio detentus, orandi &

psallendi tempora non prætermittat.

¶ Refert Palladius in vita abbatis Aphthonij, trans fluuiũ Nilũ ex aduerso huius monasterij fratrũ fuisse aliud monasterium cccc. puellarũ sequentium eadẽ instituta Pachomij, ad quas præter presbyterũ nemo transiret.

82 † De puellarum disciplina. Nemo ad eas vadat visitandas, nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut propinquas, & consobrinas, seu matrem filiorũ suorum. Si autem de ante conuersione paterna eis debetur hereditas, aut aliqua causa manifesta est, mittent cum his probatæ ætatis virũ ac vitæ, & videbunt eas, & pariter reuertentur. Nemo vadat ad illas, nisi hi quos supra diximus. Ita vt primum faciant renuntiari patri monasterij, & ille mittet ad seniores, qui monasterio virginũ delegati sunt. qui occurrent eis, & cum ipsis videbunt eas, quas necesse habebunt, cum omni disciplina & timore Dei. Non eis loquentur de rebus sæcularibus.

83 Qui cumque de his mandatis aliquid præterierit, absque vlla dubitatione, negligentiæ atque contemptus aget pœnitentiam, vt possidere valeamus regna cælorum.

¶ Præcepta & instituta patris nostri Pachomij hominis Dei, qui fundauit ab exordio sanctæ vitæ communionẽ iuxta imperium Dei. Plenitudo legis charitas, scientes tempus quòd instet hora vt de somno cõsurgamus, quòd vicinior sit salus nostra, quàm eo tempore, cum credidimus. nox præcessit, dies autem appropinquauit. Deponamus opera tenebrarum, quæ sunt contentiones, detractiones, odia, & tumentis animi superbia.

*Rom. 13.*

84 Qui facilis est ad detrahendum, & dicit quod non est, qui in hoc peccato fuerit deprehensus, monebunt eum secundo, & si audire contempserit, separabũt eum extra conuentum fratrum septem diebus, & panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur atque confirmet se ab hoc vitio recessurum, & sic dimittetur ei.

85 Si quis iracundus & furiosus frequenter irascitur sine causa, & propter rem inanem & vacuam, per sex vices commonebitur, & in septima facient eum surgere de ordine sessionis suæ, & inter vltimos collocabitur, docebuntq. eum, vt ab hac mentis perturbatione mundetur. cumq. tres testes dignos testimonio adduxerit, qui pro eo polliceantur, nequaquam simile quid esse facturum, recipiet sessionem suam. alioqui si permanserit in vitio, moretur inter vltimos perdito priore loco.

86 Qui falsum cupit probare contra alterũ, vt opprimat innocentẽ, tertio commonebitur, & postea reus erit iniquitatis,



quitatis, siue de priori loco fuerit, siue de inferioribus.

87 Qui habet pessimam consuetudinem, vt fratres suo sermone solicitet, & peruertat animos simpliciorum, tertio commonebitur; si contempserit, & obstinato animo in duritia perseuerauerit, separabunt eum extra monasterium, & verberabunt eum ante fores, triginta nouem, dabuntq. ei ad vescendum panem solum & aquam, donec mundetur a sordibus.

88 Qui habet pessimam consuetudinem murmurandi, & quasi graui opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quòd sine causa murmuret, & ostendent perspicue veritatem; si post hæc inobediens fuerit, & est perfectæ ætatis, ita eum habebunt, vt vnum de ægrotantibus, & ponetur in loco infirmorum, ibiq. aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Si autem iusta est illius querela, & a maiore inique opprimitur, qui eum scandalizauit, eidem sententiæ subiacebit.

89 Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus, aut contradictor, aut mendax, & est perfectæ ętatis, decies commonebitur, vt desistat a vitijs: si autem audire noluerit, monasterij legibus increpabitur. quòd si alterius culpa ad hæc vitia deuoluitur, & hoc fuerit comprobatum, illo qui causa extitit, reus erit vltionis.

90 Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commonebitur, vt recedat ab eorũ necessitudine, & memor sit honestatis ac timoris Dei. Si nõ cessauerit, corripietur, vt dignus est, correptione seueriſſima.

91 Qui contemnunt præcepta maiorum, & regulas monasterij, quæ Dei præcepto constitutæ sunt, & paruipendunt seniorum consilia, corripientur iuxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

92 Qui iudex est omnium peccatorũ, & peruersitate mentis ac negligentia reliquerit veritatem, viginti viri sancti & timẽtes Deũ, siue decẽ, & vsque ad quinque de quibus omnes dent testimoniũ, sedebunt & iudicabunt eũ, & degradabunt in vltimum gradum, donec corrigatur.

93 Qui conturbat fratrum animos, & facilis est ad detrahendum, lites serens & iurgia, decies commonebitur, & si non fuerit emendatus, corripietur ordine monasterij, donec corrigatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



94 Qui viderit de maioribus & præpositis fratrum suorum tribulationem, & noluerit causam tribulationis inquirere eamq. contempserit, quæretur causa a supradictis iudicibus inter fratrẽ atque præpositum, & si deprehenderint negligentia præpositi, vel superbia coangustatum fratrem, & iudicasse eum non secundum veritatem, sed secundum personam, degradabitur de solio suo, donec corrigatur, & ab iniustitiæ sordibus emundetur, quia non considerauit veritatem, sed personas, & seruiuit prauitati animæ suæ, & non Dei iudicio.

95 Si quis promiserit obseruare regulas monasterij, & facere cœperit, easq. dimiserit, postea autem reuersus egerit pœnitentiam obtendens infirmitatem corpusculi, per quam non possit implere, quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari, & pascetur inter otiosos, donec acta pœnitentia impleat, quod promisit.

96 Pueri in domo si fuerint dediti lusibus & otio, & correpti non potuerint emendari, debet præpositus vsque ad dies triginta ipse eos monere, & corripere. Si viderit in prauitate persistere, & non nuntiauerit patri monasterij, & aliquod peccatum in eis fuerint deprehensum, ipse pro eis culpæ subiacebit, iuxta quod peccatum fuerit inuentum.

97 Omnes autem pueri qui non timent confundi pro peccato, & per imprudentiam iudicium Dei non cogitant, & correpti verbo non emendauerint, verberentur quamdiu disciplinam accipiant & timorem.

98 Qui iniuste iudicauerit, iuste ab alijs condemnabitur.

*11.q.3.c. qui cõsentit.*

99 Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deũ & homines, & corripietur increpatione seueriſſima. Quòd si per ignorantiam deceptus est, & non ita putauit vt verum est, ignoscetur ei. Et omnis qui per ignorantiam peccat, facile accipiet veniam. Qui autem sciens peccauerit, sustinebit increpationem iuxta mensuram opusq. peccati.

100 ¶ Præcepta & leges Pachomij. Ne plus operis fratres facere compellantur, sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet. Sit inter eos pax & concordia, & libenter maioribus subijciantur; sedentes, & ambulantes & stantes inuicem de humilitate decertent.

101 Si quis



101 Si quis peccatum fecerit, patres monasteriorum emendare poterunt, & constituere quid sequi debeat.

102 Præpositus autem domus, & qui secundus ab eo est, hoc tantum iuris habebunt, vt compellant fratres in peccatis singulis vel in collecta domus, siue in collecta maiore, hoc est omnium fratrum, subiacere pœnitentiæ.

103 Quòd si præpositus peregre fuerit, qui secundus est, locum eius implebit tam in pœnitentia fratrum recipienda, quàm in quocumque alio eorum, quæ in domo necessaria sunt.

104 Si quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum, vel alterius domus fratrem codicem ad legendum mutuum postulauerit, vel quodlibet aliud, monasterij ordine increpabitur.

105 Qui vult sine macula & contemptu in domo cui deputatus est viuere, omnia quæ præcepta sunt, coram Deo obseruare debebit.

106 Quidquid necessarium est siue in agro, siue in monasterio, præpositus etiam non postulatus impleat.

107 Sex orationes faciẽt vespertinas iuxta exemplum maioris collectæ, in qua omnes fratres pariter cõgregantur.

108 * Summæ dilectionis est, etiam si facile fuerit, vt nullum onus habeant, & ex onere nascatur tædium. *

109 Siquis deforis venerit, & æstu laborauerit, alijq. fratres orationem celebrauerint, si ire non potest, non cogatur.

110 Quando præpositi domorum fratres de conuersatione sanctæ vitæ docebunt, absque grauissima ægritudine nullus aberit.

111 Maiores quicumque e fratribus mittũtur foras, quamdiu ibi fuerint, habebunt ius præpositorum. cuncta gerentur arbitrio eorum. docebunt fratres per constitutos dies. & si forte aliquid inter eos ortum fuerit simultatis, audient ipsi maiores & iudicabunt causam, & dignum culpa increpabunt, & ad imperium eorum statim ad pacem pleno corde consentient.

112 Si quis de fratribus contra præpositum domus suæ tristitiam habuerit, aut ipse præpositus contra fratrem aliquam querimoniam, fratres probatæ conuersationis & fidei, audire eos debebunt, & iudicabunt inter eos. Si tamen absens est pater monasterij, vel aliquo profectus, primum quidem expectabunt eum; si autem

diutius foris commorari viderint, tunc audient inter prępositum & fratrem, ne de suspenso iudicio maior tristitia oriatur : & ille qui præpositus est, & ille qui subiectus est, & hi qui audiunt, iuxta timorem Dei cuncta faciant, & in nullo dent occasionem .

113 De vesticulis. Siquis de his, quæ prȩcepta sunt, amplius habuerit absque concessione maioris, deferentur ad custodem vestium , & introeundi illuc vel postulandi non habebit potestatem , sed erunt sub præpositi arbitrio, aut qui secundus ab eo est .

¶ Præcepta Pachomij de collecta fratrum , quomodo collecta fieri debeat , & fratres sint congregandi ad audiendum verbum Dei, iuxta præcepta maiorum , & doctrinam sanctarum scripturarum, vt liberentur de errore animæ conuersorum , & glorificent Deum in luce viuentium: vt sciant quomodo oporteat in domo Dei conuersari sine ruina & scandalo, vt non inebrientur aliqua † possessione , sed stent in mensura veritatis, & traditionibus Apostolorum & prophetarum , & solemnitatum ordinem teneant, imitantes conuersationem eorum in domo Dei, & ieiunia atque orationes ex more complentes. Qui enim bene ministrant, sequuntur regulam scripturarum .

al. passione.

114 Hoc est ergo ministerium, quod ministri Ecclesiæ implere debebunt . Congregent fratres orationis tempore, & omnia faciant, quæ rite complenda sunt, vt nullam occasionem detractioni tribuant. nec sinant quempiam ambulare contra ritum disciplinæ. Si codicem postulauerint, deferant eis .

115 Si quis de foris venerit vesperi , & non occurrerit accipere opus, quod postera die facturus est, mane tribuat. si defecerit opus quod habebat in manibus , referat ad maioris sententiam, & quod ille præceperit, faciat.

116 Qui minister est , habeat studium, ne quid operis pereat in monasterio , in vlla omnino arte, quæ exercetur a fratribus. Quòd si quid perierit, & negligentia fuerit dissipatum, increpabitur a patre minister operum singulorum , & ipse increpabit alterum, qui opus perdiderit, dum taxat iuxta voluntatẽ & sententiã principis , a bsque qua nullus increpandi fratrem habebit potestatem .

117 Si vestimentum ad solem expansum tertius inuenerit dies, dominus vestimenti pro eo increpabitur , & aget pœnitentiã publice in collecta, stabitq. in vescendi loco.



118 Si inuentus fuerit vnus e fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens maioris imperio, increpabitur iuxta mensuram peccati sui .

119 Qui mentitur , aut odio quemquam habere fuerit deprehensus , aut inobediens, aut plus ioco quàm honestũ est deditus, aut otiosus, aut dure respondens, aut consuetudinem habens fratribus detrahendi , vel his qui foris sunt, & omnino quidquid contra regulam scripturarum est & monasterij disciplinam , audiet pater monasterij, & vindicabit iuxta mensuram opusq. peccati .

120 Pellicula , & caligæ, & cingulum , & si quid aliud perierit, qui perdiderit, increpabitur.

121 Siquis tulerit rem non suam , ponetur super humeros eius, & aget pœnitentiam publice in collecta, stabitq. in vescendi loco. Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta nouem verberabunt eum , & foris dabunt ei edere panem & aquam tantum , & opertum cilicio & cinere, per singula orationũ tempora cogent eum agere pœnitentiam. Eadem lex in fugitiuis obseruabitur .

122 Præpositus domus increpationi subiacebit si ante tres dies non nuntiauerit patri , siue in via, siue in agro , siue in monasterio quid perierit , & aget pœnitentiam iuxta ordinem constitutum .

123 Quòd si homo fugerit, & ante tres horas nõ nuntiauerit patri, reus erit perditionis eius, nisi eũ iterũ inuenerit.

124 Hæc est vltio in eum qui fratrem de domo perdiderit; tribus diebus aget publicã pœnitentiã. Quòd si eadẽ hora, qua fugerit, nuntiauerit patri, reus non erit peccati .

125 Si in domo sua præpositus viderit delinquentem , & non nuntiauerit patri monasterij , ipse increpationis ordini subiacebit .

126 Per domos singulas vesperi sex orationes psalmosq. complebunt iuxta ordinem maioris collectæ, quę a cunctis fratribus in commune celebratur. Per singulas hebdomadas dispositiones a præpositis complebuntur. Nullus in domo quidpiã faciet, nisi quod præpositus iusserit.

127 Si omnes fratres qui in domo sunt, viderint præpositũ nimium negligentem , & mensuram monasterij excedentem, referent ad patrem, & ab eo increpabitur .

Ipse

Ipse autem præpositus nihil faciat prꝫter id quod pater iussérit, maxime in re noua : nam quæ ex more descendit, obseruabit regulas monasterij.

128 Præpositus nõ inebrietur, nec sedeat in humilioribus locis iuxta vasa monasterij. Ne rumpat vincula quæ Deus in cælo condidit, vt obseruentur in terris. † ne lugeat in die festo Domini Saluatoris. Dominetur carni suæ iuxta mensuram sanctorum. Non inueniatur in excelsis cubilibus, imitatus morem gentilium. Non sit duplicis fidei. Non sequatur cogitationes cordis sui ; & sublimioribus non resistat tumenti animo potestatibus, non fremat, nec irruat super humiliores. non transferat terminos. non sit fraudulentus, nec in cogitationibus versẽt dolos. non negligat peccatum animæ suæ exstirpare, nec vincatur carnis luxuria. non ambulet negligenter, non cito loquatur verbum otiosum. Non ponat scandalum ante pedes cæci. Nõ doceat voluptates animam suam. Non soluatur stultorum risu ac ioco, nõ rapiatur cor eius ab his, qui inepta loquuntur aut dulcia. Non vincatur muneribus, non paruulorum sermone ducatur. Non affligatur in tribulatione. nõ timeat mortem, sed Deum. ne præuaricator sit propter eminentem timorẽ. Ne relinquat † verum lumen propter modicos † cibos. Non vacillet nec fluctuet in operibus suis. non mittet sententiam veram, sed firmus sit solidiq. decreti, iusta cuncta considerans, iudicans in veritate, absque appetitu gloriæ, manifestus Deo & hominibus, & elõgans se a fraude. Non ignoret conuersationem sanctorum, nec adeorum scientiam cæcus existat. Nulli noceat per superbiam. ne sequatur concupiscentias oculorum suorum. non eum superent incentiua vitiorum. veritatem numquam præterat. oderit iniustitiam, & personam numquam iudicet pro muneribus, nec condemnet innocentem per superbiam. Non rideat inter pueros. non deserat veritatem timore superatus. Non comedat panem de fraudulentia. Non desideret alienam terram. non opprimat animam propter aliorum spolia. Non despiciat eos, qui indigent misericordia, nec falsum testimonium dicat seductus lucro, nec mentiatur propter superbiam, nec contendat contra veritatem ob tumorem animi, nec deserat iustitiam propter lassitudinem. ne perdat animam suam propter verecundiã. Ne respiciat dapes lautioris mensæ, ne pulchra vestimenta

† id est, ne ieiunet die domi-nico.

Rom. 13.

Leuit. 19.

† purum flumen viuos.



stimenta desideret, ne senes negligat. semper dijudicet cogitationes suas. ne inebrietur vino, sed humilitatem iunctam habeat veritati. quando iudicat. Sequatur præcepta maiorum, & legem Dei, quæ toto orbe prædicata est. Si quidquam de his præterierit, reddetur ei mensura; iuxta quam mensus est, & recipiet secundum opera sua, quia mœchatus est in ligno & lapide, & propter fulgorem auri, & splendorem argenti dimisit iudicium, & desiderijs temporalis lucri laqueis se induit iniquorum. Et eueniet ei contritio Heli & filiorum eius; maledictio Dei qua imprecatus est Cain; perditio qua peccatores terræ hiatus absorbuit, & interitus Chananæorum; & contritio hydriæ ad fontem, & arenarum comminutio in litoribus quæ salsis fluctibus verberantur; & confractio virgæ gloriosæ, vt sit quasi cæcus palpans manu parietem. Hæc omnia euenient ei, quia non seruauit veritatem in iudicio, & inique egit in omnibus quæ ei credita sunt.

Hiere. 3.

1. Reg. 4. Gen. 4. Num. 16. Eccl. 12. Hier. 48. Esa. 59.

*Regulæ S. Pachomij Finis.*

# CVM IN HIS CASSIANI SCRIPTIS multa essent vocabula Græca, quædam Latina; quæ rudiores possent retardare, atque ex his nonnulla in impressis hucusque codicibus vitiosa circumferrentur; visum est nobis futurum operæpretium, si ea in ordinem alphabeti digesta, adductis aliorum auctorum testimonijs, quos ipse videretur secutus, explicaremus. Exhibuimus etiam quandam notitiam propriorum nominum tam hominum quàm locorum.

Coll. 24. cap. 6.

BSIS, ἀψὶς Græce, *fornicem siue arcum significat. Dio.* ἀψὶς τροπαιοφόρος ᾠκοδομήθη, *idest, fornix siue arcus triumphalis erectus fuit. Hieronym. in epist. ad Ephes. c. 2. Numquid cælorum circulos, quos philosophi Sphæras vocant, transiens atque transcendens stetit in summo cæli fornice, & vt ipso verbo vtar, apside. Significat etiam testudinem, aut cameram in hemisphærij formam constructam. Hesychius namque & Suidas* ἀψίδας *esse* καμάρας *tradunt. Plinius pro planetarum orbibus aliquoties vsurpat lib. 2. Porro ita Cassianus hoc loco absidis cameram dixit, vt alibi stationem ieiunij, cum statio idem sit quod ieiunium, vt apsis & camera.*

Lib. 10. c. 1. Accessiones *sunt ardentiores æstus, qui statis temporibus, in febribus periodicis, quotidianis videlicet, aut tertianis, recurrunt; de quibus multa Cornelius Celsus lib 3. cap. 3. Notum est illud Vespasiani Imp. dictum, cum grauiter decumberet: Prima, inquit, accessione deus fio.*

Lib. 5. cap. 1. Acedia *est, vt Cassianus interpretatur, anxietas, siue tædium cordis. Ideo autem hanc vocem Græce retulit, quòd vno vocabulo exprimi Latine non posset. In Psal. tamen 118. vbi in Græco est.* ἔνυξε ἄξεν ἡ ψυχή μου ἀπ' ἀκηδίας, *antiquus interpres transtulit: Dormitauit anima mea præ tædio.*

Coll. 19. cap. 9. al. ἐγκτῆσις. Ακτημοσύνη *aliquid magis est quàm penuria & egestas. nam* ἀκτήμων *is dicitur qui nihilomnino possidet, vt anachoreta apud Aegyptios; contra* † κτῆσις *rei alicuius possessio est. quam Cassianus in solitario maximè improbat Collat 19. c. 6. quamuis in hucusque excusis codicibus* ἀκτῆς χρῆσις *corrupte legatur, pro* κτῆσις.

Agape,



Agape, ἀγάπη *Græcis dilectio & charitas dicitur, vt ipse Cassianus scribit Collat 16 cap. 14 cùm ait: Illam igitur charitatem quæ* ἀγάπη *dicitur, possibile est omnibus exhibere. & Cyprianus lib. 3. testimon. cap. 3. Agapen, inquit, & dilectionem fraternam, etc. Vsurpabatur tamen ab antiquis pro cena ad quam Christiani, sed pauperes maxime, adhibebantur. Tertullianus in Apologetico: De solo, inquit, Christianorum triclinio retractatur. cena nostra de nomine rationem suam ostendit, vocatur* ἀγάπη, *id quod dilectio penes Græcos est. quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quosque refrigerio isto iuuamus. August. cont. Faustum lib. 20. cap. 20. Agapes nostræ pauperes pascunt siue frugibus, siue carnibus. Hieronymus etiam ad Eustochium, de custod. virgin. Cum manum egenti porrexerint, bucinãt; cum ad agapen vocauerint, præco conducitur. Ceterum reprehendit Clemens Alexandrinus lib 2. pædagogi cap. 1. eos, qui huiusmodi cenas agapis seu charitatis nomine vocarent; vt qui rei vili sanctissimum nomen imponerent. Significabatur etiam eo vocabulo quidquid in egenos & pauperes erogabatur. Tertull. lib. ad martyres, de his qui in carcere detinebantur martyrio proximi: Ipsam conuersationem sæculi & carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus adquirit quàm caro amittit; immo & quæ iusta sunt caro non amittit, per curam Ecclesiæ & agapen fratrum. Hinc Cassianus id quod otiosis hominibus & non laborantibus a quibuscumque tribuitur, agapen vocat.* Coll. 24. cap. 12.

Αγνὸς *est castus, purus, integer. Corrupte vero in impressis libris legebatur* ἅγιος. Lib. 6. c. 4

Agonotheta *est qui agoni, hoc est, certamini præest, vel qui certantibus præmia proponit. S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: Proponit, inquit, agonothetes præmium, inuitat ad cursum, &c. Ambros. etiam lib. de Elia cap. 21. ex quo nonnulla huc transtulit Cassianus: Si quis, inquit, ingrediatur stadium, videat vacuum celebritatis, dicat agonotheta: Cur vacat stadium? cur silent certamina? cur solemnia feriantur? Respondebit qui agoni præest: Oportet feriari athletas. Cum dixit: Qui agoni præest, vim verbi agonothetes expressit.* Lib. 6. c. 9

Anachoresis, ἀναχώρησις *est Græce secessio, inde anachoreta dicti qui ab hominum consortio recedunt, & se in solitudines abdunt, vt cælestium rerum contemplationi liberius vacent. Hos* ἡσυχαστὰς *etiam, hoc est, in quiete & silentio degen-* Lib. 5. c. 4 Collat. 2 cap. 2.

degentes appellari solitos scribit Iustinianus Nouella 5. alij eremitas, Cassianus solitarios frequenter vocat.

Lib. 1. c. 6. Analaboys, sic legitur hæc vox in omnibus, quæ viderim Cassiani exemplaribus, atq; ipse resticulas siue rebrachiatoria esse ait. existimo tamẽ legendum, anaboleas, siue Græce potius ἀναβολέας. nam Sozomenus lib. 3. cap. 13. de his monachorum resticulis ita scribit: Ζώνη δὲ καὶ ἀναβολεὺς, ἣ μὲν τὴν ὀσφὺν περισφίγγουσα, ὁ δὲ τοὺς ὤμους καὶ τοὺς βραχίονας ἀνέκων, ἑτοίμους εἶναι εἰς διακονίαν θεοῦ καὶ ἐργασίαν ὧν δὴ παρακελεύεται. Nolui tamen id sine librorum veterum auctoritate mutare.

Collat. 23. cap. 7 & 21. Ἀναμάρτητον est impeccabilitas, siue impeccãtia, de qua S. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, aduersus Pelagianos, sic scribit: Pudeat ergo eos principum & sociorum suorum, qui aiunt posse hominem sine peccato esse, si velit; quod Græci dicunt ἀναμάρτητον. Et quia hoc ecclesiarum per Orientem aures ferre non possunt, simulant se sine peccato quidem dicere, sed ἀναμάρτητον dicere non audere: quasi aliud sit sine peccato, aliud ἀναμάρτητον; & non Græcum sermonem, qui apud illos compositus est, duobus verbis sermo Latinus expressit. hæc ille.

Coll. 10. c. 1. & 2. Anthropomorphitæ hæretici dicti quòd Deo humanam formam tribuerent. ἄνθρωπος enim homo, μορφὴ est forma. S. Hieronym. aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, Anthropomorphitæ, inquit, simplicitate rustica, Deum habere membra, quæ in diuinis libris scripta sunt, arbitrantur. S. Augustinus lib. de hæresib. Vadianos, inquit, alij vocant Anthropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis: quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis ne dicantur hæretici.

Lib. 8. cap. 24. Ἀνθρωποπάθως est humano affectu. vtitur hoc aduerbio frequenter S. Hieronymus, cum in sacris litteris de Deo, humano more, aliquid dicitur.

Coll. 24. cap. 11. Antonius abbas, huius vitam scripserunt S. Athanasius & Hieronymus.

Coll. 4. cap. 9. Apollo abbas, meminit huius Sozomenus lib. 6. cap 29. & ex eo Nicephorus lib. 11. cap. 34.

Coll. 15. cap. 10. Athera, ἄθηρα siue ἄθαρα Hesychio est edulium quoddam quod Ægyptij ex tritico & lacte conficiunt, Eustathio ἡ ἐψομένη μίδαλις, Plinio potius medicamentum est, nam lib. 22. cap. 25. sic scribit: Olyram arincam diximus vocari. Hac cocta fit medicamentum, quod Ægyptij atharan vocant, infantibus vtilissimum, sed & adultos illinunt eo. Idem fere Dioscorid lib. 2. cap. 114. S. Hieronymus in quæst. in Genesim, ad illud cap. 45 Et dedit eis cibaria in viam: Verbum, inquit, ζεδα, quod hic omnes ore consono ἐπισιτισμὸν, ideſt, cibaria, siue sitarcia interpretati sunt, in Psalterio quoque habetur. Psal. 131 vbi enim nostri legunt: Viduam eius benedicens benedicam, licet in plerisque codicibus pro vidua, hoc est, pro χήραν nonnulli legunt θήραν, in Hebræo habet zeda, ideſt; Cibaria eius benedicens benedicam. Porro θήραν venationem magis potest sonare quàm fruges: tametsi moris sit Ægyptiorum θήραν etiam far vocare, quod nunc corrupte atheram nuncupant. hæc ille. Cassianus vero lenticulæ pulmentum esse dicit.

Attaminare est contingere, aut degustare. Vtitur eo verbo frequenter S. Ambrosius: apud quem etiam ille locus Coloss. 2. sic legitur: Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis quæ sunt ad corruptelam ipso vsu. Coll. 21. cap. 26.

Bacuceos, siue vt in mmss. libris legitur, Bacucos, homines certo quodam dæmonum genere correptos vulgus appellare solitum Cassianus scribit, quæ vox fortasse quia vulgi erat, apud alios auctores infrequens est. Collat. 7. cap. 32.

Biothanatos Græce is dicitur, qui non naturali morte sed violenta occubuerit. βία enim vis est, θάνατος mors. vox est frequens Iulio Firmico in astrologicis libris. Seruius Aen. 4. Dicunt, inquit, physici biothanatorum animas non recipi in originem suam. Lampridius in Heliogabalo: Et prædictum ei erat à sacerdotibus Syriæ biothanatum se futurum. Apud Tertullianum vero lib. de anima, biothanatos legitur, si codex non fallit. Verum hoc loco apud Cassianum, vt apud Seruium, & Lampridium. biothanatos is est, qui vim attulit vitæ suæ, αὐτοθάνατος alio nomine Græce dicitur. pro his vero Conciliorum decreta prohibent oblationem offerri. Collat. 2. cap. 5.

Birros magnificas & lacinioſas vestes fuisse colligitur ex Concilio Gangrensi. in eo enim sic scribitur cap. 12. Si quis amictu pallij vtitur, & eos qui cum reuerentia birris vtuntur despicit, anathema sit. Græce est βίρρος, & pro pallio est περιζόλαιον. Isidorus in regula sua eorum vsum monachis interdicit: Linteo, inquiens, nõ oportet monachum vti, orarium, planetas, birros, non est fas indui. Hos apud Athrebates præcipuos fuisse ostendit Vopiscus in Carino, cum scribit: Donati sunt ab Lib. 1. cap. 7.

*sunt ab Atrebaticis birri petiti. Ex Græco hanc vocem deductam quidam scribunt, sed Suidas esse Latinam tradit.*

Collat. 3. cap. 1. & Coll. 18. cap. 15.

Bubalum *animal solitudine semper gaudere ex his locis Cassiani discimus. Ceterum apud Palladium cap 91. (si tamen ita ille scripsit) Paphnutius non Bubalus sed Cephalæ cognominatur. sic enim legitur in vulgatis libris: Cum conuenissent Paphnutius, qui vocabatur Cephalæ. Nisi si apud Ægyptios bubalus sic vocabatur.*

Lib. 5. cap. 18.

Cæstus, *vt ait Seruius, per diphthongum pugilum arma significat. Apposite ergo Cassianus hac voce vsus est, cum pugilis mentionem fecisset, sed impressorũ incuria sine diphthongo cestibus est excusum.*

Collat. 3. cap. 5.

Calamus, *locus solitudinis fuit in Ægypto, in quo Paulus eremita habitauit. meminit huius rursus Cassianus Collat. 7. cap 26. & Collat. 24. cap. 4.*

Lib. 1. c. 10.

Caligæ *calcei sunt, Græci σανδάλια vocant. S. Hieronym. in cap 20 Esaiæ: Calceamenta, inquit, LXX. σανδάλια, ideſt, caligas vocant. Et Act. 12 quod Græce est, ὑπόδησε τὰ σανδάλιά σου, Latinus interpres transtulit: Calcia te caligas tuas.*

Coll. 21. cap. 29. Lib. 5. c. 5

Canon, *pensitationis annuæ genus est Asconio Pædiano & Iurisconsultis, præcipue in Imperatorum constitutionibus.*

Castigata refectio *est cibus tenuis, & moderate sumptus. Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 1. At cum heroes, inquit, castigatis dapibus assidunt. & Tertullianus lib. de ieiunio: Nunc si temere rationes castigati a Deo victus &c. S. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum: Nisi tenui, inquit, & castigato victu, quæ λεπτὴ διαῖτα dicitur. Sic rursus lib. 2. cap. vlt. castigatum modum Cassianus scripsit, pro iusto & conuenienti.*

Lib. 1. c. 3

Catholice *dicitur vniuersaliter. Tertull lib. de persecutione: Ab eo imperetur necesse est catholice fieri, a quo & ex parte.*

Lib. 3. c. 5

Causam *pro vitio posuit Cassianus, cum scribit: In illam causam nihilominus incidentes. vt solent iurisconsulti, qui rem cum sua causa suisq. vitijs transferri dicunt. Aliquoties vero Cassianus causam ponit pro re, vt Collat. 21. cap. 14. cum scribit: Nisi has quæ subijciuntur causas habuerit consequentes.*

Lib. 10. c. 7. & Coel. 6. c. 11

Causticæ medicamenta *dicuntur quæ extrinsecus imposita vi sua adurunt, quòd sint vehementer calida & sicca, Græce καυστικὰ ab vrendo vocantur. vtuntur tamen hac voce quasi*



*quasi Romana Plinius, & Latini medici. S. Ambrosius quoque in expositione Psal. 38. Grauiora, inquit, vulnera causticomedicamento vel admoto igne curantur. Hieronymus vero in Michæam cap. 2. Græca vti maluit. sic enim scribit: In vulneribus putridis ne cancer serpat, & emortuum corpus viuas carnes depascat, medici statuunt vulnus, & vrunt cauterio, vel puluere καυστικῷ.*

Cellæ *Locus fuit in Ægypti eremo, a cellis monachorum quæ frequentes in eo & sparsæ visebãtur, ita vocatus. Sozomenus lib. 6. cap. 30. Cum iter facias, inquit, in interiorem solitudinem, locus est alius, qui abest a Nitria (Nitria autem ita appellatur, propterea quod est pagus finitimus in quo nitrum colligunt) stadia fere LXX. cui nomen Cellæ; in eo sunt cellæ monachorum permultæ sparsim positæ, qua de causa hoc nomen habuit.* Coll. 6. c. 1.

Cenodoxia *Græcis est vana gloria, ac nescio an Latinorũ aliquis (ex his saltem qui extant) ante Cassianum hac voce sit vsus. ipse vero eam vsurpasse videtur quòd vno Latino verbo non posset reddi. Vtitur ea S. Paulus ad Philip. cap. 2.* Lib. 5. c. 1 & alibi.

Centenarius numerus de sinistra transfertur ad dexterã. *Hanc sententiam a S. Hieronymo mutuatus est Cassianus. Ille enim initio libri 1, contra Iouinianum sic scribit: Centesimus numerus de sinistra transfertur ad dextram, & ijsdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læua nuptæ significantur, & viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam. Ceterum hanc antiquam computandi rationem per digitos, petãt studiosi ex Beda, qui omnia minutissime exequitur: hoc tantum hic dixerim, vsque ad centum per varias digitorum figuras in sinistra computari, centum vero in dextra ijsdem digitis demonstrari quibus in sinistra decem. Hinc ille ait: Atque suos iam dextra computat annos.* Coll. 24. cap. 26.

Cephalalgia *dolor capitis est. κεφαλὴ enim caput dicitur, ἀλγέω doleo.* Coll. 24. cap. 15.

Chæremon, *ita est hoc nomen scribendum, χαιρεμών.* Coll. 11.

Chiragra *est manuum captura, χεὶρ enim manus, ἄγρα captura dicitur; hinc chiragrica valitudo, quæ & articularis morbus dicitur, quòd manuum articulos captet & contrahat. Sunt qui chiragram manuum dolorem interpretentur.* cap. 3. Coll. 24. cap. 15.

Cœnobium. *Gellius lib. 1 c. 9. Sed id, quod non prætereundum est, quod omnes, qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiæ, pecuniaq. habebant,* Coll. 18. cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*bebant, in medium dabant, & coibatur societas inseparabilis: tamquam illud fuerit antiquum consortium, quod re, atque verbo appellabatur cœnobium.*

Lib.1.c.5 Colobium *Græca vox est, κολόβιον, sed a Latinis etiam vsurpata. est autem tunica sine manicis. Seruius Aen. 9 ad illud: Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ: Tunicæ, inquit, vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat dicens: Manicatis & talaribus tunicis, nam colobijs vtebantur antiqui. hæc ille. quæ totidem fere verbis refert S. Hieronym. in Hebraicis quæst. Porro Sozomenus lib. 3. cap. 13. Ægypti monachos χειριδώτους ἀχειροδότους, ideſt, tunicas sine manicis habuisse scribit, vt eo signo ostenderent manus se ab iniuria & contumelia facienda habere penitus alienas. Ceterum Cassiani colobia manicis non omnino carebant, sed ea citra cubitum definebant, cuiusmodi hodie in vestibus sacris dalmaticas, seu tunicellas videmus. Anselmus antiquus decretorum collector, hæc tamquam ex Eusebio (sed incertum quo) citat: A sancto Siluestro & presbyteris eius colobiorum vsus sumpsit initium, & Marcus, & Iulius, & Liberius eo ordine sunt vsi. Post hos autem colobia in dalmaticas commutata sunt: visum est enim melius huic proposito conuenire, quòd accuratius magis aspectibus placere valeat. hæc ille. Dicitur autè & lebitonarium. Isidorus lib. 19. Etymol. c. 22. Lebitonarium est colobium sine manicis, quali monachi Aegyptij vtuntur. & sup. pag. 650. λεβιτωνάριον Suidas.*

Lib.4. ca. 29. Comes. *postquam Romanum Imperium Constantinopolim translatum fuit, & reip. forma mutata, principalium fere omnium officiorum præfecti comites dicebantur, atque ij etiam, qui prouincias regebant. eorum est frequentissima mentio in Imperialibus constitutionibus, & Notitia Imperij.*

Lib.6. ca. 9 & Lib. 8 cap.8. Conhibentia *pro coniuentia constanter legitur apud Cassianum in Vaticanis codicibus, atque ea vox ita scripta in C. Theodosiano passim occurrit. in Glossario etiam est, conhibentia, σατυρεία.*

Collat. 1. cap. 23. Consultor *is est, qui ab alio consilium petit, sed hoc loco pro eo ponitur qui alij consulit, vt etiam apud S. Ambros. in Oratione de obitu Valentin. Quid de amore prouincialium loquar, vel quo eos ipse complectebatur, vel qui ab his consultori suo rependebatur? Sallustius in Iugurth. Ab eo, inquit, petit, vt sibi fautor consultorq. adsit. Ioid. Igomet in agmine, in prælio consultor idem, & socius periculi vobiscum adero.*

*Corn.*



*Corn. Tacit lib. 4. ann. Ipse consultor aderat omnibus.*

Corpus fraternitatis, *corpus pro collegio siue vniuersitate in Imperialibus cõstitutionibus passim reperias. est ergo apud Cassianum corpus fraternitatis, vniuersitas monachorum, fraternitas dicta, quòd se inter se fratres vocabant, & fraterna charitate diligebant.* Lib.1.c.3

Κτῆσις, *dixi in ἀκτημοσύνη hanc vocem dominium & possessionem alicuius rei significare, atque in omnibus huc vsque impressis libris Cassiani corrupte legi, cum integra sit in Vatic. cod.* Colla.19. cap.6. ali. ἐγκῆσις.

Cuculla *apud Cassianum capitis indumentum est, quo monachi Aegyptij vtebantur. Sozomenus lib. 3. cap. 13. de ijsdem monachis agens: Caput, inquit, integumento quod cucullum (κουκούλιον) appellare solent, operiebant, quo ostenderent se vitam perinde simplicem & sinceram agere, atque pueros lacte nutritos, quorum caput eiusmodi tiaris obuoluitur, vt tegatur simul & foueatur. Addit Nicephorus lib 9. cap 14. tegmen illud acuminatum fuisse. Apud Hieronymum in Hilarionis vita, vt etiam in mmss. Cassiani libris, cuculla dicitur; sic enim scribitur: Omnes diuitias suas ei relinquês, Euangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam, & palliolum.* Lib.1.c.4

Decania, *in monasterijs olim constituebantur decani, qui nouem monachis præessent, hi autem decem monachi decuria siue decania vocabantur. S. Hieron. epist. 22. de cœnobitis agens: Diuisi sunt, inquit, per decurias atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus præsit, & rursus decem præpositos sub se centesimus habeat. Augustinus vero lib 1. de moribus Ecclesiæ, ait decanos esse qui decem monachis præsint.* Lib.4. ca. 17.

Denarius *vbique apud Cassianum non nummum argenteum, qui olim septima pars vnciæ fuit, sed assem, hoc est, æreum nummum, qui decima pars erat denarij argentei, significat; quod declarare ipse videtur, cum Collat. 1. cap. 10. ita scribit: Aereo quoque viliq denario si pretiosum numismæ sub colore seu indumento auri fulgentis imitetur. Sic & Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 7. cum dixisset asses altera parte bicipitem Ianum signatum habere, altera nauim, subijcit: Pueri denarios in sublime iactantes, capita aut nauim exclamant. Hieronymus etiã denarium pro nummo posuit in epist. ad Eustoch. de custod. virginit. Hilarius quoque in enarratione psal. 128. quod est apud Marc cap. 12. λεπτὰ δύο ὅ ἐστι κοδράντης sic extulit: Duos denarios vidua inopis acceptio-* Lib.4.ca. 14.& alijs locis.

*res Dominus ait, copiosis diuitũ nummis. Contra vero S. Amb. Luc. 10. vbi scriptum est ἐκβαλὼν δυο δηναρια, legit frequenter duo æra.*

Coll. 18. cap. 7. Diaconia *collectam significat, seu collationem, quæ fiebat in Christianos pauperes. Vtitur hac voce S. Paulus 2. Cor. 8. & cap. 9. ita scribit:* Περὶ μὲν διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους περισσόν μοί ἐστι τὸ γράφειν ὑμῖν. *Est etiam diaconia dispensatio siue œconomia rerum ad monasteria pertinentium, quæ probatissimo cuidam monacho cunctorum seniorum suffragio deferebatur, vt tradit Cassian. Coll. 21. cap. 1. 8. & 9. dispensationem eam appellat Lib. 5. cap. 40.*

Collat. 7. cap. 5. Dilectus *est electio militum a ducibus habita. Festus: Dilectus, inquit, militum, & is, qui significatur amatus, a legendo dicti sunt. Confirmant hanc huius nominis orthographiam marmora & antiqui libri. certe hoc loco in Vatic. lib. dilecta legitur. Glossarium* Dilectus, ἀγαπηθεὶς καὶ στρατολογία.

Lib. 5. ca. 36. Diolcos *oppidum fuit vni ex septem Nili ostijs appositum, vt tradit Cassian Collat. 18. cap 1. sed Ptolemæus ipsum Nili ostium, siue pseudostomum potius, Diolcon appellat, & fieri potest vt oppidum ex flumine, quod præterfluit nomen acceperit. In eo complures monachos vitam egisse Palladius refert, & Sozomenus lib. 6. cap. 29.*

Lib. 6. c. 4 Ἐγκρατὴς *continentem significat, vt ipse Cassianus exponit: sed in omnibus excusis libris vitiose legebatur* εὔκρατος, *in Vatican. vero* ἐγκρατὴς *constanter est scriptum, vt in epist. ad Tit. cap. 1.*

Collat. 1. cap. 23. Embrimium *quid sit Cassianus explicat: ceterum hanc vocem alibi non memini me legisse, nisi apud Metaphrasten in vita Euthymij abbatis, & cum y Græca Embrymium.*

Collat. 7. cap. 12. Energumeni *sunt, quos alio nomine Cassianus vocat arreptitios, & immundis spiritibus afflatos, ita dicti putantur* ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν, *ideſt, ab operationibus dæmonum, quas in ipsis præcipue videmus. Videndus Origen. lib. 3. Periarchon c. 3. pag 400. M. Manifeste, inquit, ex multis indicijs monstratur, quod humana anima dum in hoc est corpore, recipere potest diuersas energias, ideſt operationes spirituum diuersorum malorum, ac bonorum. Et malorũ quidem duplici specie, ideſt vel tunc penitus ex integro possederint mentem, ita vt nihil omnino eos, quos obsederint, intelligere vel sentire permittant, sicut exemplo sunt hi, quos vulgo energumenos vocant, quos amentes, & insanos videmus, quales erant illi, qui in Euan-*



*in Euangelio a Saluatore curati esse referuntur. S. Ambrosius serm. 25. dicit vtique a diabolo energumenum non nisi ieiunijs posse purgari. ipsum vero afflatum dæmonum Energoma vocat Tertull. lib. de carne Christi & de præscripti. hæret.*

Entheca *horreum, penum, aut repositoriam cellam significat, Græce* ἐνθήκη. *vtitur hac voce S. August. & Gelasius Papa in epistolis, vt quidem legitur in mmſſ. codicibus Gratiani. 12. q 2 c. Vobis enim, & lib. 9. Cod. Theodos. tit. de bonis præscrip. lege 7. reliqui apothecam dicunt. Alij enthecam esse aiunt repositam rei copiosam substantiam.* Lib. 4. ca. 14.

Ἐπιθυμητικὸν *concupiscibile est, vt Cassianus ait, tres vero illas animæ partes Græce a me in Vatic. codicib. inuentas reposui.* Coll. 24. cap. 15.

Esculentiores cibos *dicit etiam Tertullianus pro exquisitis & suauibus epulis, cum lib. de Ieiunio: Ideo, inquit, tam ingratis gratiora & esculentiora quæque detracta sunt.* Lib. 5. c. 7 & 23.

Exagium *quid esset nesciremus, nisi nos id docuisset marmorea tabula, quæ est Romæ in palatio Columnensium, in qua sic est scriptum: Ex auctoritate Turci Aproniani V. C. præfecti vrbis. Ratio docuit, vtilitate suadente, consuetudine micandi summota, sub exagio potius pecora vendere, quàm digitis conludentibus tradere, vt adpenso pecore, capite, pedibus, & seuo lactante & subgulari lanio cedentibus; reliqua caro cum pelle & interaneis proficiat venditori, sub conspectu publico fide ponderis comprobata; vt quantum caro occisi pecoris adpendat, & emptor norit, & venditor &c. Ergo exagio aliquid adæquatur, cum ad fidem ponderis id exigitur.* Collat. 1. cap. 21.

Gastrimargia *est insania circa gulæ vẽtrisq. delicias nam* γαστὴρ *venter dicitur, μανία insania. Existimo autem hanc vocem in sacris litteris non reperiri. Vtitur tamen ea Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagogi, cap. 1. Latini auctores gulæ nomine contenti fuere, sed non visum est Cassiano id verbum vim omnem gastrimargiæ exprimere, ideo Græco potius vti maluit.* Lib. 5. c. 1

Gillonem *genus esse vasis, atque baucalem vocatum Cassianus scribit. & baucalium quidem Græca vox est. Legi eam apud Alexandrum (siue ille Aphrodisiensis, siue Trallianus est) lib 1. problem. 94.* διὰ τί τὰ λεγόμενα βαυκάλια ἐν τῷ πληροῦσθαι ὕδατος ψόφον τινὰ ἀποτελεῖ. *Hispani nunc cangilonem, Itali boccalem vocant.* Lib. 4. c. 16.

Lib.4.ca. 22. Omophagia, ὠμοφαγία crudarum rerum esus est, & earum, quæ igne non fuerint emollitæ.

Collat. 5. cap. 4. Illicitatio idem est quod incitamentum, a verbo illicio. vtitur rursus hac voce Collat. 5. cap. 6.

Collat. 5. cap. 21. Indictio pensitationis aut tributi genus fuit, quod patrimonijs aut personis indicebatur, vt Asconius Pædianus scribit, & Paulus in l. quæro. D. de vsufructu legato. apud Cassianum vero pro exactione posita videtur.

Lib.5.ca. 37. in sũma capitis. Instructus, in Pandectis Iustiniani titulus quidam est: De instructu seu instrumento legato. quid autem sit, Cassianus ostendit cum ait: Cellam cum omni supellectili vtensilibusq. suscepimus. Est enim quidquid paterfamilias comparauit quo esset instructior. Tertullianus lib. de Anima: Quam dicimus cum omni instructu suo nasci.

Coll. 1. in præfatione. & Collat. 21. c. 28. Intellectualis siue intelligibilis is dicitur, non qui voce profertur, sed qui per allegoriam intellectu comprehenditur. ipse Cassianus Lib. 12. cap. 22. Quibus, inquit, manifeste probatur omnem animã, quæ superbiæ fuerit tumore possessa, intellectualibus Syris, id est, nequitijs spiritalibus tradi. & S. Ambros. lib. de fuga sæculi cap. 5. Hic autem adhuc in spelunca est, id est in carne, in antro quodam istius corporis, cum rege Saul filio duritiæ, & intelligibilis illius principis potestate decernens, qui non videtur, sed intelligitur.

Lib.5.ca. 35. Intempesta nox dicitur cum iam tempus aliquid agendi non est. Apuleius lib. 2. Metamorph. Cum statim, inquit, ecce crepusculum, & nox prouecta, & nox altior, & deinde concubia, & iam nox intempesta.

Lib.4. ca. 23. Ioannes abbas, huius vitam scribit Palladius, meminit eius Sozomenus lib. 6. cap. 28.

Lib. 4. c. 11. Lapsanum, λαψάνη est olus agreste, inde prouerbium: Lapsana viuere, pro tenui & paupere victu. Dioscorides lib. 2. λαμψάνην vocat.

Lib. 4. c. 25. Lenticula olei quid sit declarat S. Hieronym. in Habac. cap. 3. cum scribit: Iehu & Azael perfunduntur lenticulai vas autem fictile sic vocatur, id est, φακός. hac Hieronym. Id autem vas a forma lentis ita fuisse appellatum innuere videtur Apuleius lib. 2. Florid. his verbis: Ampullam quoque oleariam quam gestabat lenticulari forma, tereti ambitu, præsula rotunditate &c. Est & vas aquarium lib. 1. Reg. cap. 26. cum Dauid ex tabernaculo Saulis subduxit hastam quæ erat ad caput eius, & φακὸν ὕδατος, id est, lentem aquæ, vt legitur



vt legitur in antiqua LXX. interpretum translatione Latina, quam citat Lucifer Caralitanus lib. 1. pro Athanasio. S. Ambros. lib. 3 offic. c. 5. Dauid lanceam, quæ erat ad caput Saul, & lenticulam tulit aquæ. in vulgata editione legitur scyphum aquæ.

Colla. 23. cap. 9. Linea funiculus est seu filum, ita dicta putatur quòd ex lino plerumque fiat. Columella lib. 8. cap. 4. Emissa ligato pede longa linea gallina custoditur. Apud Cassianum vero pro validiore fune ex canabi, aut sparto cõfecto, per quem extentum funambulus ire possit, accipitur.

Coll. 14. cap. 15. Λογικὸν. Dixi aliàs hanc Græcam vocem, quæ ab excusis omnibus libris aberat, ex Vat. cod. a me repositam.

Lib. 3. c. 3 Lucernaris hora a Cassiano, vt videtur, undecima dicitur, quæ extendebatur ad solis occasum: nam Cassiani ætate tempus quod est ab exortu ad occasum solis, duodecim horis distinguebatur. Lucernaris autem hora dicta videtur, quia tunc lucernarium fieri consueuerat, de quo in expositione Psal. 119. quæ Hieronymi nomine circumfertur, ita est scriptum: Hora tertia oramus, horâ sexta oramus, nona, Lucernarium facimus, media nocte consurgimus, dein gallicinio oramus. Augustinus etiam in Regula 2. Hoc idem, inquit, in Vesperis & Completorio seruetur, ad Lucernarium autem psalmus vnus, responsorium vnum, antiphonæ tres, lectiones tres. Isidorus in regula monachorum cap. de officio: Post Tertiam, Sextam, Nonam, in vespertinis officijs primo Lucernarium, deinde psalmi duo, responsorius vnus, & laudes, hymnus atque oratio dicenda est. hæc Isidorus. Apud quem, vt hoc obiter moneam, laudes alleluia significat; ita enim id verbum exponit ipse lib. 1. officiorum cap. 13. Lucernarium vero inde dictum videtur quòd tunc fieret cum lucernæ primum accendebantur. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 29. Visum est patribus nostris vespertini luminis gratiã haud quaquam silentio arripere, sed mox vt apparuit, gratias agere. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus: populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam vmquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt: Laudemus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Dei. Lucernarij etiam mentio fit in Concil. Toletano 1. cap. 9.

Coll. 18. cap. 7. Lucius, fuit hic Alexandriæ episcopus Arianæ partis, tempore Valentis Imp. qui catholicis omnibus & maxime Ægypti

*monachis persecutionem commouit, in qua partim eorũ martyrio affecti fuerunt, partim in exilium acti aut in metallum damnati. auctor Nicephorus. S. Hieronym. in Catalogo scriptor. Ecclesiasticorum: Lucius, inquit, post Athanasium Arianæ partis episcopus Alexandrinam ecclesiam tenuit.*

Lib. 4. ca. 23. & Collat. 24. ca. vlt. Lycos *oppidum fuit in extrema parte Thebaidis. Plinus lib. 5. Licos, inquit, vbi montes finiunt Thebaidem. Apud Hieronymum vero in Hilarionis vita, vbi nunc legitur: Quæ in vicina eremo erant, & in loco qui dicitur Lychnos; nescio an Lycos scribendum sit.*

Lib. 5. ca. 40. Macarius. *huius & S. Hieronymus & auctores historiæ Ecclesiasticæ meminere. Scribendum vero est hoc nomen sine aspiratione, est enim Grace μακάριος, quod beatum significat.*

Lib. 4. ca. 22. Mænidia. *Parua licentia in hoc vocabulo corrigendo vsus sum. cum mmss. libri partim menominia haberent, partim menomia, ipse manidia feci. Sunt autem μανίδια Aristoteli minuti pisciculi, quos Plinius manulas vertit, Gaza haleculas.*

Lib. 1. c. 7 Mafortes, *Seruius Aen. 1. Recinus, inquit, dicitur ab eo quòd post tergum reijcitur, quod vulgo mauorte dicitur. Nonius: Ricinium, quod nunc mafortium dicitur. Hieronymus etiam ad Eustochium sic scribit: Et per hũmeros hiacinthina lena mauorte volitans. Mauorte vero idem est quod maforte, nam V. littera cum vocalibus præponitur, pro digamma, hoc est, F, littera solitam scribi veteres grammatici tradunt. Quoniam uero Ægyptiorum etiam lingua mafortem appellari hanc vestem Cassianus scribit, fortasse apud Palladium in vita Ammæ Taor cum dicitur: Ea vestem nouam aut μαφόρτον, aut calceum noluit accipere, μαφόρτον legendum est. Mafortis voce pro pallio vtitur Fortunatus in vita S. Hilarij lib. 2.*

Lib. 5. ca. 40. Mareotis Libya *regio est Alexandriæ vicina. Plin. lib. 5. cap. 6. Ea, inquit, quæ sequitur regio, Mareotis Libya appellatur, Ægypto cõtermina. Quidam vero cod. Cassiani mmss. tantum habent: De Mareotæ partibus, sine voce Libyæ, quæ lectio vera fortasse est: frequenter enim ita appellatur hæc regio. Iustinianus in edicto XIII. cap. 21. ὅτε διὰ τὸ τὸν μαρεώτην καὶ γειτονα εἶναι τῆς Αλεξανδρείας, &c.*

Collat. 4. cap. 21. Matta *storea vel teges est ex palma aut iunco similive materia confecta.*

Mazices,



Mazices, μάζικας *Ptolemæus in ea Ægypti sive Africæ parte locat, in qua esse eos tradit Cassianus. Eorum vt barbarorum & immanium hominum meminit Palladius in Arsacio, & Nestorius apud Euagrium lib. 1. Ecclesiast. hist. cap. 7. & Nicephor. lib 14. cap. 13. In vulgatis Stephani de vrbibus libris vitiose legitur: μάζυες οἱ λιβύης νομάδες, pro μαζικες. Fit etiam Mazicum mentio in Æthici cosmographia.* Colla. 2. cap. 6.

Melotes *sive melote, Grace enim est μηλωτὴ, proprie dicitur pellis ouina; nam μῆλον ouis vocatur, sed & de quacumque pelle dicitur. Sozomenus lib. 3. cap. 13. has monachorum melotas διφθερας vocat, & sine his aut cibum aut somnum capere Ægypti monachos nefas esse commemorat.* Lib. 1. c. 8

Μερικὴ *Grace, Latine particularis dicitur, atque in Vatican cod. ita hæc vox legitur duobus locis in margine a me citatis, in vulgatis vero vitiose μερὶς, & μεριτικὴ.* Coll. 13. cap. 5. & Coll. 19.

Μῆνις *est permanens & pertinax ira. Suidas μῆνις, inquit, ὀργὴ ἐμμενὴς, alij esse dicunt ὀργὴν πεπαλαιωμένην, hoc est, odium, sive inueteratam iram. In impressis libris corrupte antea legebatur ἄλυς, in Vaticanis est μῆνις.* cap. 9. Collat. 5. cap. 11.

Missa *pro quacumque synaxi sive congregatione, quam monachi publice orandi causa faciebant, apud Cassianum sumitur, nempe Tertia, Sexta, Nona, & alijs; sive noctu fieret, sive interdiu. idquod ex adductis eius locis lectori persuadebitur. Lib. 2. de instit. monach. cap. 7. In hac, inquit, regione nec dum bene finito psalmo in orationem procumbere festinamus, ad celeritatem missæ quàm tocius festinantes & in titulo capitis 13. Quare post missam nocturnam dormire non oporteat. & in titulo capitis 15 Qua lege modestia post orationum missam vnusquisque ad suam cellulam redeat. Lib. item 3. cap. 5. Quidnam in hac regione expletis matutinalibus hymnis iterum reuertuntur ad somnum. & paulo post: Quod Ægyptij ne incurrant equidem cum soleant certis temporibus etiã ante gallorum cantum consurgere, missa canonica celebrata vsque ad lucem post hæc vigilias extendunt. & cap. 6. Illud quoque nosse debemus nihil a senioribus nostris, qui eandẽ matutinam solemnitatẽ addi debere censuerunt, de antiqua psalmorum consuetudine esse mutatum, sed eodem ordine missam quo prius, in nocturnis conuentibus perpetuo celebratam. & cap. 8. Quod nos quoque cum omni obseruatione custodire conueniet, vt scilicet contenti somno, qui nobis post vigiliarum missam* Lib. 2. ca. 13. 15. & Lib. 3. c. 5. 6. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*missam vsque ad lucis indulgetur aduentum, ideſt, vsque ad matutinos psalmos &c. Capite etiam 11. Verum ne hoc quidem ignorandum, die Dominico vnam tantummodo missam ante prandium celebrari, in qua psalmorũ atque orationum, seu lectionum, pro ipsius collectæ vel communionis Dominicæ reuerentia, solemnius aliquid ac propensius impendentes, in ipsa Tertiam, Sextamq; pariter consummatam putant. Ita etiã Victor lib 2. de persecut. Vandalica: Liberum arbitrium, inquit, habetis in ecclesiis vestris missas agere. & aliquanto post: Contra interdictum vos missas in sortibus Vandalorum egisse. Paulo tamen aliter Isidorus Hispalensis in regula monachorum cap. 6. cuius hæc sunt: In quotidianis officijs vigiliarum, primum tres psalmi canonici recitandi sunt, deinde tres missæ psalmorum, quarta canticorum, quinta matutinorum officiorum: in Dominicis vero diebus vel festiuitatibus martyrum, solemnitatis causa singulæ superadijciendæ sunt missæ. Et Smaragdus: Orationes, inquit, ideſt collectæ quæ in fine cursus a sacerdote dicuntur, missæ, ideſt, Deo transmissæ vocantur. Potest etiam videri Cassianus missam pro fine synaxeos posuisse lib. 3. cap. 7. cum ita scribit: Is vero qui in Tertia, Sexta, Nona, priusquam psalmus cœptus finiatur ad orationem non occurrerit, vlterius oratorium introire non audet, nec semetipsum admiscere psallentibus: sed congregationis missam stans pro foribus præstolatur. Vt etiam S. Benedictus in regula cap. 17. Prima hora dicantur psalmi tres, hymnus, post expletionem vero trium psalmorum recitetur lectio vna, versus, Kyrie eleison, & missæ sint. nam cap. 9. dixerat: Versus, Kyrie eleison, & sic finiantur vigiliæ nocturnæ. & cap. 12. Versus, canticum de Euangelio, Kyrie eleison, & completum est. Sed de his hactenus.*

Coll. 18. cap. 5. Monazontes *sunt qui seorsum vitam agunt, & solitarij degunt in mmſſ. cod. Græce legitur μοναζοντες, vt in C. Theodosiano. In historia etiam Ecclesiastica scribitur: Οἱ πλείους γὰρ ἦσαν μοναζοντες, ἔρημον οἰκοῦντες δι' ἄσκησιν. Vitiose ergo in vulgatis erat, monozontes.*

Coll. 14. cap. 14. Myrum *Græcis vnguentum est μύρον, vnguenta autem olim odoratissima ac pretiosissima fieri solita etiam S. Ioannes in Euangelio cap. 12 testatur, cum narrat Mariam accepisse libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxisse pedes Iesu, domumq. impletam fuisse ex odore vnguenti. Vtitur hac voce tamquam Latina, Hilarius in psal 132. Aaron, inquit, myro*



*myro confusionis vngitur. Et paulo post: vt igitur hoc myrum omnes fœtentes odores extinguit. Et S. Hieronymus vel Rufinus potius in translatione commentariorum Origenis in epistolam ad Rom. cap. 5. cum scribit: Vel iterum cum peccatricem mulierem non prohibebat contingere pedes suos, vel lacrymis rigare, vel capillis tergere, vel myro perungere. In excusis Cassianis legebatur: Odoratissimum myrrhum, aut vitiosius: odoratissimam myrrham.*

Myxaria *vocantur pruna Damascenis minora nucleo intus triangulari, μύξαρια.* Coll. 8. c. 1.

Naphtha *quid sit S. Hieronymus in cap. 3. Danielis Sallustij verbis sic explicat: Sallustius scribit in historijs quòd naphtha sit genus fomitis apud Persas, quo vel maxime nutriantur incendia. Et Plin. lib. 2. cap. 105. Similis est, inquit, natura naphthæ, ita appellatur in Babylonia & in Austagenis Parthiæ, profluens bituminis liquidi modo. huic magna cognatio ignium, transiliuntq; protinus in eam vndique visam. Dioscorid. lib. 1. cap. 102. ναφθα.* Lib. 4. ca. 14.

Necessitudo *ius est cognationis & affinitatis. Cicero in epistolis: Coniunctio quæstura liberorum necessitudini proxima est. Vtitur hac voce frequenter S. Ambrosius.* Coll. 16. cap. 14.

Nimietates *æqualitates sunt, Cassianus hanc sententiam vt antiquam citat. Faustus episcopus lib. 1. de libero arbitr. cap. 17. vt Græcam. sic enim scribit: Cum inter hæc vnus labori, alter totum gratiæ iudicet deputandum, impletur in vtroque Græca sententia: Nimietates, inquit, æqualitates sunt. similisq. improbitas & par esse probatur impietas, si totum soli gratiæ, vel totũ soli adscribatur labori. hæc Faustus; atque ideo Cassianus eam sententiam Græce retulit.* Collat. 2. cap. 16.

Νοῦς, *mens apud Latinos multa significat, ideoq. auctores vt vagam & multiplicem eius notionẽ aliquo fine coerceant, per aliud verbum Latinum, sed maxime per hanc vocem νοῦς solent exponere. Lactantius lib. 7. cap. 12. Mens ergo, inquit, ideſt, intelligentia, vel augetur vel minuitur pro ætate. S. Ambros. epistola 1. Quòd diligat, inquit, mundum, vel mentem suam, ideſt, νοῦν huius auctorem voluntatis. & lib. de Paradiso cap. 2. Deceptam autem per sensum prauaricatricem, secundum historiam, mentem asseruit, quam Græci νοῦν vocant. S. etiam Hieronymus in Nahum cap. 3. Sensum, inquit, hic non accipias pro animo & mente, quæ Græce νοῦς dicitur, sed pro αἰσθήσει.* Lib. 8. c. 9

Obducere

Universidad de Deusto
Biblioteca



Coll. 8. cap. 18. Obducere solem & lunam, *si ita scripsit Cassianus, obducere valet obtenebrare siue operire, sicut Cicero dixit in Academicis: Clarissimis rebus tenebras obducere. si autem Cassianus deducere, non obducere scripsit, imitatus videbitur Virgilium qui dixit: Carmina vel cælo possunt deducere lunam. nam de magicis artibus vtrobique agitur.*

Omaphagia *quære sup. in H.*

Coll. 24. cap. 15. Ophthalmicus *morbus dicitur qui ægritudinem adducit oculis. ὀφθαλμὸς est.*

Colla. 23. cap. 12. Originales, *siue Originarij serui siue coloni dicebantur, qui prædio adscripti in venditione cum eo simul addicebantur. horum fit mentio in l. hi penes quos. & l. quemadmodum. & l. Oginarios. C de agricolis & censitis lib. XI. Inde Cassianus originalia vincula proseruilibus posuit.*

Coll. 24. cap. 15. Otalgicus *morbus est, qui auribus affert dolorem, nam ὦτα aures sunt, ἀλγέω doleo, inde ὠταλγικὸς. Porro hæc vox in omnibus hactenus impressis codicibus desiderabatur, eam nos reposuimus ex Vaticanis.*

Lib. 5. ca. 26. Pæsius, *Nicephorus lib. 9. cap. 14. Pæsium inter primos Ægypti monachos numerat. Palladius etiam, licet in vulgatis libris vitiose apud eum legatur Pæsius, vt apud Cassianum Phesius siue Pesius.*

Collat. 5. cap. 14. Pancarpum *fuisse spectaculi genus in quo homines ad id mercede conducti cum bestijs omnis generis decertabant, Cassianus auctor est, cui maxime huius vocis intelligentiam debemus. Vtitur ea Secundinus hæreticus in epistola ad Augustinum his verbis: Sed forte post Daretis & Entelli certamen Iacob & ipsius pammachiã spectare volueras? An numerum Amorrhæorum, an pancarpum in arca Noe conspicere disposueras? hæc ille. Cui S. Augustinus lib. aduersus eum scripto cap. 23. ita respondet: Nomine pancarpi, qui in ludicris muneribus edi solet, propter omnium generum quæ inerãt bestias exagitatis arcam Noe, quæ per omne genus animalium, futuram ex omnibus gentibus figurabat Ecclesiam. Imperator etiam Iustinianus Nouella constitutione. CV. sic scribit. Μετ' ἐκεινου τὴν τοῦ λεγομενου μονημερίου, ἐνθα πολῆς ἡδυπαθείας ἐμπλήσει τὸν δῆμον, τοτε καλούμενον παγκαρπον, θεώμενον καὶ θηρίοις πρὸς μαχομένους ἀνθρώπους, καὶ εὐδοκιμοῦντας τῇ τολμῇ, καὶ πρός γε αναιρουμενα τὰ θηρία. Quæ ideo Græce retuli quòd apud eius Nouellæ interpretes aut locus vitiosus sit, aut (quòd in Augustini & Cassiani loca nondum*



*dum inciderant) ab illis non satis intellectus fuisse videatur. Quòd si quis a me quærat qua ratione venationem illam, in qua homines cum bestijs omnis generis depugnabant, pancarpum (quæ vox omnem fructum significat) appellarint: dicam, fortasse id per translationẽ factum. Cum enim lancem, quam omni genere fructuum refertam deorum templis inferebant, ab re pancarpiam dicerent (πᾶν enim omne, καρπὸς fructus interpretatur, per translationem coronas etiã ex varijs floribus contextas, licet nihil fructus ineesset, Festo Pompeio teste, pancarpias vocabant. Inde ergo & venationem, quæ omni genere bestiarum constabat, pancarpum appellauerunt.*

Panephysis. *ita scribitur huius vrbis nomen apud Ptolemæum, & in Vatic. cod. Cassiani.* Lib. 4. ca. 30.

Paphnutius. *sic scribitur hoc nomen in Vatic. codicib. Sozomeno & Palladio* παφνουτιος. Lib. 5. ca. 40.

Paracharaximum, *siue (vt legendum existimo) paracharagmum, est falsa moneta Græce* παραχάραγμα *dicta hinc paracharactæ, qui falsos nummos cudunt, vt lib. IX. C. Theodosiani titul. de falsa moneta, l. 8. Falsæ monetæ rei, quos vulgo paracharactas vocant, maiestatis crimine tenentur obnoxij. Sic & Cassianus Collat. 2. cap. 9. paracharagmum vulgare verbum fuisse tradit. nec dubito quin id ex Origene acceperit, cuius hæc sunt ex homil. 3. in Leuit: Solus est Dominus noster Iesus Christus, qui te huiusmodi artem possit docere, per quam scias discernere quæ sit pecunia, quæ veri regis imaginẽ tenet, quæ vero sit adulterina, & vt vulgo dicitur, extra monetam formata, quæ nomen quidem habeat regis, veritatem autem regiæ figuræ non teneat. Quod Latinus interpres vertit: Extra monetam formata, id Græce fuisse existimo* παραχάραγμα, *nam eas homilias mihi Græce videre non contigit. Idem homil. 3. in psal. 36. omnium hæreticorum sermo non est probata pecunia, nec Dominicam integre in se habet figuram, sed adulteram, quæ, vt dicam, extra monetam ita figurata est, quia extra Ecclesiam composita est. Porro charagma imaginem nummo impressam significare ostendit auctor, quem vocant, Imperfecti, homil. 38. in Matth. cum ita scribit: Nummus qui non habet charagma Cæsaris, reprobus est. Ergo si recte auguror Cassianus Latina terminatione, vt alia etiam Græca nomina, paracharagmum declinauit.* Collat. 1. cap. 20.

Participium *pro participatione dixit, vt pontificium pro pontificatu.* Coll. 23. cap. 21.

Passi-

Collat. 1. cap. 5. Passiuus, *vox hæc Tertulliano familiaris est significatq. apud eum, ambiguum, cõmune, promiscuum, inconstantẽ, & vagum, id quod apud Cassianum significare videtur, vt etiã Apud Augustinum, cuius hæc sunt verba in lib. aduersus Adimantum: Si hoc dictum est vt non seruetur panis in crastinum, magis hoc implent vagi Romanorum, quos passiuos appellant, qui annona quotidiana saturato ventre, aut donant statim quod restat, aut abijciunt. Et quidem adeo hoc vocabulum apud Africanos scriptores frequenter occurrit, vt eorum peculiare fuisse videatur. Vtitur tamen eo S. Hieronymus in Ezech. cap. 16. cum passiuam libidinem, dixit vagam & maritalibus legibus non obstrictam. Et in Matth. cap. 10. Non nobis, inquiens, tribuitur libera intelligentia & allegoriæ interpretatio passiua. Gregorius etiam Baticus, siue Fauslinus est (nam vtriusque nomine liber contra Arianos vulgatus est;) Ego, inquit, in patre, & pater in me, non vtique per quandam passiuam confusionem &c.*

Lib. 10. c. 24. Paulus abbas. *huius omnes meminere, & S. Hieronymus eius vitam luculenter scripsit.*

Collat. 2. cap. 5. Pausantes *eos vocat Cassianus qui pausa, hoc est fine, viuendi facta in Domino requiescunt.*

Lib. 4. ca. 14. & alibi. Paxamacium *paruus est panis sex fere vnciarum; atque statutus modus refectionis diurnæ monachis Ægypti fuere duo paxamacia, quæ integram libram non æquabant, vt Cassianus scribit Collat. 2. cap. 19. & Collat. 12. cap. 15. Palladius etiam in vita Pauli Simplicis: Fert, inquit, panes Antonius, & imponit mensæ quattuor paxamidia sex vnciarum, & sibi quidem vnum madefecit, erant enim sicci. Ceterum Suidas vocem Latinam esse, & panem bis coctum significare sic tradit:* Παξαμὰς ὁ δὶς πυρος ἄρτος ἔστι δὲ λέξις ῥωμαϊκή. *Vaticani autem libri paxamacium habent.*

Coll. 18. cap. 1. Pharus *turris fuit maxima quam Ptolemæus rex Ægypti iuxta Alexandriam constituxit, vt noctu in summo eius ignes accensi, nauigantibus prænuntiarent vada & introitus portus: nam Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus habuit. Inde omnes huiusmodi turres alibi exædificatæ Phari sunt dictæ, nunc vulgo Lanternas vocant. Ergo Piammon abbas qui tamquã ciuitas supra montem posita latere non posset, sed quasi lucerna super candelabrum luceret omnibus qui in Ægypto erant, apte a Cassiano pharo huiusmodi comparatur.*

Lib. 5. c. 1 & alibi. Philargyria *est amor siue studium pecuniæ, nam φίλος ar-*



*micus est, ἀργύριον licet proprie argentum dicatur, frequenter tamen pro pecunia generaliter ponitur quocumque metallo constet. Vtitur hac voce S. Paulus 1. Timoth. 6. & Cassianus eam Græce vsurpauit, quòd auaritiæ vocabulum vim eius plene exprimere non videretur.*

Piammon, *ita est scribendũ hoc nomen. Sozomenus lib. 6.* Coll. 18. cap. 1. *cap. 29* Καὶ πιαμμὼν καὶ ἰωάννης περὶ διολκὸν τῆς αἰγύπτου πρεσβύτεροι ὄντες. *Et Nicephorus lib. 11. cap. 35.*

Placitum *pro conuentione & pacto, vox est Iurisconsultis familiaris, vt l. 1. D. de pactis, & alibi sæpe.* Collat. 9. cap. 36.

Planeticæ, *planetas alij has vestes appellant, & a* πλανάω, *quod est vagor, & erro dictas existimant. Erant enim amplissimæ ac lacinioſæ, & oris errantibus euagabantur, totumq. hominem contegebant. Isidorus in regula has suis monachis interdicit, vt dixi in voce Birri.* Lib. 1. c. 7

Plectæ *quas Ægyptij Siras vocant, habenæ sunt e palma, iunco; aut sparto contextæ, ex quibus sportæ, canistra aliaq. similia conficiuntur, dictæ a verbo* πλεκω, *quod necto significat & contexo. Similiter Græci* πλεκτὴν σειρὰν *interpretantur. Hispani pleitas vocant eas habenas, & quas ex ijs conficiunt seras.* Coll. 18. cap. 15.

Pontificium *pro potestate frequens est in constitutionibus Principum, vt C. Theodosiano lib XVI. titulo de fide catholica l. 3. Neque his penitus post hac obtinendarum ecclesiarum pontificium facultatemq. permitti &c. & eod. lib. titul. de hæreticis, l. 13. Omnes igitur qui harum professionum, vel pontificium vel ministerium vindicarunt. Gellius lib. 1. c. 13. Sunt enim non pauci, qui cum sententiam suam ima in parte defixerint. & re semel statuta, deliberataq. ab eo, cuius negotium id, pontificiumq. esset, nequaquam putauerunt contra dictum eius esse faciendum. Apud Arnobium etiam lib. 2. contra gentes in v. c. sic legitur: Vt enim dij certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id quod eius non sit potestatis ac licentiæ postulatis: ita vnius pontificium Christi est dare animis salutem, & spiritum perpetuitatis apponere. Et alter Arnobius in expositione psal. 68. ad illos, qui sedebant in porta: In portis ergo, inquit, hi accipiunt pontificium iudicandi, & corripiendi. Sic etiam de S. Petro canit Ecclesia. Deus qui beato Petro Apostolo tuo collatis clauibus regni cælestis, animas ligandi atque soluendi pontificium tradidisti &c.* Coll. 23. cap. 12.

Porphy-

Lib. 10. c. 24. Porphyrio, *meminit rursus huius eremi Collat. 24. cap. 4. his verbis: Qui in illa Calami siue Porphyrionis eremo comoratur. Ptolemæus in ea regione Porphyriten montem locat, & Palladius cum scribit: Sanctus Pitirum anachoreta, qui sedebat in Porphyrite. Eusebius etiam lib. 8. Ecclesiast. hist. cap. 18. Forte, inquit, in loco quodam Thebaidis Porphyrite appellato, qui iamantea ex vena lapidis porphyritis, quæ ibi nascitur, nomen duxerat.*

Lib. 5. c. 11. Posterulam *pro paruo postico dixisse videtur, quod in auersa murorum siue domorum parte esse consueuit, posticulum vocat Plautus, Apuleius posticulam.*

Lib. 1. c. 8 Præfigurauere lineas. *Solent pictores futuram imaginem ductis lineamentis præfigurare, deinde vero colores inducere: inde Cassianus ait illos patres, qui in veteri testamento circumierunt in melotis & pellibus caprinis, iam tum præfigurauisse ac delineasse habitum conuersationemq. monachorum.*

Coll. 14. cap. 1. Πρακτικὴ, *Græce scriptam hanc vocem reperi in Vatic. cod. quid significet satis Cassianus exponit.*

Coll. 6. c. 10. & Col. 7. cap. 12. & Col. 20. c. 9. Principale, seu principale cordis, *quid sit docet Origenes homil. 9. in Exodum his verbis: Potest intra se agere pars illa, quæ in eo est pretiosissima omnium, quod quidam principale cordis appellant, alij rationalem sensum, aut intellectualem substantiam, vel quocumque modo appellari potest in nobis portio nostri illa, per quam capaces esse possumus Dei. Et Homil. 2. in Cantic. interprete Hieron. ad illud: In medio vberum meorum commorabitur. Quis, inquit, ita beatus, vt habeat hospitem in principali corde, in medio vberum in pectore suo sermonem Dei? Sed legendum in principali cordis. S. Hieronym. lib. 1. contr. Iouinian. Fratruelis meus mihi, & ego illi, in medio vberum meorum commorabitur, in principali cordis, vbi sermo Deihabet hospitium. Et in Habac. c. 3. legimus scriptum cor regis in manu Dei, pro eo, quod est: mens & principale cordis viri sancti non vagatur extrinsecus, sed in Dei tutela situm est. Ideo autem principale cordis dictum videtur, quòd cum Platonici principale animæ, hoc est, τὸ ἡγεμονικὸν in cerebro esse censerent, Christiani viri illud potius in corde collocandum putarunt. Hieronym. in epist. ad Fabiolam de veste sacerdotali: Quæritur, inquit, vbi sit anima principale. Plato in cerebro. Christus monstrat in corde: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et: De corde procedunt cogitationes malæ. Et: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? Vide Tertull. lib. de An. de Hegemonico in edit. Pam. pag. 575.*



Procherium, *ita hanc vocem scriptam inueni in omnibus Vatic. lib. sed cum Græce* πρόχειρον *dicatur quidquid ad manum est, & Plutarchus* πρόχειρα σκεύη *appellet vasa, quæ ad manum sunt, existimare quis posset hoc loco apud Cassianum legendum esse: In prochiro, id est, amanuensi, sporta. præcipue cum vt procherium in se sportam contineat. nulla etymologiæ ratio possit admittere: certe eam dictionem alibi me legisse non memini.* Colla. 19. cap. 4.

Prosecutio *pro relatione siue narratione alijs quoque auctoribus vsitatum.* Collat. 8 cap. 16.

Protypum *est forma seu exemplar cuiusque rei,* πρότυπον. *Vtuntur hac voce Plinius & alij. In vulgatis codicib. vitiose erat scriptum diuise, pro typis, in alijs vitiosius, typis tantum.* Colla. 10. cap. 9.

Psiathium *Græcis teges siue storea est iunco aut papyro cõfecta, ea pro lecto & stragulo vtebantur monachi Aegyptij. Viden. Collat. 1. cap. 23. & lib. 5. cap. 35. Glossarium: Teges, inquit,* ψιάθιον. Lib. 4. c. 13. & alibi.

Pyra *lignorum congeries est Seruio auctore.* Co. 15. c. 3

Quadragesimæ vectigal, *Varia vectigaliũ genera Romæ fuisse, diuersis tamen temporibus, apud auctores inuenio. Vicesima eorum, qui manumitterẽtur, de qua Liuius lib. 7. Vicesima item hereditatum vectigal fuit ab Augusto extraneis heredibus irrogatum. Fit eius mentio in l. vlt. C. de edict. Diui Adrian. tollen. & alibi. Pro litibus atque iudicijs vbicumque conceptis, quadragesima summa, de qua litigaretur, meminit Suetonius in Caligula. Fuit & quinquagesima mancipiorum venalium, de qua Dio lib. 55. Deinde quinta & vicesima eorundem mancipiorum, cuius meminit Cornel. Tacit. lib. 13. Fuit & centesima rerum venalium, eodem Tacito auctore lib. 1. & ducentesima auctionum siue rerum venalium Tacitus lib. 2. & deinde Suetonius in Caligula. De quadragesima vero lib. 13. sic scribit: Manet tamen abolitio quadragesimæ quinquagesimæque, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani inuenerant. Tempore tamẽ Cassiani quadragesima vectigal Imperatoribus pendi solitum ex hoc loco discimus.* Coll. 21. cap. 28.

Quinquagesimam *appellat Cassianus Latine, quam Græce dicimus Pentecosten, hoc est, spatium illud quinquaginta* Lib. 2. cap. vlt.

*dierum a resurrectione Domini ad Spiritus sancti aduentum. Vtitur hac voce rursus lib. 2. cap. 18. & Collat. 21. cap. 8. S. Hilarius in præfatione in psalmos de quinquagenario numero loquens, qui ex septem conficitur hebdomadibus: Et hæc quidem, inquit, sabbata sabbatorum ea ab Apostolis religione celebrata sunt; vt his quinquagesimæ diebus nullus neque in terram strato corpore adoraret, neque ieiunio festiuitatem spiritalis huius beatitudinis impediret: quod idipsum extrinsecus etiam in diebus Dominicis est constitutum. Ambrosius serm. 61. In Dominica, inquit, resurgens Saluator reuersus ad homines est, & post resurrectionem tota quinquagesima eum hominibus commoratus est. & infra: Non igitur ieiunamus in quinquagesima, quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur.*

Collat. 6. c. 1. Reliquias *inquit Origenes homil. 5. in psal. 36. dicere solemus, cum spiritus separatur a corpore, velut enim maiore parte hominum in spiritu deputata, quæ superest pars corporis, reliquiæ nominantur. Ambros. in psalm. 36. Reliquiæ dicuntur mortui hominis exuuiæ. Ideo reliquiæ, quia post mortem hominis videntur superesse. Supersunt enim, quæ seruantur ad resurrectionem.*

Coll. 18. cap. 14. Repausare *est reficere ac recreare, & quasi laboribus pausam, hoc est, finem imponere.*

Lib. 5. ca. 26. Sabbato & Dominico die *solere Ægypti monachos solemniter conuenire & collectas facere, ex Cassiano, & ex regula S. Pachomij, quam simul cum Cassiano imprimendam curauimus, discas. Quin etiam in omnibus Christiani orbis ecclesiis, præter Romanam & Alexandrinam, eam consuetudinem seruari solitam traditur in Tripartita historia lib. 9. cap. 38. his verbis: Cum per ecclesias in vniuerso terrarum orbe constitutas die sabbatorum per singulas hebdomadas sacrificia celebrentur; in Alexandrina & Romana prisca quadam traditione, non faciunt. Ægypti vero Alexandriæ vicini: & Thebaidis habitatores sabbato quidem collectas agunt; sed Dominica, sicut moris est, sacramenta percipiunt. Hæc ibi, quæ sunt fere Sozomeni lib. 7. cap. 19.*

Lib. 5. ca. 30. Sagum *apud Romanos species fuit pallij, quo præcipue in bello vtebantur, vt in vrbe toga. verum id Cassianus & alij pro stragula vestis genere vsurpant, quæ lectis iniiciebatur: eo districtioris professionis monachi non vtebantur, sed psiathio tantum, hoc est, storea vel tegete.*

Scam-



Scamma, σκάμμα *Græcis est stadium, arena, seu locus in quo athletæ certabant, ita dictus a verbo σκάπτω, hoc est, fodio, quòd fossa esset circumscriptus. Vox est Græcis auctoribus, & Chrysostomo præcipue frequens. Vtitur ea, metaphorice tamen, vt fere alij, Tertullianus in libro ad martyres, cuius hæc sunt verba: Epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit. S. etiam Hieron. epist. 61. contra errores Ioannis Hierosolymitani: Cur tu, inquit, omissis super quibus pugna est, de scammate & loco certaminis egrediens, in peregrinis & longe alienis disputationibus immoraris? Apud eundem in commentarijs epistolæ ad Galat. cap. 5. vitiose legitur: Videas plerosque de scripturis inter se contendere, & athleticum scomma Dei facere sermonem; cum plane legendum sit, scamma. Aeque vitiose legitur apud S. Ambros. lib. 1. officior. cap. 16. Quid epulari gestis ante quã stadium soluatur? adhuc populus spectat, adhuc athletæ in stemmate sunt, & tu iam otium petis? Alijs vero locis apud eum integre legitur, vt lib. de Elia & ieiunio cap. 13. In scammate si quis te manu leuat, exors quidem palmæ, sed immunis iniuriæ es. & cap. 21. Progressus in scamma necesse est, vt excipias puluerem. & rursus: Luctator in scammate, puluis in stadio. Paulinus in epist. 2. ad Seuerum: Noli, inquit, interim dum in scammate sumus &c. Cælius etiam Aurelianus lib. 2. tardarum passionum cap. 1. sic scribit: Ordinat idem in arenæ spatio, quod appellant scamma. Ceterum corrupte legebatur in omnibus vulgatis Cassiani libris schemmate, aut multo vitiosius caumate, cum in Vatic. codicib. scriptum sit scammate.* Collat. 6. cap. 16.

Scandalizantes fratres *dixit, pro scandalum patientes. Hilar. in Matt. c. 30. & alibi.* Coll. 6. c. 1. & alibi.

Schœnobates *recte Cassianus* σχοινοβάτην *funambulum interpretatur, nam* σχοῖνος *est funis,* βαίνω *ambulo. Primus autem Latinorum Messalla Coruinus Funambulum dixit, quem Græci* σχοινοβάτην *vocant, quem est secutus Terentius in Hecyra. Iuuenalis satyr. 3. Græce vt Cassianus retulit. Augur, schœnobates &c. & Cælius in epist ad Ciceronem lib. 8. schœnobaticam facere.* Colla. 23. cap. 9.

Scithi eremus, *hunc montem ac solitudinem Palladius, Sozomenus, Nicephorus non Scithin vocant, sed Scetin. Quin & is qui primam collationem Cassiani Græce in compendium redegit, id quod in vulgatis libris apud Cassianũ statim initio* Lib. 5. c. 40. & alibi.

legitur: Cum in eremo Scithi ubi monachorum probatissimi patres &c. in hunc modū transtulit: ὅτι τοίνυν ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς σκήτεως ὅπου ἦσ᾽ μονάχων οἱ δοκιμώτατοι πατέρες &c. Verum Cassiani ueteris libri, Palladij etiam prisca uersio, & alij, legunt Scithin, quibus fauere uidetur Ptolemæus, e cuius lib. 4. cum de Aegypto agit, hæc uerba describit: Καὶ ἐν τῇ σκυθιακῇ χώρᾳ ἡ σκυθίς. hoc est; & in Scithiaca regione urbs Scithis. & eodem lib. Τοῦ ὄ μαρεώτου τὰ μὲ ὄπ θαλάσσῃ καλεῖται ταινίας, τὰ ὄ ἔντος κατέχουσι γοιτιᾶται καὶ προσεδῖται, μεθ᾽ οὓς ἡ σκιθιακὴ χώρα, καὶ οἱ μασεῖται, τὰ ὄ μεσεμβριτωτερα νέμονται νιτζιῶται. quo loco Mareotin, Scithiacam regionem, & Nitriotas uicinos facit. & Sozomenus lib. 1. cap. 14. Lacum Mareos, Scetin, & Nitriam contermina sibi esse ait. uerba eius ne quis requirat apposui: Καὶ πρὸς μεσημβρίαν τῆς μαρείας λίμνης καταλαβὸν ἔρημον ἀμοὶ τιῶ σκήτιν καὶ τὸ καλούμενον τῆς νιτρίας ὄρος. Vtram quis orthographiam sequi maluerit, habebit auctorem, dum sine y Græca scribat Scithi.

Coll. 1. cap. 2. Σκοπὸς, scopus etiam Latine dicitur, estq. signum, ad quod tela dirigunt sagittarij, per transtationem uero, intentio siue propositum eo uerbo significatur. S. Hieronymus lib. 1. aduers. Pelagianos: Sed instar sagittarij ad propositum & ad signum iacula dirigere, quod significantius Græci σκοπὸν nominant.

Coll. 1. cap. 21. Scripulum. Sic reperi hanc uocem scripta in Vatic. lib. & quidem recte. est enim scripulum paruum pondus, nempe uicesimaquarta pars uncia. dicitur etiam scriptulum siue scribulum, a uerbo scribo ubique deriuato uocabulo, Græcorum imitatione, qui huiusmodi pondus γράμμα, idest, litteram uocant, propterea quòd, ut littera apud eos uicesimaquarta pars est alphabeti, ita gramma seu scripulum uicesimaquarta pars uncia sit.

Lib. 3. cap. 9. Sexta Sabbati. Olim hebdomadæ dies a Dominica incipiendo ita numerabantur, Prima sabbati, secunda sabbati, tertia sabbati &c. S. Hieronym. in quæstio. ad Hedibiam, quæst. 4. Vna sabbati, inquit, dies Dominica intelligenda est, quia omnis hebdomada in sabbatum, & in primam, & secundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & sextam sabbati diuiditur: quam ethnici idolorum & elementorum nominibus appellant. Sic rursus Cassianus lib. 4. cap. 19. secundam sabbati dixit.

Spe-



Spelæum Vocabulum Græcum est σπηλαῖον, iam inde a Virgilio Latinitate donatum. is enim Eclog. 10. dixit: Inter spelæa ferarum. significat autem speluncam. Vtitur eo Tertullianus lib. de Corona militis, & S. Ambr. non semel. Lib. 4. ca. 12. & Co- 17. c. 5.

Statio ieiunium significat apud Cassianum, ut apud Ambrosium etiam sermone 25. cuius hæc sunt uerba: Castra enim nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos a diabolica impugnatione defendunt. Denique stationes uocantur, quòd stantes & commorantes in eis inimicos insidiantes repellamus. In antiquissimo illo libro licet apocrypho, qui Pastoris inscribitur, Hermas eius libri auctor, sic introducit Pastorem secum loquentem. Quid tam mane huc uenisti? Respondi: Quoniam domine stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi: Ieiunium. Et dixit: Quid est istud ieiunium? Sicut solebam, inquam, sic ieiuno. hæc ille. Quidam uero ieiunium & stationem eo differre existimant, quòd ieiunium sit uoluntarij muneris, statio autem, quæ sub lege præcepti seruatur: quorum opinioni fauere uidetur S. Hieronymus, qui lib. 2. contra Iouinianum sic scribit: Iesus filius Naue stationem imperauit soli & lunæ, & inediam plusquam unius diei uictor exercitus protelauit. Saul, sicut in Regnorum 1. lib. scribitur: Maledictus inquit, qui ederit panem usque ad uesperam, donec ulciscar me de inimicis meis. Et non gustauit omnis populus eius, & tota terra prandebat. † Tantique fuit auctoritas stationis semel domino destinatæ, ut Ionathas, qui causa uictoriæ extiterat, deprehenderetur sorte, & ignorantiæ crimen declinare non posset. Et quidem ali quid interesse apparet ex Tertulliano, cuius hæc sunt uerba in lib. de Ieiunio: Arguunt nos, quòd ieiunia propria custodiamus, quòd stationes plerumque in uesperam producamus. Cassianus utrumq. coniunxit, cum Collat. 21. cap. 29. dixit: Stationem ieiunij. Tertulli. lib. de ieiun. adu. physic. † f. tãtaque Tertull. loco supra citato.

Status apud iurisconsultos dicitur personarum conditio, secũdum quam alij ingenui sunt, alij libertini, alij serui. Testimonia habes in Pandectis titul. De statu hominum, & titul. Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur. Ergo apud Cassianum status calumniam alicui commouere est, liberæ ne aliquis an seruilis sit condicionis per calumniam quæstionem mouere. Coll. 24. cap. 26.

Submissa in terram pœnitentia. Sic loquitur rursus Cassianus lib. 3. cap. 7. & quid sit declarat lib. 4. capit. 16. Lib. 2. c. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*cum ita scribit: Tamdiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum &c.*

Lib. 4. c. 15. Suppleri iracundia *dixit lib. 4. cap. 15. suppleri dolore Collat. 9. cap. 26. & Collat. 18. cap. 11. furore suppleri Collat. 16. cap. 19. caligine suppleri lib. 10. cap. 2. sed frequentius absolute pro a dæmone corripi vsurpat.*

Lib. 10. c. 7. & 14. Susceptos *vocat Cassianus ægrotos, quos medicus curandos suscepit. Sic is qui Ambrosij nomine circumfertur in cap 1. epist. 2. ad Corinth. Quis, inquit, medicorum non arguat susceptum suum negligentius se tractantem, ne cura medicinæ suæ sine effectu remaneat? S. Ambros. serm. 27. Si medicum animarum nostrarum fideliter exoremus, & præcepta eius tamquam suscepti idonei minime dispernamus. Et Tertullianus aduers. Valentinianos: Hic opinor ille susceptam confirmat, & omnibus iniurijs passionis expumicat. Dicebantur*

Coll. 6. c. 10. *etiam susceptí clientes quos patroni tuendos susceperant. Seruius Aen. 6. ad illud: Aut fraus innexa clienti: Vult, inquit, intelligi prævaricatores, qui patroni sunt clientium, quos nũc susceptos vocamus. August. epist. 59. Tunc enim antistites velut aduocati susceptos suos per manus impositionem misericordissime offeruntur potestati. Et ille qui inter Augustini opera sub eius nomine delitescit, in quæst. noui & vet. testam. quæst. 102. Numquid si male vitæ sit aduocatus, contra susceptum suum pronuntiabitur? Ambros. serm. 93. Intantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, inquantum fuerit fides deuota susceptí.*

Lib. 2. c. cap. 19. Synaxis. *Cum monachi conueniebant siue ad orandum siue ad sacrosancta mysteria celebranda, is conuentus Synaxis a verbo συνάγω, hoc est, congrego, siue colligo, dicebatur. ea vox varie ab scriptoribus ecclesiasticis Latine redditur; Collecta, conuentus, congregatio, conuenticulum, celebritas, solemnitas: & is omnibus, alijs atque alijs locis vtitur Cassianus.*

Coll. 20. cap. 2. Syncellitas *appellare videtur Cassianus eos, qui in eadem cella cohabitant. Apud Zonaram & Georgium Cedrenum vocabulum Syncellus Σύγκελλος frequenter occurrit, neque vna semper significatione.*

Lib. 7. c. 15. Syncleticus *Græce, Latine senator dicitur, συγκλητικός. Porro hic locus vitiose legebatur in omnibus quæ viderim exemplaribus. in illis enim Syncletium erat nullo sensu. nos ex Epitome Græca huius libri, quæ extat in Vatic. bibliotheca, locum in integrum restituimus. Græca verba si quis requirat,*



*quirat, hæc sunt: καὶ τὸν συγκλητικὸν ἀπόλεσας, καὶ μοναχὸν οὐκ ἐποίησας.*

Tabennensiotæ. *Tabenna insula fuit in Nilo flumine, in qua Pachomius insigne monasterium condidit, quod reliquis eius instituti caput & quasi metropolis erat, auctores sunt Palladius atque Sozomenus. ab ea monachi qui Pachomij instituta sequebantur, Tabennensiotæ appellati.* Lib. 4. c. 1

Tamenetsi. *sic est in Vatic. codic. non tametsi: quam particulam (quoniam ea Plautus, Cæsar & Cicero vtuntur, & iurisconsulti frequenter. Ambrosius etiam epist. 58. cum scribit: Quod tamenetsi cognitum tibi foret, non otiose sciscitandum putasti. Et Hilar. in lib. cont. Constant. in antiquo exemplari pag. 116.) conseruandam putauimus.* Lib. 12. c. 33.

Τέλος *Latine dicitur finis, & Græce scriptam hanc vocem reperi in omnibus mmss. libris.* Col. 1. c. 2

Teneritudo frontis *dicitur Cassiano pudor quidam subruſticus: quo impediti plerumque homines id, quod sibi vtile sperant futurum, non exequuntur. Seneca lib. 1. epist. 11. Scio esse ruborem, qui grauissimis quoque viris subitus offunditur. Magis quidem in iuuenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frons; nihilominus tamen & senes tangit; & nihil erat mollius ore Pompeij: contra vero frons dura pro impudentia ponitur. S. Hierony. aduersus Pelagianos: Vt duræ frontis, inquit, impudentia conteratur. Ferream frontem pro eodem scripsit Plinius in Panegyrico: Exanguem illam & ferream frontem nequidquam conuulnerandam punctis præbeant. vt in Eunucho Terentius, os durum pro impudente dixit. Et Seneca lib. 2. Quod in Sapientem non cadit iniuria. c. 17. Si ille hoc potuit duritia oris, qui assiduis conuicijs pudere dedidicerat. Infirmitas frontis ab eodem dicitur lib. 2. de beneficijs: Multi, inquit, sunt, quos liberales facit infirmitas frontis. Contra in lib. Quod in Sapientem non cadit iniuria. 2. c. 17. Aduersus alia maledicta mores, & vitam conuulnerantia frontis illi firmitas constitit, aduersus hoc tam absurdum lacrymæ prociderunt.* Colla. 17. cap. 2.

Thecue *viculus fuit non longe a Bethleem, Amos prophetæ patria. Verum totus hic locus mihi suspectus est: nam S. Hierony. in præfat. commentar. in Amos sic scribit: Thecue sex milibus ad meridianam plagam abest a sancta Bethleem, & vltra nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ tanta est eremi vastitudo, quæ vsque ad mare Rubrum, Persarumq.* Col. 6. c. 1

Universidad de Deusto
Biblioteca



& Æthiopum atque Indorum terminos dilatatur. Ex hoc viculo fuit Amos propheta. hæc Hieronym. Ceterum apud Cassianum vastissimam solitudinem amplissima extensione porrectam, ad mare tantum Mortuum extendi dicitur, quod a Bethleem non ita multum aberat. Itaque verisimile est quadam hic falso adiecta, & ad hunc modum legendum esse: Solitudo vastissima est, vsque Arabiam & mare Rubrum amplissima extensione porrecta Nisi enim fallor, Cassianus Hieronymum in hac parte secutus est.

Coll. 10. cap. 2. Theophili solemnes epistolæ. Extant tres epistolæ paschales Theophili huius episcopi Alexandrini, a S. Hieronymo in Latinum sermonem conuersæ.

Colla. 1. cap. 1. Theoretica vita ea dicitur, qua in contemplatione consistit, vt actualis qua in actione. Ceterum in omnibus excusis codicibus vitiose ante legebatur: Theorica virtute flagrabat. in Vatican. vero emendate legitur: Theoretica vita fragrabat. de floribus enim sermo præcesserat. Vitæ autem practicæ & theoreticæ frequens est apud philosophos mentio. Cicero ad Atticum lib. 2. Quoniam tanta, inquit, controuersia est Dicæarcho familiari tuo cum Theophrasto amico meo, vt ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον, idest, practicam vitam, longe omnibus anteponat; hic autem τὸν θεωρητικὸν, idest, theoreticam. Apud Christianos vero in Martha & Maria practicã & theoreticam vitã designari notissimũ est. Has voces Cassianus Græce scripsit, & latius explicauit Collat. 14. cap. 1.

Coll. 23. cap. 5. Theoria, θεωρία contẽplatio est, siue vt Lactãtius exponit, spectatio. sic enim scribit lib. 7. cap. 9. Cũ status sit hominis rectus originẽ suã quærit, & quasi contempta humilitate terrena ad altum nititur, quia sentit summum bonũ in summo esse quærendũ, memorq. condicionis suæ, qua Deus illum fecit eximium, ad artificẽ suũ spectat: quam spectationẽ Trismegistus θεωρίαν rectissime nominauit; q̃ in mutis animalib⁹ nulla est.

Coll. 18. cap. vlt. Theriaca, θηριακὴ, (subauditur autem, antidotus) dicitur quodcumque medicamentum aduersus venena efficax, præcipue tamen hoc nomen obtinuit celeberrimũ illud ex simplicibus pluribus & viperarum carne confectum: θηριακὴ vero appellatum est, quasi tu dicas, ex venenatis bestijs cõfectum. nam apud medicos θήρια peculiariter dicũtur bestiæ, quæ ictu aut morsu venenum infigunt, & maxime viperæ, ex quorum carnibus medicamentum illud componitur

Coll. 14. c. 4. & 16. c. 1. Thmuis. Corrupte legebatur huius vrbis nomẽ in omnibus impressis codicibus, in quibus Thimius, aut Thymus est scriptum. Meminere eius Ptolemæus, Stephanus, alijq. Geographi. Hierony. etiam in Catalogo: Phileas, inquit, de vrbe Ægypti, quæ vocatur, Thmuis. Ab hirco vero sic dictam tradit idem lib. 2. contra Iouinianum, his verbis: Vrbes quoque apud Ægyptios ex animalium vocabulis nuncupantur, Leonton, Cynon, Lycon, Busyris, Thmuis, quod interpretatur hircus. Et in Esai. cap. 46. Nam pleraque oppida apud Ægyptios ex bestijs & iumentis habent cognomina; κυνῶν a cane, λεὼν a leone, θμουις lingua Ægyptia ab hirco, λύκων a lupo.



Trapezita Latine nummularius dicitur, mẽsarius ad verbum reddi potest, nã τράπεζα mensa est, & nummularij mẽsa posita munus suum exercebãt. inde Dominus noster templum ingressus nummulariorũ mensas euertit. Horum quæstus etiã apud gentiles parum probatus fuit, quòd fœnore plerumque constaret. Ceterum erant alij trapezitæ, quorum ars erat monetam falsam a vera distinguere: hi grati populo fuere. nam de ijs ita scribit Plin. lib. 33. cap. 9. Igitur ars facta denarios probare, tam iucunda lege plebi, vt Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicauerit. Mirumq. in hac artiũ sola vitia discuntur, & falsi denarij spectatur exemplar, pluribusq. veris denarijs adulterinus emitur. Hos etiam a Domino cõmendatos & Cassianus hoc loco, & fere omnes sacri doctores referunt. S. Hierony. in epistola ad Minerium & Alexandrum: Sciat, inquit, me illud Apostoli libenter audire: Omnia probate, quod melius est tenete: & Saluatoris verba dicẽtis: Estote probabiles nummularij, vt si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur; qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur. Origenes tõ. 19. in Ioannem: Seruantibus, inquit, illud Iesu mandatum: Estote probi trapezitæ: & Pauli doctrinam, dicentis: Omnia probantes, quod melius est tenete. Clemens etiam Alexand. Stromate 1. non longe a fine sic scribit: Εἰκότως ἄρα ἡμᾶς γραφὴ τοιούτους τινὰς διαλεκτικοὺς, οὕτως δέλουσα γενέσθαι παραινεῖ: γίνεσθαι δὲ δόκιμοι τραπεζῖται, πάντα μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες. hoc est, Merito scriptura tales nos volens esse dialecticos, sic hortatur: Estote probi trapezitæ, omnia quidem probantes, quod autem bonum est tenentes. Ad id alludens S. Hierony. in epist. ad Ephes. cap. 4. Omni studio, inquit, legenda nobis scripturæ sunt, & in lege Domini meditandum Collat. 1. cap. 20.

*candum die ac nocte, vt probati trapezitæ sciamus quis nummus probus sit, quis adulter. Alludit ad id etiam S. Ambros. lib. 1. in Lucam cap. 1. & lib. 9. cap. 20. & Basilius in Esai. cap. 1. Clemens in Constitution. Apostolicis lib. 2. cap. 21. Verum, vt id obiter dixerim, ea sententia in toto testamento nouo non legitur. quare in eam opinionem discessi vt existimem eam fuisse desumptam ex Euangelio secundum Hebræos, ex quo antiquissimi auctores Ignatius, Clemens, Origenes & alij, quædam suis scriptis inseruerunt, vt testatur aliquoties S. Hieron. in Catal. script. Eccles. & ipse Hieron. in Esai. c. 40.*

Col. 8. c. 1. Trogalia, τρωγάλια Græce, bellaria, hoc est, dulciaria, & gulæ delicias esse dicũt hi, qui glossas scripserunt: sed in eremo Scithi cicer frictum monachis pro bellarijs erat, & inde ita vocabant.

Li. 2. c. 2. Typus Græce lex, siue cõstitutio est, vt in Nouellis Iustiniani 165. 166. 167. atque in quibusdã editis eius videre est: Latini formã dicũt. nam in l. decernimus. C. de sacrosanct. eccles. ita legitur: Cassatis & rescissis, quæ per huiusmodi sceleratas iussiones, aut pragmaticas sanctiones, aut cõstitutiones impias, seu formas subsecuta sunt. Accipitur etiam pro modo & via, quemadmodum accepit S. Ambrosius cum scribit epistola 78. Qua de re quoniam proprijs rexuisti litteris posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia &c.

Lib. 5. c. 30. Vua est excrescens caro intra fauces a pituita deducta, quæ frequenter præcidi solet. de ea Cornelius Celsus lib. 7. cap. 12. Vua, inquit, si cum inflammatione descendit, doloriq. est, & subrubicundi coloris, præcidi sine periculo non potest.

Lib. 4. c. 21. Xerophagia, ξηροφαγία esum rerum aridarum significat. Vtitur hac voce nõ semel Tertullianus, & quid sit initio libri de Ieiunio exponit his verbis: Arguunt nos quòd xerophagias obseruemus, siccantes cibũ ab omni carne & omni iurulẽtia & vuidioribꝰ quibusq. pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus; lauacri quoque abstinentiã cõuenientẽ arido victui. hæc ille. Verum hæ tã scrupulosæ obseruatæ xerophagiæ Montanistarum fortasse fuerunt, pro quorũ defensione librũ illum Tertull. scripsit. Fuere tamẽ xerophagiæ catholicis vsitatæ, de quibus in Laodicensi Concilio dicitur canone 50. δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας, hoc est, oportet totam quadragesimam ieiunare, xerophagijs vtentes.

FINIS ANNOTATIONVM.

CAS-



# CASSIANVS TESTIMONIA

sacræ scripturæ fere omnia ex vulgata editione adducit: quam meliorem esse interpretationem, & ad veritatem Hebraicam expressam affirmat. Verum quoniam Lxx. interpretes, qui in omnium tunc manibus versabantur, imbiberat; fit vt loca quædam (sed præcipue ex prouerbijs, quæ fortasse iam olim in eius memoria insederant) secundum eorum interpretationem citet. Ea nos, maiori ex parte ab alijs non animaduersa, aut negligentius castigata, & siqua alia a vulgata nostra editione aliquantulum discrepabant, in indicis formam redegimus, atque his Græca vnde desumpta sunt, ex vetustissimo Vaticanæ bibliothecæ libro, & alijs correctioribus adiunximus.

## Ex Genesi.

*Cap. 1. Et ecce omnia quæ fecit Deus bona valde.)* καὶ ἰδοὺ καλὰ λίαν. — Coll. 23. cap. 3.

*4 Nonne si recte offeras, recte autẽ non diuidas, peccasti?)* οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; — Colla. 21. cap. 22.

*8 Humanum genus diligenter intẽtum est ad nequitiam a iuuentute sua.)* ἐγγέγραται ἡ διάνοια τοῦ ἀνθρώπου ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ ἐκ νεότητος αὐτοῦ. — Coll. 23. cap. 1.

## Ex Exodo.

*Cap. 5. Opprimantur laboribus, & soliciti sint in operibus suis, & non sint soliciti in verbis vanis.)* Βαρυνέσθω τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων, τούτων, καὶ μεριμνάτωσαν ταῦτα, καὶ μὴ μεριμνάτωσαν ἐν λόγοις κενοῖς. — Coll. 21. cap. 28.

## Ex Leuitico.

*Cap. 7. Omnis mundus manducabit carnes. Et anima quæcumque comederit de carnibus sacrificij salutaris, quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino.)* Sic citat rursus hunc locum Collat. 22. cap. 5. Sed videtur legendum: *In quo est immunditia, vt ad homi-* — Lib. 6. ca. 8. & Colla. 12. c. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*hominem potius, quem sub nomine animæ voluit intelligi, quàm ad animam, referatur: nam Græce est:* καὶ ἡ ἀκαθαρσία αὐτοῦ ἐπ' αὐτῷ. *atque ita legitur apud Cyprianum & alios.*

Ex Deuteronomio.

Lib. 7. c. 15. *Cap. 20. Si quis est homo formidolosus et corde pauido, nõ egrediatur ad bellum: vadat & reuertatur. Verba illa: Non egrediatur ad bellum: neque in vulgata editione, neque apud LXX. leguntur; sed quia erant in omnib. mmss. codicib. & epitome Græca huius libri, ea retinuimus.*

Coll. 7. cap. 18. *32 Inimici nostri insensati.)* οἱ δὲ ἐχθροὶ ἡμῶν ἀνόητοι. *vulgata editio: Et inimici nostri sunt iudices. In vulgatis libris hoc testimonium coniunctum erat superiori quod citatur ex prouerbijs.*

Col. 9. c. 4 *Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, & sarmentum eorum ex Gomorrha, vua eorum, vua fellis, botrus amaritudinis in ipsis.)* ἐκ γὰρ ἀμπέλου σοδόμων ἡ ἄμπελος αὐτῶν, καὶ ἡ κληματὶς αὐτῶν ἐκ γομόρρας. ἡ σταφυλὴ αὐτῶν σταφυλὴ χολῆς, βότρυς πικρίας αὐτοῖς.

Ex 1. Regum.

Coll. 3. c. 15. *Cap. 2. Non est in fortitudine potens vir.)* ὅτι οὐκ ἐν ἰσχύϊ δυνατὸς ἀνήρ.

Ex 3. Regum.

Coll. 7. cap. 13. *Cap. 8. Quia tu nosti corda filiorum hominum.) Hic locus Iob tribuebatur in omnibus impressis libris, cum legi debeat: Salomon quoque: Quia tu nosti &c. Sunt enim Salomonis verba ad Deum 3. Reg. 8. atque inde illa citat nominatim S. Hieronym. in cap. 10. Ezechielis.*

Ex 2. Paralipomenon.

Lib. 12. cap. 21. *Cap. 24. Vniuersam prædam miserunt regi Darmascum.) Sic legitur in vno Vatic. cod. & vulg. edit. In Hebræo etiam est Darmasec. in vulgatis Cassiani libris Damascum legebatur.*

Lib. 11. c. 11. *26 Et egressum est nomen Oziæ procul, eo quòd auxiliaretur eum Dominus &c.) Vitiose in omnibus impressis codicib. legebatur antea: Nomen Oziæ propter quod auxiliaretu*



*liaretur eum dominus. nos ex mmss. & vulg. edit. locum restituimus.*

Ex Iob.

Cap. 1. *Numquid gratis Iob colit Deum?)* μὴ δωρεὰν ἰὼβ σέβεται τὸν θεόν; Col. 4. c. 6

3 *Mors viro requies, cuius vita abscondita est.)* *Sic legit etiam hunc locum S. Augustinus in annotationibus ad Iob: Mors, inquit, viro requies, cuius vita abscõdita est, vel quia coram Deo, vel quia paucis nota. De ea vero morte accipiendum, per quam morimur mundo. hæc Aug. In Græcis vero codicib. etiam antiquiss. tantum est:* θάνατος ἀνδρὶ ἀνάπαυμα: *idest, Mors viro requies. In vulgatis antea legebatur: Mors viro Iusto requies. sed vox iusto, addititia est. In Vaticanis vero catenis, & vno V. C. additur,* οὗ ἡ ὁδὸς ἀπεκρύβη. *Itaque apud Aug. legendum cuius via abscondita est.* Col. 6. c. 6

5 *Ipse dolere facit, & rursùs medetur; percutit, & manus eius sanant.* Coll. 2. cap. 13.

10 *Nonne sicut lac mulsisti me, & coagulasti me vt caseum? ossibus & neruis inseruisti me.) Pro. Inseruisti me, Græce est,* με ἐνείρας, *hoc est me insuisti.* Coll. 8. cap. 15.

15 *Si in sanctis suis non confidit, & in angelis suis reperit prauitatem.) In omnibus Græcis libris hic locus sic legitur:* εἰ κατ' ἀγίων οὐ πιστεύει, οὐρανὸς οὐ καθαρὸς ἐναντίον αὐτοῦ. *Similiter S. Augustinus in annot. in Iob: Si in sanctis eius nõ est fidens, & calum non est mundum ante eum. Verum Iob. cap. 4. est:* εἰ κατὰ παίδων αὐτοῦ οὐ πιστεύει, κατὰ δὲ ἀγγέλων αὐτοῦ σκολιόν τι ἐπεγόησε. *Hiero. epist. 145. Et contra angelos suos peruersum quid intellexit. & epist. 46. peruersum quid excogitauit. & Aug. legit: Si contra seruos suos nõ credit, & aduersus angelos prauum quid reperit. vulg. vero editio: Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Confuderit hæc duo loca Cassianus, an ita vt scripsit apud Iob legerit, incertum est.* Col. 23. cap. 8.

38 *Quando facta sunt simul sidera, laudauerũt me voce magna omnes angeli mei.)* ὅταν ἐγενήθησαν ἄστρα ἤνεσαν με φωνῇ μεγάλῃ πάντες ἄγγελοί μου. Col. 3 c. 7

39 *Quis autem est qui dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis resoluit? Posui autem habitaculum eius deser-* Coll. 18 cap. .

*deſertũ,& tabernacula eius ſalſuginem. Irridens mul titudinem ciuitatis, & querelam exactoris non audiens. Conſiderauit montes paſcuæ ſuæ, & poſt omne viride quærit.)* τίς δὲ ἐστιν ὁ ἀφεὶς ὄνον ἄγριον ἐλεύθερον, δεσμοὺς ὃ αὐτοῦ τίς ἔλυσεν. ἐθεμην δὲ τὴν διαταν αὐτοῦ ἔρημον, καὶ τὰ σκηνώματα αὐτοῦ ἀλμυρίδα. κατα γελῶν πολυοχλίας πόλεως, μέμψιν δ' φορολογου οὐκ ἀκούων. κατασκέψεται ὄρη νομὴν αὐτοῦ, καὶ οπίσω παντὸς χλωροῦ ζητεῖ. *In vulgatis libris legebatur: Poſuit autem habitaculum.*

Collat.6 cap.11. 40 *An putas me tibi aliter locutum, quàm vt appareres iuſtus?)* οἴει δέ με μὴ ἄλλως σοὶ κεκρηματικέναι, ἢ ἵνα ἀναφανῆς δίκαιος;

Col.5.c.4 *Ecce virtus eius in lumbis.)Sic legitur in vetuſto cod. atque ita citat hunc locum S.Ambr.in expoſi.Pſal.37. nam Græce eſt:* ἰδοὺ δὴ ἡ αὐτοῦ ἰσχὺς ἐπ' ὀσφύϊ. *antea erat:Et virtus eius &c.*

## Ex pſalmis.

Lib.12. cap.17. 117 *Impulſus verſatus ſum vt caderem &c.) Hic verſus & reliqua huius Pſalmi, quæ Caſſianus aliter citat quàm nunc leguntur in vulgat. edit. eodem modo ſunt apud S.Auguſt.& Caſſiodorum.*

Coll.13. cap.14. 118 *Ne me derelinquas vſquequaque, quod Græce dicitur,* ἕως σφόδρα, *ideſt, vſque ad nimietatem)Sic legitur hic locus in Vatic. cod. in excuſis vero vitioſe erat: Quod Græce dicitur,* μέχρι πρὸς ἀγαντεῖον. *Latinus enim Interpres vbi in Pſalmis eſt,* ἕως σφόδρα, *conſtanter trãſfert,vſquequaque.*

Lib.12. cap.9. 126 *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilauit qui cuſtodit eam.)Sic legitur hic locus in Vatic.codic.& ita eum citat S.Hieronym.aliquoties. Eſt enim Græce,* εἰς μάτην ἠγρύπνησεν ὁ φυλάσσων.

## Ex Prouerbijs.

Coll.24. cap.24. *Cap.2. Nam ſi ambularent ſemitas rectas, inueniſſent vtique ſemitas iuſtitiæ leues.)* εἰ γὰρ ἐπορεύοντο τρίβους ἀγαθὰς, εὕροσαν ἂν τρίβους δικαιοσυνης λείας. *Sed Caſſianus pro* τρίβους ἀγαθὰς, *ideſt, vias bonas, legiſſe videtur* τρίβους ὀρθὰς, *ſiue* εὐθείας, *ideſt, vias rectas. In quibuſdam impreſſis libris vitioſe ſatis legebatur: Inueniſſent vtique ſemitas iuſtitiæ? Leues nos, inquam, eſſe manifeſtum eſt.Hiero.in epiſt.ad Celantiam:Inuenietur,ſicut ſcriptura dicit, ſemita iuſtitiæ leuis.*



3 *Honora Dominum de tuis iuſtis laboribus, & deliba ei de fructibus iuſtitiæ tuæ, vt impleantur horrea tua abundantia tritici,vino autem torcularia tua redundent.)* τίμα τὸν κύριον ἀπὸ σῶν δικαίων πόνων, καὶ ἀπάρχου αὐτῷ ἀπὸ σῶν καρπῶν δικαιοσύνης, ἵνα πίμπληται τὰ ταμεῖα σου πλησμονῆ σίτου, οἴνῳ δ' αἱ λῳοί σου ἐκκλύζωσιν. Coll.21. c.2.& 22.

4 *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, ex his enim ſunt exitus vitæ.)* πάσῃ φυλακῇ τήρει σὴν καρδίαν, ἐκ γὰρ τούτων ἔξοδοί ζωῆς. Lib.6.c.2

*Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige.)* ὀρθὰς τροχείας ποιεῖ σοῖς ποσὶ, καὶ τὰς ὁδούς σου κατεύθυνε. Coll.13.

9 *Sed exili, noli demorari in loco eius, neque intendas oculum tuum in eam.)* ἀλλὰ ἐποπήδησον, μὴ χρονίσῃς ἐν τῷ τόπῳ αὐτῆς, μὴ δ' ὀπτεύσῃς τὸ σὸν ὄμμα πρὸς αὐτήν. Coll.20. cap.9.

10 *Odium ſuſcitat contentio, vniuerſos vero qui non contendunt proteget amicitia.)* μῖσος ἐγείρει νεῖκος, πάντας δ' τοὺς μὴ φιλονεικοῦντας καλύπτει φιλία. *in vulgatis erat, protegit.* Coll.16. cap.8.

11 *Quibus non eſt gubernatio, cadunt vt folia.)* οἷς μὴ ὑπάρχει κυβέρνησις πίπτουσιν ὥσπερ φύλλα. Coll.2. cap.4.

*Malignus nocet cum ſe commiſcuerit iuſto: odit autẽ ſonum tutelæ.)* πονηρὸς κακοποιεῖ ὅταν συμμίξῃ δικαίῳ: μισεῖ δ' ἠχον ἀσφαλείας. Coll.1. cap.20.

*Sicut inauris aurea in naribus ſuis, ita mulieri male morata ſpecies.)* ὥσπερ ἐνώτιον χρυσοῦν ἐν μυὶ χοὸς, οὕτω γυναικὶ κακόφρονι κάλλος. Coll.15. cap.15.

*Vir iracundus inhoneſtus eſt.)* ἀνὴρ θυμώδης οὐκ ἀχίμων. Lib.8.c.1.

12 *Melior eſt uir in ignobilitate ſeruiens ſibi, quàm qui dignitatem ſibi acquirit, & indiget pane.)* κρείσσων ἀνὴρ ἐν ἀτιμείᾳ δουλεύων ἑαυτῷ, ἢ τιμῶν ἑαυτὸν ἀστεθεὶς, καὶ προσδεόμενος ἄρτου. Coll.24. cap.13.

*Iuſtus miſeretur animas pecorum ſuorum, viſcera autem impiorum ſine miſericordia.)* δίκαιος οἰκτείρει ψυχὰς κτηνῶν αὐτοῦ, τὰ δ' σπλάγχνα τῶν ἀσεβῶν ἀνελεήμονα. Coll.11. cap.10.

*Stultus*

Coll. 16. cap. 27. *Stultus eadem ipsa hora pronuntiat iram suam, occultat autem ignominiam suam astutus.)* ἄφρων αὐθημερὸν ἐξαγγέλλει ὀργὴν αὐτοῦ, κρύπτει δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀτιμίαν πανοῦργος.

Lib. 8. ca. 14. *Itinera eorũ, qui memoriam retinent malefacti, in mortem.)* ὁδοὶ μνησικάκων, εἰς θάνατον.

Coll. 24. cap. 2. & lib. 10. c. 21. *In desiderijs est omnis otiosus.)* ἐν ἐπιθυμίαις ὅλη πᾶς ἀεργός. *Sunt qui se diuites ferunt nihil habentes; & sunt qui se humiliant in multis diuitijs.)* εἰσὶν οἱ πλουτίζοντες ἑαυτοὺς μηδὲν ἔχοντες, καὶ εἰσὶν οἱ ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς ἐν πολλῷ πλούτῳ.

Coll. 11. cap. 10. *Rex rigidus incurret in mala.)* βασιλεὺς θρασὺς πεσεῖται εἰς κακά. *Vatic. & Venet.* ἐμπεσεῖται.

Coll. 7. cap. 18. 14 *Quares sapientiam apud malos, & non inuenies.)* ζητήσεις σοφίαν παρὰ κακοῖς, καὶ οὐκ εὑρήσεις. *in excusis legebatur: Quare sapientiam.*

Coll. 6. cap. 9. *Omnia aduersa uiro insipienti.)* πάντα ἐναντία ἀνδρὶ ἄφρονι.

Li. 8. c. 1. *Vir iracundus agit sine consilio.)* ὀξύθυμος πράσσει μετὰ ἀβουλίας.

Coll. 7. c. 6. & coll. 24. c. vlt. & col. 14. c. 17. *In omni solicito inest amplius; at qui suauis & sine dolore est, in egestate erit.)* ἐν παντὶ μεριμνόντι ἔνεστι περισσὸν, ὁ δὲ ἡδὺς καὶ ἀνάλυπτος ἐν ἐνδείᾳ ἔσται. *In quibusdam impressis uitiose legebatur: Nam qui sanus & sine dolore est.*

Coll. 16. ca. 27. & Colla. 18. cap. 13. *Longanimis uir nimius in prudentia, pusillanimis autem ualde insipiens est.)* μακροθυμος ἀνὴρ πολὺς ἐν φρονήσει, ὁ δὲ ὀλιγόψυχος ἰσχυρῶς ἄφρων. *Mansuetus uir cordis est medicus.)* πραύθυμος ἀνὴρ καρδίας ἰατρός.

Coll. 12. cap. 6. 15 *Ira perdit etiam prudentes.)* ὀργὴ ἀπόλυσι καὶ φρονίμους.

Lib. 8. c. 1 *Vir animosus parat rixas, uir autem iracundus effodit peccata.)* In epist. Firmiliani ad S. Cyprianum hic Prouerb. locus sic legitur: Vir animosus parit lites. sed legendum apud eum, Parat lites, ipse testatur cum sub lit: Lites enim & dissensiones quãtas parasti per ecclesias totius mundi? Parat etiam legit S. Hieronym. in Apologia contra Russinum. Ceterum Cassianus hoc testimonium ex duobus Prouerbiorum locis constasse uidetur.



*nam cum cap. 15. legatur:* ἀνὴρ θυμώδης παροξύνει μάχας. *& cap. 29.* ἀνὴρ θυμώδης ἐγείρει νεῖκος, ἀνὴρ δὲ ὀργίλος ἐξώρυξεν ἁμαρτίας, *primam partẽ ex 15. secundam ex 29. accepit. Vulgati libri uitiose habent: Parit rixas.*

Coll. 24. cap. 24. Lib. 10. *Via nihil operantium strata sunt spinis, fortium uero trita sunt.)* ὁδοὶ ἀεργῶν ἐστρωμέναι ἀκάνθαις, αἱ δὲ τῶν ἀνδρείων τετριμμέναι.

16 cap. 21. Coll. 14. *Timor Domini disciplina & sapientia est.)* φόβος κυρίου παιδεία καὶ σοφία.

cap. 16. Li. 12. c. 6 *Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suũ.)* ἀκάθαρτος παρὰ θεῷ πᾶς ὑψηλοκάρδιος.

Coll. 6. cap. 17. *Ante contritionem praecedit iniuria, & ante ruinam mala cogitatio.)* πρὸ συντριβῆς προηγεῖται ὕβρις, πρὸ δὲ πτώματος κακοφροσύνη. *Vitiose in quibusdam impressis legitur, Praecedit ruina, aut, praecedit incuria. nam eodem modo quo est apud Cassianum citat Hieronym. in Apolo. cont. Russinum.*

Coll. 1. cap. 20. *Sunt uiae quae uidentur rectae esse uiro, nouissima autẽ eorum ueniunt in profundum inferni. Duo Prouerbiorum loca coniunxit Cassianus, alterum cap: 16. in quo est: εἰσὶν ὁδοὶ δοκοῦσαι ὀρθαὶ εἶναι ἀνδρὶ, τὰ μὴν τοι τελευταῖα αὐτῶν βλέπει εἰς πυθμένα ᾅδου. quem ita citat S. Hieron. in Esai. cap. 2. & aduers. Pelagian. lib. 2. Nouissima autem earum respiciunt in profundum inferni: alterum cap. 14. in quo est: τὰ δὲ τελευταῖα αὐτοῦ ἔρχεται εἰς πυθμένα ᾅδου. quem Cyprianus ita citat: Nouissima uero eius ueniunt in profundum inferni, ut etiam S. Hieron. lib. 1. aduersus Pelagianos. Excusa exemplaria Cassiani uitiose legebant: uenient.*

Coll. 7. c. 6. & coll. 12. cap. 5. & col. 24. c. vlt. Coll. 12. cap. 6. & Colla. 18. cap. 13. *Vir in laboribus laborat sibi, & uim facit perditioni suae.)* ἀνὴρ ἐν πόνοις πονεῖ ἑαυτῷ, καὶ ἐκβιάζεται αὐτοῦ τὴν ἀπώλειαν. *Melior uir patiens forte, & qui continet iram, capiente urbem.)* Hic locus in Vaticano codice uetustissimo sic legitur ut est apud Cassianum: κρείσσων ἀνὴρ μακρόθυμος ἰσχυροῦ, ὁ δὲ κρατῶν ὀργῆς κρείσσων καταλαμβανομένου πόλιν. *Quare fortasse legendum: At qui continet iram &c.*

Collat. 7. cap. 25. 17 *Sicut probatur argentum & aurum in camino, ita elegit corda Dominus.)* ὥσπερ δοκιμάζεται ἐν καμίνῳ ἄργυρον

γυρος καὶ χρυσὸς, οὕτως ἐκλεκταὶ καρδίαι παρὰ κυρίῳ. Quamuis posterior pars huius testimonij non nihil discrepet, sonat enim: Ita electa corda apud Dominum. Venetus tamen codex legit, ἐκλέγεσαι καρδίας ὁ κύριος.

Coll. 24. cap. 6. — Fidelis viri totus mundus diuitiarũ.) τοῦ πιστοῦ ὅλος ὁ κόσμος πᾶν χρημάτων.

Coll. 14. cap. 16. Colla. 4. cap. 9. — Vt quid fuerunt diuitiæ insipienti?) ἵνα τί ὑπῆρξε χρήματα ἄφρονι;

Insipienti interroganti sapientiam, sapientia reputabitur.) Mancus antea erat hic locus in omnibus Cassiani libris, in quibus magno consensu ita erat scriptum: Insipienti interroganti sapientia reputabitur. cum tamen quid legerit apud Salomonem, manifeste ipse declaret, subdens: Quia licet is qui interrogat, vim propositæ quæstionis ignoret, tamẽ quia prudenter inquirit &c. Nos veram lectionem reposuimus ex lxx. interpretibus, qui ita hunc locum verterunt: ἀνοήτῳ ἐπερωτήσαντι σοφίαν, σοφία λογισθήσεται. ita etiam citatur à Iustino in epist. ad Zenam, & Serenum. Verum vitiosius adhuc legitur apud S. Hilarium in exposit. Psalm. 118. littera H E. In Prouerbijs, inquit, Salomonis scriptum inuenimus: Ignorando sapientiam sapienter interrogãtibus sapientia deputatur; cũ in perantiquo libro eruditissimi Cardinalis Sirleti appareat scriptũ fuisse: Inintelligenti sapientiam interroganti sapientia deputatur.

Coll. 14. cap. 17. 18 Non opus est sapientia ubi deest sensus, magis autem ducitur insipientia.) οὐ χρεία ἐστὶ σοφίας ἐνθεὶς φρενῶν, μᾶλλον γὰρ ἄγεται ἀφροσύνη. In vulgatis libris vitiose legebatur: Magis autem dicitur insipientia. Et nescio an Cassianus scripserit: Cui deest sensus.

Coll. 18. cap. 11. Coll 12. c. 8. & coll. 24. c. 25. — Iustus accusator sui est in primordio sermonis.) δίκαιος ἑαυτοῦ κατήγορος ἐν πρωτολογίᾳ.

Coll. 7. cap. 4. — Insipientia viri corrumpit vias eius. Deum autẽ causatur in corde suo.) ἀφροσύνη ἀνδρὸς λυμαίνεται τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ, τὸν δὲ θεὸν αἰτιᾶται τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ.

19 Cogitatio bona scientibus eam appropinquat, vir autẽ prudens inueniet eam.) ἔννοια ἀγαθὴ τοῖς εἰδόσι αὐτὴν ἐγγιεῖ, ἀνὴρ δὲ φρόνιμος εὑρήσει αὐτήν.

Coll. 23. cap. 9 — Qui incendit malitiam, peribit ab ea.) ὃς δ' ἂν ἐκκαύσῃ κακίαν ἀπολεῖται ὑπ' αὐτῆς. vt legendum fortasse sit: Qui incenderit malitiam.

Non



Non expediũt stulto delicia.) οὐ συμφέρει ἄφρονι τρυφή· Col. 14.

20 Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis fiduciã habebit castum se esse a peccato?) τίς καυχήσεται ἁγνὴν ἔχειν τὴν καρδίαν; ἢ τίς παρρησιάσεται καθαρὸς εἶ) ἀπὸ ἁμαρτιῶν; cap. 17. Coll. 23. cap. 17.

Pondus magnum & pusillũ, & mensuræ duplices, immunda sunt apud Dominũ vtraque; & qui facit ea, in adinuentionibus suis cõpedietur.) σάθμιον μέγα καὶ μικρον, καὶ μέτρα διττὰ, ἀκάθαρτα ἐνώπιον κυρίου (Vat. cod. καὶ) ἀμφότερα, καὶ ὁ ποιῶν αὐτὰ ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν αὐτοῦ συμποδισθήσεται. ita legitur in Vat. Cod. Coll. 21. cap. 22.

Noli diligere detrahere, ne eradiceris.) μὴ ἀγάπα καταλαλεῖν, ἵνα μὴ ἐξαρθῇς. & eradiceris legit etiã Hieronymus in Apologia contra Ruffinũ. & in epist. ad Celantiam. Sed Cyprianus: Ne extollaris. Li. 5. c. 22 & Coll. 5. cap. 15.

21 Qui obturat aures suas ne audiat infirmum, & ipse inuocabit, & non erit qui exaudiat eum.) ὃς φράσει τὰ ὦτα αὐτοῦ τοῦ μὴ ἀκοῦσαι ἀσθενοῦς, καὶ αὐτὸς ὀπισθαλέσεται, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἐπακούων. Coll. 11. cap. 10.

Non est sapientia, non est fortitudo, non est consilium apud impios.) οὐκ ἔστι σοφία, οὐκ ἔστι ἀνδρεία, οὐκ ἔστι βουλὴ παρὸς τὸν ἀσεβῆ. Coll. 7. cap. 18.

Equus paratur in diem belli, a Domino autẽ est adiutorium.) ἵππος ἑτοιμάζεται εἰς ἡμέραν πολέμου, παρὰ δὲ κυρίου ἡ βοήθεια. Colla. 3. cap. 5.

22 Tribuli & laquei in vijs prauis, qui autem timet Dominum, abstinebit ab eis.) σκόλοπες καὶ παγίδες ἐν ὁδοῖς σκολιαῖς, ὁ δὲ φυλάσσων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, ἀφέξεται αὐτῶν, hoc est: Qui autem custodit animam suam, abstinebit ab eis. Cassianus aliter legisse videtur. Coll. 24. cap. 24.

Tu autẽ describe tibi ea tripliciter, super latitudinem cordis tui.) σὺ δὲ ἀπόγραψαι αὐτὰ ἑαυτῷ τρισσῶς εἰς βουλὴν, καὶ γνῶσιν, ὅπως τὸ πλάτος τῆς ψυχῆς σου. Coll. 14. cap. 8.

23 Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi, & immitte manum tuam, sciens quia talia te oportet præparare.) Græca omnino concordant. Col. 2. c. 1

In aures imprudentis noli quidquam dicere, ne forte irrideat sapientes sermones tuos.) εἰς ὦτα ἄφρονος μὴν λέγε, μήποτε μυκτηρίσῃ τοὺς σοφοὺς λόγους σου. Coll. 14. cap. 17.

Et vestietur conscissa veste & pãnosa omnis somniculosus.) Li. 10. c. 21

*losus.*) καὶ ἐνδύσεται διερρηγμένα καὶ ῥακώδη πᾶς ὑπνώδης.

Col.20.c.9.& coll.23.c.7. *Oculi tui cum viderint alienam, os tuũ tunc loquetur praua, & iacebis tamquã in corde maris, & sicut gubernator in magna tempestate: dices autem: Ferierunt me, sed non dolui; & deluerunt me, ego autem nescini.*) οἱ ὀφθαλμοί σου ὅταν ἴδωσιν ἀλλοτρίαν, τὸ στόμα σου τότε λαλήσει σκολιά, καὶ κατακείσῃ ὥσπερ ἐν καρδίᾳ θαλάσσης, καὶ ὥσπερ κυβερνήτης ἐν πολλῷ κλύδωνι. ἐρεῖς δὲ, † ἐτύπτον με, καὶ οὐκ ἐπόνεσα, καὶ ἐνέπαιξάν μοι, ἐγὼ δ' οὐκ ἤδον.

†Va.cod. τύπτουσί με. Etipse Call. col. 23.c.7.in vulg. lib. feriunt. Colla.2. cap.4. Coll.2. cap.13. †Va.cod. ἐμπίπλανται. Coll.14. cap.17. †Va.cod. νομὼ.

24 *Cum sapientia ædificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur, cum sensu implentur cellaria omnibus diuitijs pretiosis & bonis.*) μετὰ σοφίας οἰκοδομεῖται οἶκος, καὶ μετὰ συνέσεως ἀνορθοῦται, μετὰ αἰδήσεως † ἐμπίπλανται ταμεῖα ἐκπαντὸς πλούτου τιμίου καὶ καλοῦ.

*Eruere eos qui dicũtur ad mortem, & redimere eos qui interficiuntur ne parcas.*) ῥῦσαι ἀγομένους εἰς θάνατον, καὶ ἐκκρίου κτεινομένους μὴ φείσῃ. *fortasse Cassianus scripsit: Eruc eos qui ducuntur ad mortem, vt Collat.17.cap.19.legitur etiam in vulgatis libris.*

*Noli applicare impium ad pascua iusti; neque seducaris saturitate ventris.*) μὴ προσαγάγῃς ἀσεβῆ † νομῇ δικαίου, μηδὲ ἀπατηθῇς χορτασίᾳ κοιλίας. *Ita quidem habent Vulgati & mmss. libri Graci: & totidem verbis hoc testimonium refert Lucifer Caralitanus lib. de non conueniendo cum hæreticis. Sed Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 95. non videtur legisse νομὼ, hoc est pascua, sed μονὴν hoc est habitaculum siue tabernaculum. Sic enim scribit: Ne adduxeris impium in habitaculum iustorum. Et S. Hieronym. in Micheam cap. 3. Ne inducas impium in tabernaculum iustorum. Sed vox Hebræa ambigua est ad vtrumque.*

Coll.5. cap.15. *Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari; in supplantatione autem eius noli extolli, ne videat Dominus & non placeat ei, & auertat iram suam ab eo.*

Coll. 16. c.27. 25 *Noli procurrere in rixam cito, ne paniteat te in nouissimo.*) μὴ προπέσῃς εἰς μάχην ταχέως, ἵνα μὴ μεταμεληθῇς ἐπ' ἐσχάτῳ.

Coll. 15. cap.7. *Sicut venti & nubes & pluuiæ manifestissimæ sunt, ita*



*ita qui gloriantur in dato falso.*) ὥσπερ ἄνεμοι καὶ νέφη καὶ ὑετοὶ ὀπιφανέσατοι, οὕτως οἱ καυχώμενοι ὅτι δόσει ψεύδεῖ.

Coll. 12. cap.6. *In longanimitate prosperitas regibus.*) ἐν μακροθυμίᾳ ἀοδία βασιλεῦσι.

Co.2.c.4. *Sicut ciuitas muris diruta & non circumdata, sic est vir qui non cum consilio aliquid agit.*) ὥσπερ πόλις τετειχη καταβεβλημένη καὶ ἀτείχος, οὕτως ἀνὴρ ὃς οὐ μετὰ βουλῆς τί πράσσει.

Coll.17. cap.2. 26 *Est pudor afferens peccatum.*) ἔστιν αἰσχύνη ἐπάγουσα ἁμαρτίαν.

Coll.16. cap.18. *Verba callidorum mollia, hæc autem feriunt in penetralia ventris.*) λόγοι κερκόπων μαλακοί, οὗτοι δὲ τύπτουσιν εἰς ταμεῖα. *Sed Venet. Cod. κοιλίας.*

Collat. 5. cap. 25. *Si te rogauerit inimicus magna voce, ne consenseris ei. septem enim nequitiæ sunt in anima eius.*) ἐὰν σου δέηται ὁ ἐχθρὸς μεγάλῃ τῇ φωνῇ, μὴ πειθῆς· ἑπτὰ γὰρ εἰσι πονηρίαι ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ

Coll.16. cap.18. *Quid fodit foueam proximo suo, incidet in eam ipse.*) ὁ ὀρύσσων βόθρον τῷ πλησίον, *Vat. Codic.* ἐμπεσεῖται. & *Venet.* εἰς αὐτόν.

Colla.18. cap. vlt. 27 *Nihil sustinet zelus.*) οὐδὲν ὑφίσταται ζῆλος. *S. Hieron. legit: Zelus impatiens est.*

Coll.14. cap. 13. Col. 12. cap.5. *Anima quæ in satietate est, fauis illudit; animæ autẽ egenti etiam amara dulcia videntur.*) ψυχῇ ἐν πλησμονῇ οὖσα κηρίοις ἐμπέζει, ψυχῇ δ' ἐν ἐνδείᾳ καὶ τὰ πικρὰ γλυκέα φαίνεται.

Col.6. cap. 17. *Stillicidia eijciunt hominem in die hiemali de domo sua.*) σαγόνες ἐκβάλλουσιν ἄνθρωπον ἐν ἡμέρᾳ χειμερινῇ ἐκ τοῦ οἴκου αὐτοῦ.

Coll. 16. cap.18. 29 *Qui præparat ante faciem amici sui rete, circumdat illud pedibus suis.*) ὃς παρασκεύάζεται ὅπι πρόσωπον τοῦ ἑαυτοῦ φίλου δίκτυον, περιβάλλει αὐτὸ τοῖς ἑαυτοῦ ποσίν.

Coll. 16. cap.27. *Totam iram suam profert stultus, sapiens autem dispensat per partes.*) ὅλον τὸν θυμὸν αὐτοῦ, † ἐκφαίνει ἄφρων, σοφὸς δὲ ταμιεύεται κατὰ μέρος. *In vulgatis libris Cassiani legebatur: Totam iram suam profert impius. Hieronymus. Totam iram suam profert insipiens, sapiens autem &c.*

†Co.Vesnet. ἐκφέρει. & Va.

Colla.14 cap.17 *Seruus durus non emẽdabitur verbis, si enim & intel-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



lexerit, non obediet.) λόγοις οὐ παιδεύσεται οἰκέτης σκληρὸς, ἐὰν γὰρ καὶ νοήσῃ, ἀλλ' οὐχ ὑπακούσεται.

Coll. 14. cap. 9. *Si videris virum velocem in verbis, scito quia spem habet magis insipiēs quàm ille.)* ἐὰν ἴδῃς ἄνδρα ταχὺν ἐν λόγοις, γίνωσκε ὅτι ἐλπίδα ἔχει μᾶλλον ὁ ἄφρων αὐτοῦ.

Coll. 10. cap. 10. 30 *Et erinacij gens inualida, qui fecerunt in petris domos suas.)* καὶ οἱ χοιρογρύλλιοι ἔθνος οὐκ ἰσχυρὸν, οἱ ἐποίησαντο ἐν πέτραις τοὺς αὐτῶν οἴκους.

Col. 2. c. 4 *Cum consilio omnia fac, cum consilio vinum bibe.)* μετὰ βουλῆς πάντα ποίει, μετὰ βουλῆς οἶνον πότει.

Coll. 14. cap. 17. *Date ebrietatem his, qui in tristitia sunt, & vinum bibere his, qui in doloribus sunt, vt obliuiscantur paupertatis, & dolorum suorum nō meminerint amplius.)* δότε μέθυ τοῖς ἐν λυπαῖς, καὶ οἶνον πίνειν τοῖς ἐν ὀδυναῖς, ἵνα ἐπιλάθωνται τῆς πενίας, καὶ τῶν πόνων μὴ μνησθῶσιν ἔτι.

Coll. 14. cap. 8. *Omnes enim qui apud eam sunt vestiti sunt dupliciter.) Variat aliquantulum à Græcis codicibus, in quibus nunc ita legitur: πάντες γὰρ οἱ παρ' αὐτῇ ἐνδιδύσκονται. διπλᾶς χλαίνας ἐποίησε τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. hoc est: Omnes qui apud eam sunt, vestiti sunt. duplices vestes fecit viro suo. Sed in vetustissimo libro hic locus sic scribitur: παντες οι παρ' αὐτῇ ἐνδεδυμενοι εἰσὶ διπλᾶς στόλας καὶ χλαίνας, &c. quam lectionem Cassianus videtur agnoscere, nisi quod διπλῶς pro διπλᾶς fortasse legit, hoc est, dupliciter, pro duplices.*

Lib. 10. cap. 21. *Fortitudine & decore induta est, & lætata est in diebus nouissimis.*

Ex Ecclesiaste.

Coll. 8. cap. 24. Coll. 24. cap. 13. Cap. 3. *Cognoui quoniam omnia quæ fecit Deus ab initio, ipsa erunt in æternum.)* ἔγνων ὅτι πάντα ὅσα ἐποίησεν ὁ θεὸς. αὐτὰ ἔσται εἰς τὸν αἰῶνα. Cæterum verba illa, *Ab initio, neque vulg. edit. neque lxx. habent.*

† V. Cod. πλήρωμα Hierony. quàm plenitudo duar. mā. 4 *Melior est pugillus vnus cum requie, quàm duo pugilli cum labore & præsumptione spiritus.)* ἀγαθὸν ἔστι †πλήρωμα δρακὸς ἀναπαύσεως, ὑπὲρ πληρώματα δύο δρακῶν μόχθου καὶ προαιρέσεως πνεύματος.

Col. 23. c. 5. 17. & 19 7 *Quia non est homo iustus in terra, qui faciat bonū & non peccabit.)* ὅτι ἄνθρωπος οὐκ ἔστιν δίκαιος ἐν τῇ γῇ, ὃς ποιήσει ἀγαθὸν, καὶ οὐχ ἁμαρτήσεται. *In vul. erat: Et nō peccet sed in Vat. cod. vt in Græco: Et nō peccabit.*

Fecit



Col. 7. c. 4 & Col. 13 cap. 12. *Fecit Deus hominem rectum, & ipsi quæsierunt cogitationes multas.)* ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον ἀθῷον, καὶ αὐτοὶ ἐζήτησαν λογισμοὺς πολλούς. *Vitiose autem legitur in quibusdam libris Cassiani impressis: Cogitationes malas.*

Coll. 2. cap. 11. & coll. 7. cap. 8. 8 *Quia non sit contradictio ab his, qui faciunt malum cito, ideo repletum est cor filiorum hominum in ipsis, vt faciant malum.) In vulg. lib. atque etiam in Vaticano omnium vetustissimo legitur: ὅτι οὐκ ἔστιν γινομένη ἀντίρρησις ὑπὸ τῶν ποιούντων τὸ πονηρὸν ταχύ, διὰ τοῦτο ἐπληροφορήθη καρδία υἱῶν τῶν ἀνθρώπων ἐν αὐτοῖς τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρόν. Hieron. tamē legisse videtur: ὅτι οὐκ ἔστι ἀντίρρησις. transtulit enim: Quoniam non est contradictio. Cassianus vero: ὅτι οὐ γίνεται ἀντίρρησις.*

Coll. 2. c. 11. & col. 18. c. vlt. 10 *Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori.)* ἐὰν δάκῃ ὄφις ἐν οὐ ψιθυρισμῷ, καὶ οὐκ ἔστι περισσεία τῷ ἐπᾴδοντι. *S. Hieronym. transtulit: Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam.*

Li. 3. c. 9. 11 *Da partem his septem, & quidem his octo.)* δὸς μερίδα τοῖς ἑπτὰ, καὶ γε τοῖς ὀκτῶ.

Ex canticis canticorum.

Col. 16. Cap. 2. *Ordinate in me charitatē.)* τάξατε ἐπ' ἐμὲ ἀγάπην.

cap. 14. Coll. 13. cap. 12. 3 *In cubili meo in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea, quæsiui eum & non inueni, vocaui eum & non respondit mihi.)* ἐπὶ κοίτην μου ἐν νυξὶν ἐζήτησα ὃν ἠγάπησεν ἡ ψυχή μου. ἐζήτησα αὐτὸν, καὶ οὐκ εὗρον αὐτὸν, ἐκάλεσα αὐτὸν καὶ οὐχ ὑπήκουσέν μου.

Ex Sapientia.

Col. 7. c. 4 Cap. 9. *Terrenum habitaculum aggrauat mentem multa cogitantem.) Hic locus in Vatic. codic. Cassiani, vt in libris etiam Græcis, Sap. 9. sic legitur:* το γεῶδες σκῆνος βρίθει νοῦν πολυφροντίδα. *in impressis vitiose:* γήινον οἴκημα βαρύνει νοῦν πολυφροντίζοντα.

Ex Esaia.

Coll. 13. cap. 18. Cap. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.)* ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδὲ μὴ συνῆτε.

Coll. 8. cap. 21. 8 *Legem dedit in auditorium.)* νόμον γὰρ εἰς βοήθειαν ἔδωκεν.

Col.6.c.6 26 *Adde illis mala Domine, adde mala glorioſis terræ.)* προσθες αὐτοῖς κακὰ κύριε, προσθες κακὰ τοῖς ἐνδόξοις τῆς γῆς.

Coll.21 cap .32. 31 *Beatus qui habet ſemen in Sion, & domeſticos in Hieruſalem.)* μακάριος ὃς ἔχει ἐν σιὼν σπέρμα, καὶ οἰκείους ἐν ἱερουσαλήμ.

Col. 20. cap.6. 43 *Et iniquitatum tuarum non recordabor, tu vero memento.)* καὶ τὰς ἁμαρτίας σου, οὐ μνησθήσομαι, σὺ δὲ μνήσθητι.

Coll. 20. cap. 8. *Narra tu iniquitates tuas primus, vt iuſtificeris.)* λέγε σὺ τὰς ἀνομίας σου πρῶτος, ἵνα δικαιωθῇς.

Coll. 11. cap.12. 49 *Magnum tibi eſt vocari ſeruum meum.)* μέγα σοί ἐστι τοῦ κληθῆναί σε παῖδά μου.

Coll.13. cap.12. 50 *Quæſiui & non erat vir, vocaui & non erat qui reſponderet.) Paulo aliter vulg. edit. Quia veni & non erat vir, vocaui & non erat qui audiret.*

Coll.14. cap. 13. 58 *Et vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas inquietem.) In omnibus excuſis Caſſiani libris erat: Auertens ſemitas iniquitatum, in vno Vaticano: Auertens ſemitas inquietum vulg. edi. & lxx. In quietem, atque ita ſcripſi.*

Collat. 3. cap. 22. 65 *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem mihi, & contradicentem.) Potius retulit verba Apoſtoli ad Rom. 1. Eſaiam ex verſione lxx citantem, quàm Eſaiam ipſum, apud quem pronomen, mihi, non legitur.*

Lib. 12. cap.31. 66 *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem verba mea?*

## Ex Hieremia.

Collat. 6. cap.11. Cap. 2. *Frustra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non recepiſtis.)* μάτην ἐπάταξα τὰ τέκνα ὑμῶν, παιδείαν οὐκ ἐδέξασθε.

Col.13.c. 3. & 7. 5 *Induruerunt facies ſuas, noluerunt reuerti.)* Sic legitur hic locus infra cap.7 & ita eſt etiam in vulgata editione. impreſſi libri vitioſe habent: Indurauerunt ceruices ſuas.

Colla.7. cap. 21. 17 *Induc ſuper eos iram furoris tui, & duplici contritione contere eos.)* Pro: Iram furoris tui, vulg. edit. habet: Diem afflictionis. lxx. ἡμέραν πονηράν, hoc eſt, diem malum. Vnde Caſſianus id hauſerit mihi eſt incertum.

Li.1.c.10. *Ego autem non laboraui te ſequens.*

Ex



## Ex Ezechiele.

Cap.29. *Mea ſunt flumina, & ego feci ea.)* ἐμοῦ εἰσὶν οἱ ποταμοί, καὶ ἐγὼ ἐποίησα αὐτούς. Li.12.c.8

## Ex Oſee.

Cap. 2. *Et dormire eos faciam fiducialiter.)* Sic legitur in mmſſ. codic. & vulg. edit. & lxx. non autem: Dormire vos faciam, vt eſt in Caſſiano impreſſo. Colla.12. cap.7.

7 *Emendabo eos in auditu tribulationis ſuæ.)* παιδεύσω αὐτοὺς ἐν τῇ ἀκοῇ τῆς θλίψεως αὐτῶν. *Apud Originem homil. 16. in Num. vitioſe legitur: Terret Deus vt corripiat hominem in auditionis tribulatione. pro, in auditione tribulationis. ut apud eundem homil. 1. in Ezech. Arguam eos in auditu angustiæ eorum.* Coll. 6. cap. 11.

10 *Seminate vobis ad iuſtitiam, metite ſpem vitæ, illuminate vobis lumen ſcientiæ, dum tempus eſt.)* σπείρατε ἑαυτοῖς δικαιοσύνην, τρυγήσατε εἰς καρπὸν ζωῆς, φωτίσατε ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως. ὡς ἔτι καιρός. *In omnibus, quæ viderim, exemplaribus legitur: Metite ſpem vitæ, verum cum Græce ſit, καρπὸν ζωῆς, ideſt, fructum vitæ, & ſpecies fructum ſæpe ſignificet etiam apud probatos auctores; fortaſſe Caſſianus ſpeciē pro ſpem ſcripſerit. Porro hoc loco imitatus videtur Hierony. in Eccleſiaſten cap. 2. Origenes ſiue quis alius lib. 1. in Iob: Seminate vobis ad iuſtitiam vt metatis fructum vitæ.* Col.14.c. 9. & 16. Col.13. c.9.

## Ex Ioele.

Cap. 1. *Expergiſcimini qui eſtis ebrij & non a vino.)* In omnibus, quos videre cōtigit, libris hic locus ſic Græce legitur: ἐκνήψατε οἱ μεθύοντες ἐξ οἴνου αὐτῶν. *hoc eſt, expergiſcimini quiebrij eſtis ex vino veſtro. Ceterum S. Hiero. fatetur apud lxx. interpretes eſſe: Et non a vino. Eius verba ſunt in cap. 1. Ioelis: Euigilate & expergiſcimini qui ebrij eſtis nequaquā vino (vt in ſolis lxx. continetur) ſed omni perturbatione vitiorum. Ergo Caſſianus germanam lxx. lectionem citauit.* Colla.9. cap. 4.

3 *Infirmus dicat: quia fortis ſum ego.)* & infra: Qui patiens eſt, ſit pugnator.) ὁ ἀδυνατος λεγέτω: ὅτι ἰσχύω ἐγώ. & infra: ὁ πραὺς ἐστω μαχητής. Col.7.c.5

Ex

Ex Amos.

Col.6.c.5 Cap. 3. *Si est malitia in ciuitate quam Dominus non fecit?*) εἰ ἔσται κακία ἐν πόλει ἣν κύριος οὐκ ἐποίησεν?

Coll. 12. cap. 12. 5 *Qui facit omnia, & conuertit ea, & transmutat in matutinum vmbram mortis.*) ὁ ποιῶν πάντα καὶ μετασκευάζων, καὶ ἐκτρέπων εἰς τὸ πρωὶ σκιὰν θανάτου. *& matutinum legitur in Vat.cod. non, matutinam, vt est in vulgatis.*

Li.8. c.9. 8 *Occidet eis sol in meridie.*) *Neque in vulg.edit.neque apud lxx.legitur pronomen.eis.*

Ex Iona.

Coll. 17. cap.25. Cap.3. *Adhuc triduum Niniue subuerteretur.*) *Vul.edit. & Hebr. Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur. Et miratur S.Hieronym. cur lxx. interpretes triduum transtulerint, cum in Hebræo nec litterarum, nec syllabarum, nec accentuum sit vlla communitas inter tres, & quadraginta.*

Col.6.c.6 4 *Quia tu Domine misericors & miserator, patiens & multum misericors, & pœnitens in malitijs.*) ὅτι ὁ θεὸς ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων, μακρόθυμος, καὶ μετανοῶν ὅπι ταῖς κακίαις.

Ex Habacuc.

Li.12.c.6 & 21. Cap.1. *Et esca eius electa.*) *Sic legitur hic locus in Vatica. lib. nam Græce est:* καὶ τὰ βρώματα αὐτοῦ ἐκλεκτά. *Et Hieronym. epist. 22. Esca eius, secundum Abacuc, electa sunt.*

Ex Zacharia.

Colla.3. cap. 16. Cap.9. *Quia si quid bonum, ipsius est; & si quid optimum, ab ipso.*) ὅτι ἔστι ἀγαθὸν αὐτοῦ, καὶ ἔστι καλὸν παρ' αὐτοῦ.

Col.7.c.5 12 *Et erit qui infirmatur inter eos sicut domus Dauid.*) καὶ ἔσται ὁ ἀσθενῶν ἐν αὐτοῖς ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὡς οἶκος δαυίδ

Ex Malachia.

Coll. 11. c.10.& 13 Cap.1. *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum timebit. Et si pater ego sum, vbi est honor meus? Et si dominus ego sum, vbi est timor meus?*) υἱὸς δοξάζει πατέρα, καὶ δοῦλος τὸν κύριον ἑαυτοῦ φοβηθήσεται, καὶ εἰ πατὴρ εἰμὶ ἐγὼ, ποῦ ἐστιν ἡ δόξα μου; καὶ εἰ κύριός εἰμι ἐγὼ, ποῦ ἐστιν ὁ φόβος μου.

Ex



Ex Matthæo.

Li.12.c.8 Cap.26. *Numquid non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim millia legiones angelorum?*) *Eandem lectionem agnoscunt Vatic. cod. mmss. atq. ita videtur legisse Hilarius. nam in comment. Psalmi 54. Sed inter hæc, inquit, habens potestatem duodecim millia legionum cælestium euocare, non ad iram commouetur, non ad vltionem exacerbatur. Et lib. 10. de Trinitate: Nec sibi, inquit, angelus mittitur, qui si vellet duodecim millia legionum de cælis deduceret. & in psal. 53.*

Ex Luca.

Col.1.c.8 Cap.10. *Num tibi placet quia soror mea reliquit me solam ministrare?*) *Codices aliquot mmss. habent cum vulgata edit. Non est tibi curæ? Sed vetustiores legunt: Non tibi sedet. & quantum existimo, Cassianus scripsit: Num tibi sedet. nam sedere pro placere S. Hierony. scribit Deut. 21. Si autem, inquit, non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia &c. ideſt, si non placuerit animo tuo.*

Ex Ioanne.

Colla. 1. cap. 13. Cap.16. *Mundus iste gaudebit.*) *In vulg. edit. Mundus autem gaudebit. Græce in vulgatis libris legitur:* ὁ δὲ κόσμος χαρήσεται. *Cassianus legisse videtur:* ὅδε κόσμος. *ideſt, iste, siue ipse mundus.*

Ex Epist. ad Rom.

Coll. 3. cap. 20. Cap.1. *Quia non crediderunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus &c.*) *Vulg. editio: Sed sicut non probauerunt Deum habere in notitia. Verum mmss. aliquot Cassiani libri legunt: Quia non decreuerunt. Græce autem legitur:* καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν. *vt fortasse legerit Cassianus,* ἐδόκησαν.

Coll.16. cap 13. 5 *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ qui habitat in nobis.*) *Vulgata editio, & Commentaria quæ extant Ambrosij nomine, legunt: Per Spiritum sanctum qui datus est nobis. & ita etiam habent Græci libri.* τοῦ δοθέντος.

Ex

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ex Epist.1.ad Corinth.

Coll.4. cap. 19. Cap.3.Lac potum vobis dedi,non escam:necdũ enim poteratis, sed nec adhuc nũc potestis.) Sic est in Vat.cod.& in Græco. ἀλλ'οὐδὲ ἔτι νῦν.vul.edi.Sed nec adhuc quidem potestis.

Coll.3. cap.17. Coll 13. cap. 14. 10 Tentatio vos non apprehẽdit nisi humana. Fidelis autẽ Deus,qui non permittet vos tentari super id,quod potestis,sed faciet cum tẽtatione etiam exitũ, vt sustinere possitis.) Fere in omnibus libris vulgatæ editionis legitur. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. verum in antiquissimis mmss. est, apprehendit,vt in Græco ἐλαβεν. & Cyprianns lib. 3. Testimon. ad Quirin. cap. 91. Tentatio vos non occupauit nisi humana. eamq. veram lectionem esse docet Cassianus lib.5.Institut. cap.16.his verbis: Hoc Apostoli testimonium non intelligentes quidam,posuerunt pro indicatiuo optatiuum modum, ideſt: Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Quod ab ipso magis dici manifestum est,non optantis,sed pronuntiantis,vel exprobrantis affectu. Quod vero ait: Sed faciet cum tentatione etiam exitum, sic citat hunc locum S.Hieron.ad cap.2.Ionæ.Græce est: ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὸν ἔκβασιν. Cyprianus:Qui faciet cum tentatione & euadendi facultatem,vulg.edit.Cum tentatione prouentum.

Coll. 11. cap. 12. & col. 15 cap.2. 12 Et adhuc supra modum excellẽtiorem viam vobis demonstro.) Comment.nomine Ambrosij legunt: Et adhuc magis excellentiorem viam.Græce, καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι.vul.edit. Et adhuc excellentiorem viam uobis demonstro.

Ex Epist 2. ad Corinth.

Col.7.c.5 Cap. 10. Ad destructionem munitionum cogitationes purgantes.) Vulg.edit.S.Ambros.& Hieron. legunt: Cogitationes destruentes. uerum cum Græce sit: τοὺς λογισμοὺς καθαιροῦντες, is cuius interpretationẽ sequitur Cassianus legisse videtur:τοὺς λογισμοὺς καθαροῦντες. Ruffinus interpres Regulæ S.Basilij cap.14.Cogitationes purgantes, uel destruentes, & omnem altitudinem &c.

Ex epist.ad Galat.

Coll.14. cap. 8. Cap.4.Hæc enim sunt duo testamẽta, unum quidem de monte Sina,in seruitutẽ generans,quod est Agar.) Sic etiam legitur in commentarijs in epist. Pauli quæ Ambrosij nomine circumferuntur. uerum uulgat. edit. & Græci libri: Quæ est Agar: ἥτις ἐστιν Ἁγάρ.

Sina enim mons est in Arabia, qui comparatur huic quæ nunc est Hierusalem,& seruit cum filijs suis.) τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. uerbum. συστοιχεῖ transtulit comparatur,quasi dicat:Mons Sina comparatur,hoc est,proportione confertur,seruienti Hierusalem, quæ in terris est. Vulg. edit. legit:Qui coniunctus est ei quæ nunc est Hierusalem. Coll. 14. cap.8.

Ex epist.ad Philippen.

Cap.3. Noster autem municipatus in cælis est.) ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. In uulgata editione nunc legitur: Conuersatio autem nostra in cælis est; sed apud S. Hieronymum frequenter est scriptum: Municipatus noster in cælis est.atque Tertullianus lib.3.contra Marcionem, Græcam etiam uocem apposuit, ait enim: Hierusalem quam Apostolus matrem nostram sursum assignat,& πολίτευμα nostrum, ideſt, municipatum in cælis esse pronuntiat. Hilarius uero lib.11. de Trinitate legit:Nostra autem expectatio in cælis est:Quorum finis, inquit,est interitus,nostra autem expectatio in cælis est. Ac ne quis locum uitiosum putet,ita legitur in uetustissimis libris, & ipse Hilarius expectationem se scripsisse palam ostendit. Sed alijs locis cum uulgata legit: Conuersatio nostra. Coll. 3.c. 6. & 7.

Ex epistola ad Ephes.

Cap.4. Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis erroris,in immunditiam.) Vulga. edit. & Græci libri:In operationem immunditiæ omnis, in auaritia. Coll.5.c. 16.& col. 6.c.11.

Ex epistola ad Hebræos.

Cap.4.Tentatus per omnia secundum similitudinem nostrã.) Sic citat hunc Apostoli locum S.Hieronym.ad cap.2.Ionæ.in uulg. tamen edit. & Græcis codicibus non est pronomen,nostram. Col.5.c.5

13 Deus autem pacis qui eduxit de tenebris pastorẽ magnum ouium,&c.) Cum in uulg.edi.legatur:Qui eduxit de Collat.3. cap. 17.

*de mortuis pastorem magnum ouium, & Græce etiam sit: ἐκ νεκρῶν, hoc est, ex mortuis, nescio vnde vox, tenebris, apud Cassianum irrepserit. nisi forte ille scripsit, de terris. respexit enim Apostolus ad illud Esai. 63. ὁ ἀναβιβάσας ἐκ τῆς γῆς, τὸν ποιμένα τῶν προβάτων. quem locum Ruffinus in expositione Symboli ad hunc modum citat: Qui eduxit de terris pastorem magnum ouium.*

Ex. 2. epistola Petri.

Li. 5. c. 13 *Cap. 2. A quo enim quis vincitur. ei & seruus addicitur.) Sic legitur hic locus in Vatic. cod. nam Græce est: ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. in omnibus vulgatis libris antea legebatur: Eius & seruus est. In epist. quæ Hieronymi nomine circumfertur ad Rusticum Narbonens. episcopum scripta, ad hunc modum citatur: Quis enim a quo superatur, eius seruus adijcitur. sed ex Cassiano & ex Græco est corrigendum: Ei & seruus addicitur.*

FINIS.

OBSER-

# OBSERVATIONES IN IOANNEM CASSIANVM.

QVoniam Gelasius Pontifex maximus in Concilio lxx. Episcoporum Ioannis Cassiani opera apocrypha iudicauit, idque ea ratione potissimum, quòd Collat. 13. alijsq. locis de gratia & libero hominis arbitrio more Pelagianorũ locutus, a Prospero Aquitanico, scripto aduersus eum libro, conuictus esset; dispiciendum quid in eius scriptis respuendum sit, quid autem piã recipere possit interpretationem. Loca igitur omnia quæ Pelagianismi suspicionem generare possent, vndecim propositionibus comprehendam.

## Prima Cassiani propositio.

*PRius quam primam propositionem hic adscribam, illud commonendum videtur; Liberum hominis arbitriũ ad gloriam promerendam, vel ad gratiam augendam, Spiritus sancti gratia inhærente penitus indigere: neque totam legem Dei implere posse suis viribus, neque ad gratiam se præparare ex propinquo, nisi Spiritus sancti motione subleuatum. neque demum aliquid, quod ad æternam salutem spectet, ex seipso velle seu facere: qua de causa Dominus dixit: Sine me nihil potestis facere. Contra vero Dei gratia communitum hæc omnia posse præstare: ita fit vt sanctæ actiones, ac recte factæ neque sint solius gratiæ, neque solius liberi arbitrij, sed vtriusque, quemadmodum rectum iter conficitur & gradientis equi labore, & equitis dirigentis industria. Ceterũ præter hæc opera veræ iustitiæ intima, sunt & alia quæ non potest: potest tamen nonnulla; alioquin nõ differret a mortuo. Tuentur hanc sententiã inter scholasticos S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 2. & 2. 2. q. 10. art. 4. & vtrobique Caietanus. Alensis par. 3. q. 69. memb. 3. art. 3. ad fin. Bonauent. lib. 2. sent. dist. 28. art. 2. & ceteri*

ceteri fere omnes. Horum doctrinæ fauent plerique patres; ac primum S. Hierony. lib. 3. contra Pelagianos: Hoc est, inquit, quod tibi in principio dixeram in nostra esse positum potestate, uel peccare, uel non peccare: & uel ad bonum, uel ad malum extendere manum, ut liberum seruetur arbitrium: sed hoc pro modo & tempore & condicione fragilitatis humanæ: perpetuitatem autem impeccantiæ soli reseruari Deo, & ei qui uerbū caro factus, carnis detrimenta & peccata non pertulit. Nec quia ad breue possum, coges me ut possim iugiter. Possum ieiunare, uigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire; numquid in perpetuum? & aliquanto superius: Hoc & nos dicimus posse hominem non peccare, si uelit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo uitio laxatur in cithara. quòd si paululum se remiserit; quomodo qui aduerso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis quo non uult ducitur: sic humana condicio si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit. Multa in eandem sententiam Origenes lib. 2. in epistolam ad Rom. cap. 2. atque hom. 6. & 14. in Genesim. Basilius in quæst. fusius explicatis ad q. 2. Prosper lib. 1. de uocatione gentium cap. 2. Oecumenius in cap. 9. epistolæ ad Rom. Solent & Patres laudare nonnullorum philosophorum honestissimas actiones ex uiribus naturæ profectas: ut Basilius in epist. ad adolescentes. Hierony. lib. 2. aduersus Iouin. Clemens Alexand. in lib. Stromatum. Augustinus lib. 3. Hypognosticon, & lib. de spiritu & littera cap. 28. & lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 25. & lib. 21. cap. 16. & lib. 4. contra Iulian. Pelag. cap. 3. Quibus locis Augustinus concedit sine Spiritus sancti gratia potuisse philosophos ea quæ ex suo genere honesta sunt exequi, rectæ rationis præscriptum sequentes, tametsi nolit ea nomine uirtutis ornare; quia ad uerum summumq. bonum, nempe Deum, non referebant. Iuxta hanc sanctorum Patrum doctrinam exponi posse uidetur de morali solū bono prima illa Cassiani propositio, uidelicet: Posse nos aliquid boni velle & facere ex naturæ viribus.] Hoc enim affirmat Col. 23. cap. 2. & Col. 13. cap. 4. 5. & 12. Quibus locis illum de morali bono locutū esse inde perspicuum est, quòd alibi non semel negat nos aliquid ex nobis aut perficere, aut incipere, aut uelle posse, nisi Deus opituletur. Quæ quidem apte non cohærent, nisi posteriora hæc de bono quod Christianæ iustitiæ est intimum, exponantur, priora uero illa



illa de honesto moraliterq. laudabili. Tametsi non negarim, Cassianum licet de hac ipsa re non male sentientem, ad eam tamen probandam Coll. 13. cap. 12. abusum utcumque fuisse exemplo Dauid de ædificando templo cogitantis ex semetipso. etenim non ex semetipso, sed ex Dei gratia id cogitasse probabilius est propter ipsius operis religionem.

## Secunda Cassiani propositio.

PEr aliquod recte factum, ac bonam voluntatem posse nos ex nobis utcumque ad gratiã præparare, ita ut Spiritus sancti motionem voluntas interdũ nostra præueniat.] Ita videtur docere lib. 12 de Instit. renunt. cap. 14 Coll. 7. cap. 7. Coll. 13. cap. 7. 9. 11. 12. & 13. Hæc secunda propositio ut intelligatur catholice, illud præfandum est, duplicem a Theologis distingui dispositionem seu præparationem ad gratiam; remotam unam, quæ per opera quædam moraliter bona fieri solet, tamquam initium quoddam redeundi ad Deum, eiq. obtemperandi, dum naturalem quis rationem, quod est lumen vultus diuini signatum super nos, recte aliquid agendo incipit audire; qua ex re aliqualiter idoneus efficitur cui Deus opituletur ad suam gratiam consequendam, cum ei docilem tractabilemq. aliqua ex parte se præbeat: Alteram quam appellant proximam dispositionem, quæ in eo posita est, ut animus noster diuina ope subnixus credat, speret, & diligat Deũ, ut oportet, & propter eum peccatum omne detestetur. Huiusmodi præparationem Tridentina Synodus sess. 6. cap. 6. describit, subditq. cap. 7. Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur; quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. unde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitæ æternæ. hæc ibi. Et quidem certa fide credimus proximæ præparationis non nisi adiuuante Deo compotes esse nos posse. Constat deinde, etiam si remota dispositio adsit, non esse satis ad gratiam, nec oportere ut semper adsit, cum interdum sine ea ad proximam veniatur. Illud etiam inter Theologos conuenit, nonnunquam impium adeo male esse affectum, & tanta peccatorum sarcina oppressum, ut ne remote quidem ad gratiam ipse se præparet, etiam si forte possit, nisi Spiritu sancto stimulante incitetur. Contra vero accidit sæpenumero, ut nonnulli quorum animi aciem vitiã minus

hebetarint, sicut sola naturæ vi, multa quæ officij honestiq. ratio exigit præstare possunt; ita per ea remote se præparent ad gratiæ donum adipiscendum, facientes aliqua ex parte quod in ipsis est. Quam sententiam amplexi sunt Theologi scholastici quamplures. Neque obest huic sententiæ can. 8. Concilij Arausicani, quo alienus a fide censetur, qui putat alium misericordia, alium ad baptismi gratiam posse per liberum arbitrium peruenire. non obest, inquam, nam ad baptismi gratiã non venitur sine proxima dispositione, quæ non currentis hominis, nec volentis est, sed miserentis Dei. Huic doctrinæ fauent aliquando plerique Patres, dum docent nonnumquam Deum a nobis præueniri; vel eum non præstare auxiliũ gratiæ nisi ijs qui se dignos effecerint; vel tum nobis adesse, cũ nos quod in nobis est præstiterimus; vel bonum aliquem nostræ voluntatis affectum aut conatum expectari a Deo priusquam nobis opituletur. Ad quæ omnia comprobãda testimonia quædam Patrum adducam. Primum Chrysostomus homi. de conuers. Pauli, & lib. 1. de compunctione cordis: Venit, inquit, ad vnumquemque gratia Dei, sed apud eos qui digne explent ea quæ in ipsis sunt, permanet; ab ijs vero qui minus digne agũt, cito discedit: ad eos autem qui nec initium faciunt conuertẽdi ad Dominum, omnino non venit. rectas enim mentes diligit, & sine fuco propositum. Quod etiam in Paulo perspiciens, licet adhuc alio itinere videretur incedere, tamen quia proposito recto, & zelo Dei hoc agebat, dicit de eo Dominus: Quia vas electionis est mihi iste. Idem homil. 19. in Acta Apost. Dignum profecto mirari Eunuchum illum Candacis reginæ. non viderat Iesum Christum, non viderat signum: vltra viderat quis status Hierosolymis, & credidit Philippo. Vnde igitur talis factus est? Solicita erat anima illius, attendit scripturis, vacauit lectionibus. Idem tradit pluribus alijs locis. Hieronymus initio lib. 3. contra Pelag. Scito, inquit, baptismum præterita donare peccata, non futuram seruare iustitiam. quæ labore & industria, ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur; vt nostrũ sit rogare, illius tribuere quod rogatur: nostrũ incipere, illius perficere: nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. Scribunt nonnulla in hanc partem August. lib. 83. quæst. q. 68. Ambr. lib. 2. de Abraham cap. 10. & in Psal. 118. serm. 10. Hilarius in Psal. 118. in verba: Inclina cor meum Deus in testimonia tua. Clemens Alex. lib. 7. Stromatum. Cyrillus Alex. in Apol. contra Iulianum, lib. 3. Origenes lib. 7. in 8. cap. epist. ad Rom. in verba: Qui secũdum propositum vocati sunt. Hæc illi Patres, quæ Cassiani sententiæ suffragari videntur. Neque vero si aliquo nostro conatu possumus ad Deum paulisper accedere, attractio diuina tollitur. Hæc enim proprie accessum istum cõsummat, non ille conatus, cũ nec satis sit solus, nec necessarius semper, nec nisi improprie tanto dignus accessu: neque inde fit cõsequens portionem quandam credẽtium Christi gratia iustificari, ceteras naturæ viribus. id enim alienum est a Cassiano, qui omnium redemptionem adscribit Christo passim in libris vij. de Incarnatione. Omnis namque iustificatio gratiæ est, non tamen omnis præparatio ad eam: nam proxima quidem semper est Spiritus sancti, remota in quibusdam est fructus gratiæ, in alijs naturæ. Neque aduersantur Cassiano nonnulla scripturarum, Conciliorum, patrumq. loca, quæ nihil nos boni ex nobis aut facere aut inchoare, aut cogitare posse, frequenter inculcant. id enim & Cassianus docet idẽtidem. Illæ ergo erit horum omnium cõciliatio, quòd cum boni quidquam nostræ tribuitur facultati, intelligatur de ea operum voluntatumq. bonitate, quæ & in honesti officij q. ratione spectatur, & ad gratiam disponit e longinquo: cum vero omnis ad bonũ conatus ac potestas nostræ denegatur naturæ, de eo exponatur bono, quod aut gloriam mereatur, aut ad gratiam præparet e propinquo, quodq. veræ pietati, Christianæ iustitiæ, vitæq. secundum Deum instituendæ intimum sit. Augustinus de naturæ viribus prius tenuissime sentiens, demum ita se explicat lib. 4. cont. duas epist. Pelag. cap. 6. lib. 2. de bono perseuerãtiæ, cap. 13. lib. 4. cont. Iulian. Pelag. cap. 3. tractatu 45. in Ioan. & lib. de spiritu & littera, cap. 28. Et Tridentina Synodus sess. 6. can. 3. huc respiciẽs ita decernit: Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.



## Tertia Cassiani propositio.

ALiquod vel initium pœnitentiæ, vel propositum mutandę vitę, vel consilium reuertendi ad Deum ex nobis esse.] *Sic sentire videtur Collat. 13. cap. 11. 13. & 15. Hæc pœnitentia seu conuersio, de qua Cassianus agit, inchoata quædam attritio est, quam plerique Theologi in potestate naturæ collocant, vt S. Thom. lib. 4. sentent. distinct. 17. quæst. 2.*

*art.1.quæst.3.Bonauentura lib.2.sent.dist.28.art.2.q.1.ad fin.& alij.idq. ea ratione,quia sicut omni naturæ insitus est naturalis amor sui, ita & naturalis timor eorum quæ vt noxia concipiuntur. Iam vero cum peccatum valde noceat, & hominis dignitati ob suam turpitudinem, & famæ atque honori si alijs innotescat, & rei familiari si ea dilapidetur, & corpori si morbos pariat;cumq. ex culpa reatus omnis existat pœnarum, quas vel humana lex vel diuina decernit, non est omnino supra naturam odisse peccatum, quòd naturã ipsam tot malis ac nocumentis facit obnoxiam. Atque hoc initium quoddam pœnitentiæ est & reuersionis ad Deum. Quare ita constituta,tolerari potest illa distinctio(licet paulo durior sit) quam Cassianus tradit Coll.13.cap.17. Quorundam, inquit, Deus est susceptor, quorundam saluator. Non enim ibi de gratia iustificante loqui videtur (secundum eam namq. omnium saluator est,quia quicumque iustificantur,ab hoc saluatore iustificantur) sed de remoto conatu accessuq. ad iustificationem, secundum quem eorum vocat Deum saluatorem, quos ex otio & ignauia saluat in totum:eorum vero susceptorem,quorum bonam aliquam solicitudinem benevole suscipit, & misericorditer promouet. Postremo quod ait Cassianus Col.13.cap.13.diuinæ fuisse dignationis quòd Dauid per prophetam fuerit reprehensus: quòd vero peccatum suum agnouerit,propriæ fuisse libertatis opus;exponi potest iuxta id quod ipse ibidem præcedẽti capite scripserat, nempe in hominis esse libertate & arbitrio gratiam Dei negligere vel amare, eiq. vel obsequi vel resistere;vt decernit Trid. Conc. sess.6.cap.4. ita tamen vt numquã intelligatur exclusa specialis Dei motio,qua fit vt vocanti obsequatur, & peccatum efficaciter detestetur. Quare cum Cassianus præmisisset Dei gratiam,quæ non solum intus, sed etiam foris arguebat Dauidem, subdit propriæ fuisse libertatis opus,quòd peccatũ suum agnouerit.*

## Quarta Cassiani propositio.

NOnnullum fidei motum ex nobis incipere.] *Significatur id Collat.13.cap.11.& 13. clarius vero cap. 15. vbi exercuisse Christum scribit curationes secundum mensuram fidei, in qua vnumquemq. reperit, vel sicut vnicuique ipse partitus est:ac si dicat, fidem aliquam nos habere ex nobis,quandam vero Deum impartiri. Multo rectius senserat Coll.3.cap.16.donari & augeri fidem a Deo. Nisi hæc, & id genus*



*genus alia loca intelligantur de fide seu persuasione humana cum ijs quæ reuelat Deus per Ecclesiam incipimus saltẽ probabiliter assentiri propter aliquas rationes, argumenta, miracula,sanctitatem euangelizantis Christum, cuiusmodi fidẽ naturaliter acquiri posse auctores sunt Scotus lib. 3.sent.dist. 27.q.vnica.Durand.lib.2.sent.dist.28.q.1.Alex.Alensis par. 3.q.68.membr.2.Bonauentura lib.3.sent. dist.23.art. 2. q.2. Caiet.1.2.q.109.art.1.notab.3.Capreol.lib.3.sent.dist. 24.q. vnic.art.3.ad arg.Scoti cont. 2. concl. vbi etiam multa loca S.Thomæ adducit pro hac sententia: a qua certe nec videtur abhorrere ipsemet S.Tho.2.2.q.6.art.1.vbi concedit posse esse aliquam persuasionem humanam inducentem ad credẽdum, sed non sufficientem,nempe ad fidem catholicam: nam ad humanam non negaret,cum omnis persuasio humana naturaliter apta sit ad gignẽdum aliquam opinionem & assensum leuem saltem. Quare ibidem quæst.5.art.3.hæretico non credẽti vnum articulum denegat fidem catholicam etiam circa reliqua quæ credit: concedit tamen humanam ex proprio iudicio ac voluntate nascentem.id quod hæretico posset obtingere etiam ante acquisitum fidei humanæ habitum, vt si quæ hora credidit,postmodum non credat.Hoc ipsum etiam rationi valde consentaneum est: quia ea quæ extrinsecus nos ad fidem mouent,qualia sunt miracula,vitæ sanctitas,prophetiæ, & cetera id genus,etsi non pariunt euidẽtiam veritatis,afferunt tamen euidentiam credibilitatis, ideſt, ostendunt non esse temeritatis vel imprudẽtiæ credere:& propterea in assensum aliquem potest sua sponte natura prorumpere;non catholicum tamen, nisi Spiritus sancti lumine collustretur. Sed qualis qualis fuerit Cassiani sententia,certum est multo magis probandam esse Prosperi expositionem contendentis tam Andreæ, Petri, Pauli, aliorumq. Apostolorum fidem, quàm Zacchæi,Cornelij,centurionis, & latronis vocationem, gratiæ adscribendam;& nõ modo non illos,sed ne hos quidem habuisse vllum fidei motum, antequam gratia præuenirentur: quia licet Spiritus sanctus foris eos non traxerit, traxit tamen intus,qui suos varie trahit ad salutem: Neque enim(inquit Prosper)putandum est, quòd potentia gratiæ eos tantum ad filiũ attrahat,quos aut voce increparit, aut pœna attriuerit,aut terrore tremefecerit; illorum autem mentibus nihil suæ virtutis admoueat per tranquillam cohortationem. hæc Prosper. Certe hic locus præter alios causam videtur*

præbuisse Gelasio Papæ, vt Cassiani opera inter apochypha nu-meraret.

## Quinta Cassiani propositio.

NOstris orationibus nonnumquam Dei gratiam præ-ueniri, iuxta illud: Et mane oratio mea præueniet te.] *Traditur id Coll. 3. cap. 19. & Coll. 13. cap. 9. & 12. Nihil hæc sententia habere videtur absurdi. Licet enim ipse orandi Deum affectus sit donum Dei, nihil tamen prohibet aliquem eius conatū ex naturæ bono posse depromi, & per eum nos Dei adiutorio quadamtenus dignos effici. Id enim quodammodo significant hæc verba Patrum. Chrysostomus homil. 2. in epist. 2. ad Corinth. Tu quoque & illud iam mihi considera, quòd etiam siquid Deus præstat ex misericordia, tamen multum hæc momenti afferat deprecatio. Initio si quidem misericordijs Dei salutem suam acceptam ferebat: Deus, inquit, misericordiarum ipse nos eripiet; hic vero illorum etiam precibus acceptam refert. Nam & illum qui tam multa talenta debebat, vbi procubuisset ad genua miseratus est. Sic enim scriptum est: Misericordia motus dimisit illum. Quin & Chananæa post multam instantiam & importunos clamores, tandē largitus est filiæ salutem, & tamen illam ex misericordia seruauit. Hinc itaque discimus quòd quamquam misericordiam sumus experturi, tamen vt nos ipsos prius misericordia dignos præbeamus oportet. Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos: Scito, inquit, baptismum præterita donare peccata, non futuram seruare iustitiam, quæ labore & industria, ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur; vt nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere. & infra: Totus sermo sanctorum ad Deum oratio est, tota oratio & deprecatio extorquet clementiam Saluatoris: vt qui nostris viribus & studio saluari non possumus illius misericordia conseruemur. Vbi autem misericordia & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium; quod in eo tantum est, vt velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. Iam in Domini potestate est, vt id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus. Hilarius in Psalm. 118. Est a nobis, inquit, cum oramus, exordium, vt munus a Deo sit. Nec S. Thomas ab hac doctrina videtur alienus. nam 2. 2. q. 83. art. 16. concedit peccatoribus orationem ex bono naturæ desiderio procedere, eamq.*



*eamq. a Deo exaudiri, non ex debito iustitiæ, sed ex puræ misericordiæ, si necessaria ad salutem perseueranter ac pie pro se homines petant. quod vltimum Caietanus exponit de intentione, qua etiam peccator potest in aliquo opere diligere Deum propter ipsum Deum. Si quis autem contendat hanc pietatem ad impetrandum necessariam; nō posse esse sine aliquo speciali auxilio, vt significare videtur ibidem art. 15. ad 1, certe is negare non poterit ex sententia S. Thomæ aliquā orationem posse ex naturæ bono prodire, quamuis impetratura non sit, nisi ex diuino auxilio aliqua illi pietas adiungatur. Neque quem mouent canon. 3. Concilij Arausicani sic statuentis: Si quis inuocationem humanam gratiæ Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur a nobis, contradicit Esaiæ prophetæ vel Apostolo, idem dicenti: Inuentus sum a non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant. Ipsum enim Concilium can. 6. semet exponit, cum affirmat sine gratia Dei non posse orari sicut oportet. id enim vt oportet fieri non potest sine fide & spe. Vnde Augustinus in Psal. 87. Ego, inquit, ad Dominum clamaui, hoc est, Dominum vt saluus essem inuocaui. Quomodo autem inuocarem, nisi crederem? quomodo crederem, nisi audirem? Sed vt audirā crederem, ipse me attraxit. Ex quo fit, vt recte Concilium statuat gratia faciente nos orare, quia non oramus nisi ex fide, quæ gratiæ donum est: & qui sentiat solam fidem absque nouo auxilio ad aliqualiter Deum deprecandū satis esse, a prolatis modo sanctorum sententijs non aberrabit, dummodo non neget etiam ipsis iam credentibus perfectum orandi studium non prouenire nisi ex Spiritu sancto, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: tametsi cum naturaliter diuinam prouidentiam agnosci posse recipiamus, nihil sit absurdi ex naturæ viribus citra vllam fidem diuinam posse esse orantis affectum, si non efficacem & ardentem, at aliquem tamen: cum ipsæ gentes ijs quos deos putabant, templa dicarint, aras, victimas, pæana, sacerdotes instituerint. Sensisse autem Cassianum modico quodam solum conatu, orandiq. affectu Deum a nobis præueniri, plenum autem ac perfectum a Deo præueniente proficisci significari videtur Collat. 13. cap. 12. ad finem. Præuenit, inquit, hominis voluntatem misericordia Domini, de qua dicitur: Deus meus, misericordia eius præueniet me. Et rursus Dominū remorantem atque vtiliter quodammodo*

*subsistentem, vt nostrum experiatur arbitrium, voluntas præuenit nostra, cum dicitur: Et mane oratio mea præueniet te. & iterum: Præueni in maturitate, & clamaui. &: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. Aduocat etiam nos & inuitat cum dicit: Tota die expandi manus meas ad populum nõ credentem mihi, & contradicentem. Et inuitatur a nobis cum dicimus ei: Tota die expandi manus meas ad te. Expectat nos cum dicitur per prophetam: Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri. Et expectatur a nobis cum dicimus: Expectans expectaui Dominum, & intendit me. &: Expectabam salutare tuum Domine. Confortat nos, cum dicit: Et ego erudiui & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam. Et vt nosmetipsos confortemus, hortatur cum dicit: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Clamat Iesus: Siquis sitit, veniat ad me & bibat. Clamat etiam ad eum Propheta: Laboraui clamans, rauca facta sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum. Quærit nos Dominus, dicens: Quæsiui & non erat vir, vocaui & non erat qui responderet. Quæritur & ipse a sponsa flebiliter conquerente: In cubili meo in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea, quæsiui eum, & non inueni: vocaui eum, & non respondit mihi.] Et cap. 7. Diuina, inquit, benignitas cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcumque scintillam emicuisse perspexerit, vel quam ipse tamquam de dura silice nostri cordis excusserit, cõfouet eam, & exsuscitat, suaq. inspiratione confortat. Vides in ijs locis non solum præueniri nos interdum, præuenire nonnumquam, sed nostrum etiam præuenire esse modicum aliquod initium, quod vt perficiamus præuenimur a Deo.*

## Sexta Cassiani propositio.

ETiam post præuaricationis lapsum mãsisse in Adam scientiam boni, cum sit lex ipsa naturalis, & quędam virtutum semina omni animę beneficio creatoris inserta. *Id ad verbum scriptum reliquit Coll. 13. cap. 12. Ne autem quis existimet scientiam boni cum labe peccati non potuisse consistere, fere omnes sancti Patres & naturalem aliquam, licet minus claram quàm quæ fuerat innocentis Adæ, scientiam boni in nobis agnoscunt, & quadam virtutum semina propensionesq. ad ea quæ recta sunt. Ita Basilius in quæstio. fusius explicatis ad q. 2. Ambros. epist. 71. S. Hiero. epist. 151. ad*



*Algasiam, q. 8. Cyrillus Alexand. lib. 3. contra Iulianum. Chrysostomus homil. 9. de pœnitentia, atque interpretes fere omnes in cap. 2. ad Rom super illud: Gentes quæ legem nõ habent, vt Chrysost. Hieronym. Oecum. & alij. Quin quod ad veri boniq. scientiam pertinet. Augustinus retractat aperte quod lib. 2. Soliloquiorum aduersus hanc sententiam scripsisse videbatur: Non approbo, inquit, lib. 1. Retract. cap. 4. quod in oratione dixi: Deus qui nisi mundos verum scire noluisti. Responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera. De seminibus vero virtutum ita scribit lib. 2. de libero arbitrio, cap. 10. Satis enim est quòd istas tamquam regulas & quædam lumina virtutum & vera & incommutabilia, & siue singula. siue omnia communiter adesse ad cõtemplandum eis qui hæc valent sua quisque ratione ac mente cõspicere, pariter mecum vides, certissimumq. esse concedis.*

## Septima Cassiani propositio.

CAuendum esse nobis ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id quod malum est atque peruersum humanæ adscribamus naturæ. ] *Verbæ sunt Cassiani Coll. 13. cap. 12. Ex quibus ne colligas quosdam naturæ meritis, quosdam diuina gratia saluos fieri. Non enim id tradidit Cassianus. sed docere voluit, non sicut omnia malæ sunt ex nobis, ita omnia merita esse ex Deo solo, cum & Dei & nostra sint omnia. Cooperatur enim gratiæ nostra voluntas in merendo. Ita passim scribit Cassianus, vt lib. 12. de Instit. ren. cap. 14. Coll. 3. cap. 11. 12. 15. & 19. Coll. 5. cap. 16. & 24. & Coll. 13. cap. 9. 10. 11. & vlt. Nec Cassianus solus, sed & vniuersi Patres docent liberi arbitrij vim non solum in eo sitam esse vt aliquis recte faciat ex seipso, vtq. vocanti mouentiq. Deo possit obniti. sed etiam vt opus bonum & meritorium non solus Deus perficiat, sed Deus & voluntas nostra: & totum quidem ille, totũ & ista. Ita Patres fere omnes docent. S. Hierony. in epistola ad Demetriadem de virgin. seruanda. & lib. 2. & 3. contra Pelag. August. lib. de natura & gratia, cap. 16. & 29. & lib. de gratia & libero arb. cap. 4. & 5. & lib. 3. Hypognosticon. Chrysostomus homil. 2. in epist. 2. ad Corinth. Anselmus in epist. 1. ad Corinth. cap. 15. super illa verba: Non ego sed gratia Dei mecum. S. Gregorius homil. 9. in Ezechielem. Bernardus lib. de gratia & libero arb. & Concilium Tridentin. sess. 6. can. 32.*

Octa-

Universidad de Deusto
Biblioteca



## Octaua Cassiani propositio.

NOstrarum qualitatem cogitationum aut recordationum in nostra posità esse potestate.] *Id affirmat Coll. 1. cap. 17. & 19. & Coll. 7. cap. 4. Hoc loco illud adnotandum est quod scribit Anselmus in lib. de concordia præscientiæ & prædestinationis, gratiæq. ac liberi arbitrij, cap. 3. Si bene inquit, considerentur quæ dicta sunt, aperte cognoscitur, quia cũ aliquid dicit scriptura pro gratia, non amouet omnino liberum arbitriũ; neque cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam, quasi sola gratia, aut liberum arbitrium solum sufficiat ad saluandum hominem.*] *Rectè quidem, quia cum aliquid ex multis causis dependet, nunc vni earum, nunc alteri potest adscribi, dummodo cetera non excipiantur. Hinc illæ scripturarum voces: Spe salui facti estis: Iustus ex fide viuit: Charitas operit multitudinem peccatorum: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum: Fides tua te saluã fecit: Eleemosinam extinguit peccatum. Nihil horum certe solum iustitiam perficit Christianam, quæ tamen nunc isti, nunc illi tribuitur seorsim, quia his omnibus vera pietas nititur. Sic etiã loquuntur & sancti Patres: ex quo magna nobis ad intelligendum Cassianum præsidia comparantur. Nam quod ad cogitationem qualitatem spectat, Augustinus lib. 3. de libero arbitrio ita scribit: Quoniam voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquid visum; quod autem quisque vel sumat vel respuat, est in potestate: sed quo viso tangatur, nulla potestas est: fatendum est & ex superioribus & ex inferioribus visis animũ tangi, vt rationalis substantia & ex vtroque sumat quod voluerit, & ex merito sumẽdi vel miseria vel beatitas subsequatur. Idem tradit Basilius in homilia, Attende tibi ipsi. Augustinum & Basilium sequitur Cassianus, docens qualitatem nostrarum cogitationum a nobis pendere: sed neuter id nobis solum deputat, verum indicare voluerunt esse etiam penes nos, adiuuante Deo, visa quibus tangimur respuere, vel probare: & ita pijs meditationibus consuescere, vt turpibus visis aditus præcludatur.*

## Nona Cassiani propositio.

POst recentem hominis lapsum clarius fuisse lumen rationis, vt minus Deo tunc egeret illuminante quàm post-



postmodum.] *Sic habetur Coll. 8. cap. 23. Quod quidem nouum iudicari nõ debet, cum id ante Cassianum docuerit Hieron. epist. 8. de virginit. ad Demetriad. disertis verbis. Cuius rei hæc ratio potest assignari. Notissimum est philosophis, affectus qui sentiẽtem animum perturbant, sine corporis commutatione quadam non excitari: sanguis enim nunc efferuescit, nunc tepescit, fluit, refluit, procurrit, recurrit. Cor etiam varie aut contrahitur, aut dilatatur. His cordis & sanguinis affectionibus afficiuntur varie parentum corpora, eorumq. facultas seminalis, quæ uitium quod hausit a fonte, ad liberos tamquam ad riuos transfundit, & dum filij naturæ quam acceperunt a parẽtibus uitiatam, nouam suis ipsi moribus adijciunt corruptelam, fit ut quo diuturnior temporum decursus est, eo bona natura semina magis obruantur, maiorq. nepotibus quàm eorum maioribus necessitas gratiæ illuminantis accedat.*

## Decima Cassiani propositio.

DIuidere Spiritum sanctum varios gratiæ gradus pro vario hominum captu, labore, industria, conatu.] *Id significat lib. 6. de Instit. renunt. cap. 18. Coll. 3. cap. 11. & 12. & Coll. 13. cap. 15. & 16. Hoc vt catholice intelligatur, illud tenendum est, nostrum hunc captum & conatum, cui Deus suæ gratiæ dicitur adaptare mensuram, referri posse ad tria. Primum quidem ad remotam præparationem, quæ cum nonnulla esse possit ex nobis, cum Deus eam misericorditer respicit, & iuxta eam sua dona largitur, dici potest vtcumque noster conatus mensura gratiæ, utcumque dixi, quia non proprie & perfecte: tum quia ista hæc præparatio uix fines meriti congruentis ingreditur: tum quia illius modum diuinæ largitatis magnitudo frequenter excedit. quod diserte Cassianus affirmat Collat. 13. cap. 16. additq. cap. 11. & 15. nonnullos esse quos de salutis suæ remedio nihil cogitantes, neque ad id se præparantes, Deus spontanea gratiæ suæ dignatione præeligit. Referri potest secundo loco noster ille conatus & captus ad proximam dispositionem: cuius quia Deus est auctor, cum eius modulo Deus iustificantem gratiam metitur, non potest nostra uoluntas dici mensura gratiæ sed diuina, quæ tantum gratiæ qua iustificamur infundit, quantum gratiæ præuenientis admouerat, licet etiã hic nostræ uoluntatis conatus exigatur, qui tamen cum diuina licet motione*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*tione coniunctus, ad iustitiam consequendam, nullam meriti obtinet condignitatem, vt in Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. decernitur. Postremo noster ille captus & conatus spectari potest in eo qui gratia iam inhærente iustus est: & negari non potest illam esse mensuram ex condignitate parem augendæ gratiæ & charitati. Charitas, inquit, August. tract. 5. in epist. Ioan. meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Idem Concil. Trident. sess. 6. cap. 10. Et licet vir iustus solo habitu gratiæ virtutumq. infusarum non satis munitus sit ad pietatis opera uel omnia uel semper obeunda: ad nonnulla tamen & aliquãdiu inhabitantem gratiam & uirtutes satis esse citra noui auxilij necessitatem sentiunt Caietan. 1. 2. q. 109. art. 8. Dominicus Sotus lib. 3. de natura & gratia, cap. 4. & Decanus Louaniensis art. 7. de lib. arbitr. Et sicut in potestate est obtinentis gratiam, ea nihil uti ad operandum (propter quod rogat Apostolus, ne in uacuum gratiam Dei recipiamus: & ipse de se prædicat: Gratia eius in me uacua non fuit) ita etiam iusto unicuique liberum est uel tantum operari quantum potest ex gratia, uel minus: ita ut posse operari tantum, aut tantum, sit ex gratia: operari uero lentius aut enixius, intra mensuram & latitudinem acceptæ gratiæ: & per gratiam quam possidet, aliam maiorem, minoremue lucrari, ex nostra pendeat libertate, ut ait Cassianus, nec ad id nouo semper sit opus auxilio. Multa sunt in hanc sententiam sanctorum Patrum testimonia, præsertim Hieronymi lib. 2. aduers. Iouinianum, & lib. 1. contra Pelag. Dionys. Areopag. lib. de cæle. hierarch. cap. 9. & lib. de diuin. nom. cap. 4. Orig. lib. 7. in cap. 8. ad Rom. Chrysost. homil. 9. quòd nemo lædatur nisi a seipso. Immo idem hic sanctissimus doctor homil. 19. in Act. Apostol. significat id quod Cassianus lib. 6. cap. 18. docet de peculiari progressu S. Pauli in scientia ob uehemens scripturarum studium.*

## Vndecima Cassiani propositio.

EOs quorum Deus fidem ac virtutem per se vel per aliũ tentatorem explorat, a diuina gratia paulisper subrelinqui, vt probentur, & suis non Dei viribus vincant. ]

*Totidem uerbis id asserit Coll. 13. cap. 14. atque ita tentatam putat tolerantiam Iob traditi in manus satanæ, obedientiam Abrahæ in filio immolando, & fidem Centurionis cui Dominus suam præsentiam obtulit, dicens: Ego ueniam & curabo eum. Mirabitur quisquam tam gloriosam de teterrimo hoste uictoriam*



*uictoriam fortissimo Iob obtingere potuisse sine gratia, ut ei uideãturnec martyres in suis agonibus gratia uiribus eguisse, si Iob tam grauem oppugnatorem Deo non iuuante prostrauit. Duplex huic loco potest adhiberi interpretatio. Prior quidem, quod hic Cassianus usurpet gratiæ nomẽ iuxta latissimã eius significationem, qua non solum internas Spiritus sancti motiones, habitusque infusos, sed omnem etiam gratuitam Dei curam, iustorumque protectionem extrinsecus adhibitam cõprehendit: quo sane modo eos destituere diuina gratia dicitur quos a molestijs, laboribus, ærumnis, nocumentis non seruat aut liberat. Hinc illi iustorum gemitus & querelæ: Deus Deus meus, quare me dereliquisti? Dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eũ, quia non est qui eripiat: Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei &c. Et hæc derelictio sanctorum uexationem cruciatũq. designat, non internæ fortitudinis amotionem. De hac enim præcipue sunt illæ promissiones. Non te deseram neque derelinquam: Cũ ipso sum in tribulatione: Non uidi iustum derelictũ: Sapientia uenditum iustum non dereliquit, &c. Cassianum uero non loqui de interna derelictione, sed de externa: nec de gratia auxiliante ad perferendum, sed de gratia nos protegente a malis, patet ex illis uerbis quæ de Iob in hũc modum scribit: Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere uirtutem, non eum ab illius impugnatione sic protegens, ut nullum uirtuti humanæ relinqueret locum, sed hoc tantum procurans, ne uiolentissimus inimicus animam eius amentem faciens & impotẽ sensu, impari eum atque iniquo certaminis pondere prægrauaret. Et infra de Abraham: Vnde, inquit, non immerito fidei eius constantia comprobatur, atque ad eum subueniente gratia Dei, quæ eum paulisper subreliquerat ut probaret, ita dicitur: Ne inferas manum tuam in puerum, neque facias ei quidquam: nunc enim scio: quia times Deum tu, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Itaque docere tantum uoluit, iustos destitui gratia, qua uindicat ab aduersis, non ea quæ eos in aduersis fouet ac sustinet ne succumbant: & pugnare eos nõ Dei uiribus ait, sed suis. Dei namque uiribus tunc pugnarent, cum Deo agente seruarentur illæsi; suis uero pugnant; cum læsi tolerant ea quæ lædunt. Suis dixit, non suis tantum, ut nostræ uoluntatis conflictum & conatum adhibendum esse moneret.*

non

Universidad de Deusto
Biblioteca



non autem soli gratiæ fidendum. Ideo dixerat de Iob, eum cõtra inimicum suæ virtute, non Dei solius gratia protegente congressum esse, nec absque vlla virtute patientiæ suæ, diuina tantum opitulatione suffultum. Et infra: Cum istum, inquit, prophetam aut somniatorem surgere permiserit Deus, ita ne eos quorum fidem probare disponit, protecturus esse credendus est, vt nullum penitus locum quo suis viribus cum tentatore confligant, libero eorum reseruet arbitrio? Alteram subijciam interpretationem, vt licet gratia proprie pro dono intus opitulante aut etiam inhabitante sumatur, hac tamen bifariam destitui nos posse intelligamus. Primum, cum non suppeditantur facultas ad sustinendum necessaria. Iterum, cum licet quantum satis est suppetat, nil vltra tamen additur, quod id quod pati possumus, ex gratia minus laboriosum molestumq. reddatur. Priori quidem modo numquam Deus quærentes se derelinquit: posteriore autẽ frequenter. Vult enim suos athletas, virtutes quas ipsis impertijt exerere, nec quærere vt nullo dolorum molestiarumq. sensu tangantur, tamquam diuinæ dulcedinis ebrietate consopiti, sed acceptæ gratiæ vim totam experiantur perferendo & quanta illa est in praxim & opus adhibendo, licet id ipsis multum tristitiæ & angoris sit allaturum, vt in eos quadrent illæ voces: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Omnis creatura ingemiscit, & partuvit vsque adhuc: non solum autem illa. sed & nos ipsi primitias spiritus habentes: Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, &c. Derelinquit igitur suos Deus, cum nouam gratiam non suggerit, sed collatæ vsum exigit. Præclare totũ hunc locum illustrat Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν: Sicut hi, inquiens, qui agonibus præsunt, eos qui ad certamen veniunt, non vtcumque neque fortuito inter se sinunt inire certamina sed diligenti examinatione prout corpora viderint vel ætates, æquissima comparatione iungentes illum cum illo; verbi gratia, pueros cum pueris, viros cum viris, qui sibi vel ætate vel roboris propinquitate conueniant. Ita intelligendum est etiã de diuina prouidentia, quòd omnes qui in hos humanæ vitæ descenderint agones, iustissima moderatione dispenset secundum rationem vniuscuiusque virtutis, quam ipse solus, qui solus cordã hominum intuetur, agnoscit; vt alius quidem pugnet aduersus carnem talem, & alius quidem in tantum tempus, alius vero in tantum; & vt alter insliget carnem in hoc vel illud, alius vero in aliud: tum vero vt alius resistat aduersus



uersus inimicam potestatem illam vel illam, alius vero aduersus duas vel tres simul; aut nunc quidem aduersus aliam nunc iterum aduersus aliam, & certo tempore quo aduersus illam, vel post quæ gesta aduersus quas pugnent, post quæ vero aduersus quas malitias. Intuere enim ne forte tale aliquid indicetur per hoc quod dicit Apostolus: Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: ideſt, pro eo quòd singuli pro virtutis suæ quantitate vel possibilitate tentantur. Nec tamen quoniam diximus iusto iudicio vnũquemque pro virtutis suæ quantitate tentari, idcirco putandum est quia omni genere debeat vincere qui tentatur. Sicut ille quidem qui in agone contendit, quamuis æqua moderatione comparatus sit aduersario, non tamen omni genere vincere poterit. Verum nisi æqualis fuerit certantium virtus, non erit iusta palma vincentis, nec iuste culpabitur victus, propterea quod permittit quidem nos tentari, non tamen supra id quod possumus. pro viribus enim nostris tentamur; vt vero hoc quod posse nobis ipse dedit, vel strenue vel segniter impleamus in nobis est. Dubiũ enim non est quin in omni tentatione adsit nobis tolerandi virtus, si tamen nos competẽter vtamur virtute concessa. Non enim idem est habere vincendi virtutẽ, & vincere; sicut ipse Apostolus cautissimo sermone signauit, dicens: Quia dabit Deus exitũ vt sustinere possitis, non vt sustineatis. Multi enim sustinent, sed in tentatione vincuntur. A Deo autem datur non vt sustineamus (alioquin nullum iã videretur esse certamen) sed vt sustinere possimus. Ea autem virtute, quæ nobis data est vt vincere possimus secundũ liberi arbitrij facultatem, aut industrie vtimur, & vincimus; aut segniter, & superamur. Si enim totum nobis hoc detur vt omni genere superemus, & nullo modo vincamur; quæ iam superest causa certandi ei qui vinci non potest? aut quod palmæ meritum, vbi repugnandi adimitur vincendiq. facultas? Si vero æque quidem omnibus nobis vincendi possibilitas præbeatur, in nostra autem positum sit potestate, quomodo hac possibilitate vti debeamus, ideſt, vel industrie vel segniter, iusta erit vel victi culpa, vel palma victoris. hæc Origenes. Cui cõsimilia scribit S. Gregorius, sed breuius, lib. 2. moral. cap. 11. Idem vero cũ Origine sensisse Cassianũ, ex Col. 13. cap. 13. potest intelligi, namque sic scribit: Magister gentiũ licet gratia Dei apostolatus gradũ sortitũ se fuisse testetur, dicens: Gratia Dei sum id quod sum: tamẽ se quoque diuinæ gratiæ respõdisse pro-

pronuntiat, dicens: Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui; non autem ego, sed gratia Dei mecum. Nam cum dicit: Laboraui, conatū proprij signat arbitrij. Cum dicit: Non autem ego, sed gratia Dei virtutem diuinæ protectionis ostendit. Cum dicit: Mecum: non otioso neque securo, sed laboranti ac desudanti eam cooperatam fuisse declarat. hæc Cassianus. & subdit statim initio capitis 14. Quod etiam in Iob probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam. Vides quod de Paulo dixerat, transferre etiā in Iob, nempe vt laborauerit quidem, nō tamen solus, sed gratia Dei cum ipso, & gratia Dei in eo vacua non fuerit. quod & sequentibus confirmat verbis: Si contra inimicum, inquit, non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus. & absque vlla virtute patientiæ suæ, diuina tantum opitulatione suffultus (animaduerte non excludi gratiam, sed solam fuisse negari, quia Iob ex se adhibuit vsum gratiæ, & hoc appellat Cassianus sua illum virtute pugnare) multiplices illas tentationum moles pertulisset: quomodo non illam calumnioſam diabolus, quam prius emiserat vocem aduersus eum iustius iteraſſet: Numquid gratis Iob colit Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum eius, & vniuersam substantiam eius per circuitum? Sed aufer manum tuam, idest, sine eum suis mecum viribus decertare; nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cum nullam eiuscemodi querimoniā calumnioſus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei sed illius se victum viribus confitetur.] Illius, inquit, viribus quia suis ille viribus vsus est, gratia perferens omnem moleſtiam, nec expectans tantam sibi superinfundi gratiam, quæ omnem moleſtiam absorberet; sed exprompſit quidquid in ipso erat, vt gratiæ cooperaretur; quæ quidē absque dubio pugnæ erat æqualis, licet atrociſſimæ. Non enim sine copioſa gratiæ vbertate ad tantam peruenisset sanctitatem, quantam diuinū illud præconium declarat: Numquid conſideraſti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deū, & recedens a malo? Hanc præterea Cassiani fuisse sententiam declarat, quod de Abraham ibidem subdit: Explorationem, inquit, fidei in Abraham quoque diuina dispensauit iustitia cum dicitur: Et factum est post hæc verba, tentauit Deus Abraham. Non enim illam fidem quam ei Dominus inspirabat, sed illam quam vocatus semel atque illuminatus a Domi-



no, per arbitrij libertatem poterat exhibere, experiri voluit diuina iustitia. Vides augmentum solum gratiæ tempore tentationis remoueri, non gratiam ante collatam, cuius vsum in tentatione poterat exhibere. Eadem ratione exponi potest tam quod subdit de Deo nos probante per pseudoprophetam aut somniatorem, quàm quod scribit de gentibus in circuitu Hebræorum relictis vt Israel exerceretur ad prælium; illud etiam quod de Centurionis fide affirmat, de qua Dominus in Euangelio: Non inueni tantam fidem in Israel. Non enim Cassianus, qui sæpe docuerat fidem esse donum Dei, negat Centurionis fidem a patre luminum descendisse, sed supra fidem qua iam Centurio credebat in Christum, aliam adiectam fuisse, vt in magnificā illam professionem erumperet: Domine non sum dignus, &c. Illam enim contendit exhiberi potuisse ex fide, quam iam habebat. Cui rei quædam fauere videntur argumenta. Primum, quòd scribit, cum Dominus ei suam obtulit præsentiam, ideo obtulisse vt fidem tentaret, in qua fidei exploratione similem illum facit Abrahæ: Abrahæ, vero non fidem adscribit, sed vsum. Deinde, quod subdit hæc verba: Tale est & illud quod ab Apostolo dicitur: Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendit nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione & exitum, vt sustinere possitis. Cum enim dicit. Qui stat, videat ne cadat: solicitam reddit arbitrij libertatem, quam vtique nouerat percepta gratia vel stare per industriam, vel cadere per negligentiam posse. Cum autem infert: Tentatio vos non apprehendit nisi humana; infirmitatem eorum & inconstantiam necdum robustæ mentis exprobrat, qua adhuc spiritalium nequitiarum turbinibus non poterāt impugnari, aduersum quos semetipsum vel illos perfectos nouerat quotidie dimicare, de quibus ad Ephesios dicit: Iam non est nobis collutatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Cum vero subiungit: Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tētari supra id quod potestis; non utique optat ne eos Dominus tentari permitteret, sed ne supra id, quod sustinere poterant tentarentur. Illud enim indicat humani arbitrij facultatem, hoc vero Domini gratiam tentationum luctamina moderantis ostendit. In his igitur omnibus approbatur ita semper di-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*uinam gratiam arbitrium hominis incitare, vt illud non in omnibus taliter protegat ac defendat, vt non etiam propriis eũ conatibus congredi aduersum spiritales faciat inimicos, in quibus vel gratiã Dei victor, vel infirmitatem suã superatus intelligat: & ita discat non de sua fortitudine, sed de diuino semper sperare suffragio, atque ad suum iugiter recurrere protectorem.* ] *Neque moueat quemquam quod de Centurionis fide paulo ante dixerat: Nullius laudis esset ac meriti si id in eo Christus quod ipse donauerat, pratulisset: alioquin dixisset: Non dedi tantam fidem in Israel.* ] *Non enim de fidei habitu, vt ostendimus: loquitur, sed de vsu atque actu quem exhibere nostra potestatis est: & in hoc posita est ratio meriti nascentis ex opere operantis, de quo hic erat sermo. Hæ duæ expositiones huic capiti posse conuenire videntur, quarum alteram nisi cautus lector adhibeat, Cassianum hac in re cũ Pelagianis sensisse facile iudicabit.*

## ET QVÆSTIONE IAM DE GRATIA & libero arbitrio pertractata, restant paucæ quædam aliæ Cassiani sententæ, quæ piam interpretationem desiderant: eas infra subiecimus.

### Coll. 8. cap. 17. & Coll. 13. cap. 12.

VNicuique nostrum duo cohærent angeli, ideſt, bonus & malus, vt liber Pastoris docet. ] *De hoc libro Pastoris ita scribit Hieronymus in Catalogo virorum illustrium: Hermas, cuius Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit, asseritur auctor esse libri, qui appellatur Pastor, & apud quasdam Græcia ecclesias etiam publice legitur. Re vera vtilis liber, multiq. de eo scriptorum veterum vsurpauerunt testimonia: sed apud Latinos ignotus est, hæc Hieronym. Ceterum tanto ante Tertullianus in lib. de Pudicitia, eam scripturam ab omni cõcilio ecclesiarum inter apocrypha & falsa iudicatam affirmat: & demum Gelasius Papa in c. Sancta Roma. dist. 15. vt apocryphã repulit. Itaque quod de malo angelo*



*angelo liber ille Pastoris affirmat falsum est, licet id scripserit etiam Origenes homil. 35. in Lucam. nisi forte figurate mali angeli nomine, qui nobis cohæret, fomes ipse intelligatur peccati, qui ex mali angeli suggestione traxit originem.*

### Coll. 9. cap. 19.

QVi mentis est purissimæ, nouit testimonio conscientiæ suæ, cum apparuerit Christus, mox eius se futurũ esse consortem. ] *Huc pertinet illud Pauli ad Roman. cap. 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. & illud 2. ad Corinth. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Ex hoc testimonio dicit Cassianus nosse iustos fore se Christi consortes. sed nõ affirmat eos id certo nosse: quia hæc notitia certior incertiorve esse potest, prout Spiritus sanctus per clariora vel obscuriora signa reddit nobis de nostra salute testimonium, qualia sunt interna dulcedo, mentis illustratio, vitæ puritas, & id genus alia, in quibus tamen nihil est indubitatum, nisi certissima accedat reuelatio, quasi humanæ menti opus est, vt in agnoscenda Spiritus sancti præsentia non fallatur, multo magis vt de sua perseuerantia in bono certior fiat. Quare quod ponit Cassianus testimonium conscientiæ de obtinendo Christi consortio, nec de perseuerãte, nec de præsente iustitia potest esse certũ, sed vel de altera, vel de vtraque probabiliter verum.*

### Coll. 9. cap. 23. siue 24.

IN Oratione Dominica nihil caducũ vult a se Christus, nihil vile, nihil temporale æternitatũ conditor implorari. ] *Non quòd putet Cassianus temporalia non esse petenda, sed non esse eorum causa petitionem spiritalium post habendam. Subdit enim: Magnificentiæ Dei ac munificentiæ maximam irrogabit iniuriam quisquis his sempiternis petitionibus prætermissis transitorium aliquid & caducum ab eo maluerit postulare.*

### Coll. 17. cap. 15. & seqq. & lib. 5. de Institut. renunt. cap. 37. & 39.

EX quadam œconomia & dispensatione licere officiose mentiri. Et hanc maculam seu nubeculam quandam

Universidad de Deusto
Biblioteca



subire potius quàm veritatem profiteri nobis alijsve noxiã, probatur ex patriarcharum multis prophetarumq. mendacijs, qui omnibus omnia facti, aliquid a perfectionis rigore relaxauere mentiendo.] *Hæc sententia tuta non est, ut fuse probat Augustinus libris duobus contra mendacium ad Consentium, eamq. damnat in Priscillianistis hæreticis. Vnde Innocentius iij. in c. super eo de usuris. decernit diuini uerbi præcepto tueari, ne quis etiam pro alterius uita seruanda mentiatur. Verum priusquam ea ueritas ab Ecclesia definiretur, nonnulli patres Platonem lib. 3. de Rep. secuti senserunt uirum prudentem posse officioso mendacio non secus uti, quàm medicamento: Ita Origenes lib. 6. & 10. Stromat. Chrysostomus in fine libri primi de sacerdotio, & homil. 32. & 53. in Genesim, & epist. ad Olympiam. S. Hieronymus in 2. cap. epistolæ ad Galatas: quod ei per litteras obijcit Augustinus. Horum itaque sententiam secutus est Cassianus, priusquam Ecclesia contrarium decerneret.*

## Coll. 20. cap. 8.

QVis est, qui non possit suppliciter dicere: Peccatũ meũ cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non operui, vt per hanc confessionem etiam illud confidenter subiungere mereatur: Et tu remisisti impietatem cordis mei? Quòd si verecundia retrahente reuelare coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas, ac dicere: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. tibi soli peccaui, & malum coram te feci; qui & absque vllius verecundię publicatione curare, & sine improperio peccata donare consueuit.] *Non uidetur negare necessitatem pœnitentiæ & confessionis secretæ, sed publicæ, cuius ipsemet Cassianus meminit lib. 2. de Instit. renunt. cap. 15. & 16. lib 3. cap. 7. lib. 4. cap. 16. & 20. lib. 1. de Incarnat. cap. 4. Et certe si quis attente eius uerba perspiciat, animaduertet ea in publicam quadrare pœnitentiã de peccatis secretis: Si reuelare, inquit, peccata tua coram hominibus erubescis. non dixit coram homine, uel sacerdote. & subdit: Deus remittere consueuit absque ullius uerecundiæ publicatione, & sine improperio. nam a secreta confessione longe absunt & publicatio & improperium: de qua illum non esse locutum, illud argumento est, quòd nullus ueterum aut recentiorum, hunc illi errorem obiecerit. Quare*



*Quare secutus uidetur doctorem suum Chrysostomũ ita passim loquentem, qui tamen numquam, sicut nec eius prædecessor Nectarius, secretam sustulit confessionem, sed publicam, ut fuse aduersus Caluinum probat Decanus Louanienſis art. 5. de Confessione.*

## Coll. 21. cap. 4.

SIc Dauid præcepta legis cognoscimus supergressum, qui præcipiente Mose vt inimicis talio redderetur, non solũ hoc non fecit, verumetiam dilectione complexus est persequentes, & pro his Domino pie supplicans etiam lugubriter fleuit, & vltus est interfectos.] *Præcipiẽte inquit; & uere: præcipitur enim exod. 21. Leuit. 24. Deuter. 19. sed iudicibus præcipitur, qui ministri Dei sunt ad uindictam malorum, laudem uero bonorum: priuatis autem id non præcipitur, immo prohibetur, cum dicitur Deuter. 32. Mea est ultio, & ego retribuam. quod Paulus Apostolus in epist. ad Rom cap. 12. ijs uerbis refert: Scriptum est: Mihi uindictam, & ego retribuam. Tametsi neque Moses, neque ulla lex uetuit, quin deposito odio & cessante scandalo, possent priuati a iudicibus exposcere ultionem studio iustitiæ, boniue publici, uel ad emendationem peccantis, ut fuse declarat S. Thomas 2. 2. q. 108. Nam quæ de perferendis iniurijs ac remittendis habentur in Euangelio, non secundum operis exhibitionem semper, sed secundum animi præparationem exponit August. lib. de serm. Domini in monte cap. 34. Hanc legis concessionem dicitur Dauid supergressus, quòd nollet vti lege quæ præcipiebat iudicibus, ut talionem redderent, præsertim cum id, qui læsi erant, postularent.*

## Ibidem cap. 10.

FActum Theonæ qui post consummatum matrimoniũ relicta coniuge monasticam vitam professus est, Cassianus narrat si nõ studio laudatoris, at fide narratoris, & subdit: Puto tot spiritalium virorum Deo auctore prolarũ non errasse iudicium, quod etiam tanta signorum, vt supra iam dictum est, admiratio confirmabat.] *Quæ uerba significant peculiarem aliquem instinctum sancti Spiritus interuenisse uel impellentis ad faciendum, uel factum comprobantis uirtute miraculorum: idq. præter ordinem & legem, ut haberemus, quod miraremur, non quod imitaremur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## Ibidem, cap. 29.

PRo intelligendo capite 29. Coll. 21. illud videtur præmonendum, duplicem a Theologis distingui legis tam diuinæ quàm humanæ vim ac potestatem. Vnam quidem, quæ instar regulæ, humanas dirigit actiones, suiq. transgressores peccati vinculo deuincit. Alteram vero quæ subditos ad sui obseruãtiam cogit, minis eos pœnisq. coercendo. Et quidem constat inter omnes catholicos, quod ad vim directricem pertinet, omnes legi subiacere, siue iniustos siue iustos, siue imperfectos, siue perfectos, ita vt qui eam violant scientes & volentes, licet antea sanctissimi fuerint, & culpam & pœnæ reatum incurrãt. Quod vero spectat ad cogendi puniendiq. potestatem, perfectos viros a lege Paulus Apost. eximit, cum dicit: Iusto non est lex posita; quia non coacti metu pœnarum obtemperant legi, sed ex charitate, quæ si perfecta est, foras mittit timorem. Ita sentit August. concione 10. in Psalmum 118. ita & Cassianus lib. 4. de institut. renunt. cap. 39. & Coll. 21. cap. 13. His expositis facile est catholice interpretari quod de quadragesimæ scribit eadem Coll. cap. 29. sic enim ait: Hac igitur quadragesimæ lege qui iustus atque perfectus est non tenetur; nec exigui huius canonis subiectione contentus est, quem profecto illis qui per totum anni spatium delicijs vel negotijs sæcularibus implicantur Ecclesiarum principes statuerunt; vt vel hac legali quodammodo necessitate constricti, his saltem diebus vacare Domino cogerentur, ac dierum vitæ suæ, quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, uel decimas Domino dedicarent. Ceterum iusti quibus lex non est posita, quique spiritalibus non exiguam illam, ideſt, decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impẽdunt, quia liberi sunt a decimarum legalium functione, idcirco si eos superueniens honesta & sancta necessitas coartarit, audent stationem ieiunij absque vlla disceptatione laxare.] *Hoc ipsum probat Rabanus lib. 2. de Institut. cleric. cap. 20. & Isidorus lib. 1. de ecclesiasticis officijs cap. 36. & vterque Cassiani testimonio id confirmat. Non desunt tamen qui sustineantur hoc loco fauere Cassianum Begardis & Beguinis, quorum hæreses damnatæ sunt sub Clemente V. in Concilio Viennensi, relato inter Clementinas in Clem. ad nostrum. de hæreticis. De secundo enim & tertio illorum errore ita scribit Concilium: Asserunt secundo quòd ieiunare non oportet hominem nec orare postquam gradum perfectionis huiusmodi fuerit assecutus: quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui & rationi subiecta, quòd homo potest libere corpori concedere quidquid placet. Tertio, quòd illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis & spiritu libertatis, non sunt humanæ subiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligãtur: quia (vt asserunt) vbi spiritus Domini, ibi libertas.] Neutrum errorem sapit Cassianus, qui Coll. 10. cap. 10. perfectos toto anno affirmat ieiunare, orare vero omnibus momẽtis & actionibus: & præter frequentissimas obedientiæ laudes; quibus omnes suas Institutiones & Collationes aspersit, Collatione etiam 19. cap. 6. inter alia commoda vitæ socialis, quæ esse commemorat in cœnobio, illud adijcit abbas Ioannes, quòd vsque ad finem, inquit, subiectus abbati, illum aliquatenus videar æmulari, de quo dicitur: Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem; merearq. illius verbum humiliter dicere: Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris.] A lege itaque Quadragesimæ non eximit perfectos, vel nomine perfectionis, vel prætextu vanæ libertatis quo nitebantur Begardi & Beguini, dicentes: Vbi spiritus Domini, ibi libertas: sed tribus de causis, quæ ex eius verbis colligi possunt. Primum, quia iusto non est lex posita, ait Apostolus 1. Timoth. 1. Deinde quia qui totum vitæ tempus spiritalibus officijs impendunt, liberi sunt a decimarum legalium functione, qualem dicit esse Quadragesimã, per quam tamquam decimatio quædam dierum anni Deo redditur. Postremo, si eos superueniens honesta & sancta necessitas coartarit. Atque hæ tres causæ, si rectè intelligantur, veræ sunt. Quod enim ad primam attinet, notissimum est, viros iustos ac perfectos teneri quidem lege, & culpæ pœnæq. obnoxios esse, si eam vt rectè viuendi ducem non sequantur: liberos tamen a lege dici, qua parte terroribus ac pœnis homines ad sui cultum obseruantiamq. compellit, hoc enim seueritatis metu non indigent viri iusti, quibus Spiritus sancti gratia & charitas dilatauit cor ad currendam viam mandatorum Dei. In quem sensum seipsum explicat Cassianus in hac Collat. cap. 23. & lib. 4. de Institut. renuntiat. cap. 39. Altera vero causa vim habet apud eos qui sentiũt nõ teneri eos lege, præsertim humana, apud quos finis et ratio legis locum non habet. Nam si quadragenarium ieiunium institutum fuit ut decimæ quædam annui temporis auctori temporũ

*soluerentur, abunde eas soluunt qui omne uitæ tempus & se totos Deo tamquam holocausta quædam exhibent, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in lõganimitate, &c. Certe si legis potestas legis sine nititur, non possunt non probare secundam Cassiani rationẽ, qui legis obligationem ex eius fine desumunt. Quorum sententia licet eam Ecclesia nusquam damnauerit, quinimmo a plerisque uiris doctissimis defendatur, mihi tamen non usquequaque probatur, nisi tertia Cassiani ratio accedat, hoc est, honesta & sancta necessitas, quæ si sit euidens, nec ad Prælatos, penes quos ius est dispensandi in huiusmodi Ecclesiæ sanctionibus, facilis patet accessus, potest per se ipsum unusquisque ieiunium soluere, ut auctor est D. Thomas 2.2.q.147.art.4.*

## Collat.21.cap.30.

SCiendum sane hanc obseruantiã Quadragesimę quamdiu Ecclesiæ illius primitiuæ perfectio inuiolata permãsit, penitus non fuisse. Non enim præcepti huius necessitate, nec quasi legali sanctione constricti, artissimis ieiuniorũ terminis claudebantur, qui totum anni spatium æquali ieiunio concludebant. Verum cum ab illa Apostolica deuotione desciscens quotidie credentium multitudo suis opibus incubaret, nec eas vsui cunctorum secundum Apostolorum instituta diuideret, sed priuatim impendijs suis consulens non seruare tantum, sed etiam augere contenderet. Ananię & Sapphirę exemplum non contẽta sectari; id vniuersis tunc sacerdotibus placuit, vt homines curis sęcularibus illigatos, & pene (vt ita dixerim) continentię uel compunctionis ignaros, ad opus sanctum canonica ieiuniorum indictione reuocarent, & uelut legalium decimarum necessitate compellerent, quæ vtique infirmis prodesse posset, perfectis prędiudicare non posset, qui sub gratia Euangelij constituti, uoluntaria legem deuotione transcendunt] *Hic locus non pugnet usquequaque cum Patrum constantissima sententia: qui Quadragesimam ad Apostolorum referunt traditionem. Licet enim instituendi quadragesimale ieiunium ratio consecrata fuerit tum in Mosis, Eliæ, & Christi ieiunio, tum in præcepto Domini de ieiunando generaliter, cum dicit Luca 5. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt, &c. tum in multis commodis quæ ex ieiunio*



*ieiunio oriuntur: fieri tamen potuit, vt cum primis illis nascẽtis Ecclesiæ annis fere quotidie ieiunarent vniuersi, nullum fuerit de Quadragesima præceptum, sed illud postmodum ad pullulantem iam quorundam licentiam coercendam accesserit de sententia omnium sacerdotum, hoc est, Apostolorum & seniorum. Nam etiam hos adhiberi solitos in concilium ab Apostolis, Lucas Actorum 15. cap. testatur. Certum itaque est Quadragesimam Apostolorum esse institutum: probabile etiã cum ipsa incœpisse Ecclesia: hoc tamen non vsque adeo certũ, vt catholice non potuerit opinari Cassianus post aliquot, hoc est, decem vel duodecim annos institutam: & ita quidem, vt eius institutio & perfectis nõ præiudicaret, vt Cassianus ait, eo modo quem exposuimus superiore capite, & incontinentes ad officij munus reuocaret, ob quos præcipue instituebatur: quod non obscure significat S. Leo sermone 4. de Quadragesima: Debebatur, inquit, quidem tantis mysterijs ita incessabilis deuotio, & continuata reuerentia, vt tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso Paschali festo dignum est inueniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, & dum carnis fragilitate austerior obseruantia relaxatur, dumq. per varias actiones vitæ huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere, magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandã mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent.*

## Lib.5.de instit.renunt.cap.40.

LAudat duos adolescentes, qui vitam amittere maluerũt, quàm citra seniorum mãdatum vesci ficubus, cũ aliud non haberent.] *Recte quidem laudat obedientiam & simplicitatem, ob quam ipsis id vitio datum non est, tametsi ex suo genere non sapienter id factum sit, cum potuissent (nisi ætatis imperitia obstitisset) mandatum senioris in extrema necessitate pro se interpretari, si id ad vitam tuendam sufficere potuisset.*

## Lib.12.de instit.renunt.cap.4.& 5.

AMisit diabolus beatitudinem, qua Dei munere fruebatur.] *Beatitudinem vitæ intellige, non patriæ. Illa in fide, spe, amore & contemplatione absentis boni posita est; hæc*

*vero*

*vero in Deo videndo facie ad faciem, atque eo sicut cogniti sumus cognoscendo.*

## Lib. 3. de institut. renunt. cap. 2.

GRatius est voluntarium munus, quàm functiones quæ canonica compulsione redduntur.] *Gratius, subaudi, nobis; nam Deo, non item, nisi ex accidenti, cum tristitia ex præcepto multum demit ex animi hilaritate, cuiusmodi affectio aptior est ad incrementa charismatum, quàm tristitia ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.*

## Ibidem, cap. 9. & 10.

CAusam cur in Vrbe sabbato olim ieiunaretur, putat esse, quia Apostolum Petrum eodem die contra Simonem magum conflictaturum Romani assererent ieiunasse, cum antea non ieiunaretur.] *At Innocentius primus epist. 1. ad Eugubinum episcopum cap. 4. feria sexta & sabbato ieiunãdum esse tradit, quia ea biduo mœsti Apostoli ob Christi Domini mortem ieiunarunt. Si amba causa nequeunt esse vera, error est Cassiani in historia, quam cum ipse ab Vrbe longe abesset, ita retulit sicut acceperat a quibusdam Romanorum, quos in ea sententia fuisse refert Augustinus epistola 86. ad Casulanum; tametsi addat a plerisque Romanis eam falsam iudicari. Quod vero adjcit Cassianus toto Oriente ieiunari ex traditione apostolica quinis hebdomadæ diebus, sabbato vero & Dominico die ieiunium solui, ne corpus inedia flaccescat; id obseruari a multis, maxime a monachis, testatur Augustinus. Romæ etiam paucissimos clericos aut monachos sex diebus ieiunare, vt solo die Dominico ieiunium relaxent. Illud etiam Cassiano cum Augustino conuenit, nec in Oriente, nec in multis Occidentis partibus sabbato ieiunari; ex quo colligunt hoc ieiunium ex Apostolorum traditione non descendisse, & recte. Neque Innocentius ieiunium sabbati Apostolorũ præcepto institutum tradit, sed exemplo; nempe quia Apostoli cum Christus pateretur ieiunarunt. Quartam tamen & sextam ferias ieiunio deputatas ab Apostolis sensit Augustinus; illam, quia tunc consilium iniere de occidendo Domino; hanc vero, quia in ea mortuus est. sabbato autem, quia quieuit in sepulchro post opus redemptionis, vt olim Deus peracto creationis opificio. Inde, ait Augustinus, orta varietas, vt alij sint (maxime Orientis populi) qui propter requiem significandam mallent relaxare ieiunium: alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare. sicut Romana & nonnullæ Occidentis ecclesiæ, inter quas fuit Africana, a qua Mediolanum profecta mater Augustini, cum ibi non ieiunantes sabbato reperisset, huiusmodi responsum ab Ambrosio accepit: Quando Romæ sum, ieiuno sabbato; quando hic sum. non ieiuno; vt ibidem Augustinus. & epistola 128. ad Ianuarium narrat. Et quidem non de sabbati, sed de quartæ & sextæ feriæ per annũ ieiunio, tamquam per totam Ecclesiam recepto, & ab Apostolis tradito, idem cum Augustino scribunt Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum. Epiphanius hæresi 75. Origenes hom. 10. in Leuit. Damascenus lib. de hæresibus, in Ærianis.*



## Lib. 5. de institut. renunt. cap. 34.

ABbas Theodorus monet monachum ad scripturarum notitiam pertingere cupientem, in animo potius purgando, quàm in commentatorum libris operam atque industriam debere collocare.] *Nõ aliud certe docet, quàm quod vniuersi Patres, præcipuum nempe intelligendarum scripturarum præsidium in cordis positum esse puritate, tametsi commentatorum libros, præsertim sanctorum nequaquam damnet se ipsum enim damnaret, qui libro vltimo de Incarnatione Domini, adfinem, ex Patrum libris clarissima aduersus Nestorium testimonia depromit, nec depromere potuisset, nisi eos diligenter perlegisset.*

## Coll. 1. cap. 20.

QVo genere illi quoque decepti sunt, qui post professionem monachi, nitore sermonis & quibusdã sunt philosophorũ dogmatibus incitati, quæ prima fronte pijs quibusdam sensibus ac religioni consonis audientes velut auri fulgore fallentia, quos semel superficie illexerant, velut numismatibus æreis falsisq. deceptos, perpetuo nudos ac miseros reddiderunt, vel ad sæculi eos strepitum reuocantes, vel ad hæreticos errores, ac præsumptiones tumidas pertrahentes. Quod etiam Achar in libro Iesu Naue legimus fuisse perpessum, qui de castris allophylorum regulam auream concupiscens atque furatus, anathemate percuti atque æterna meruit morte damnari.] *Non damnat Cassianus eloquentiæ vel philosophiæ studium, quo adiuti & inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelligimus, & diuinorum dogma-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*dogmatum veritatem.explicamus, tuemur, & exornamus; sed incautos reprehendit, qui vanis quibusdam inuentis philosophorum capiuntur potius.quàm ex ipsorum stercore aurũ excernant,& Ægyptiorum superstitione contaminant potius quàm ipsis tamquam iniustis possessoribus vasa detrahant ad veri Dei cultum transferenda; quod faciendum esse docet Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 4. cum ethnicorum libris vacatur: quo delectu ac discrimine,qui vsi non sunt, multarum hæresum segetem ac pabulum habuere philosophiam,vt scribit Tertullianus lib.de Præscriptionibus hæreticorum,& lib.aduersus Hermogenem.*

## Lib.8.de instit.renunt. cap.20.

SCiendum tamen in eo quod in quibusdã exemplaribus inuenitur: Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio;superfluum esse,Sine causa, & adiectum ab his qui amputandam iram pro iustis causis minime putauerunt; cum vtique nullus quamlibet absque ratione commotus, sine causa se dicat irasci. Quamobrem apparet ab eis adiectum qui propositũ non intellexerunt scripturæ volẽtis fomitẽ iracundiæ omnimodis amputare, nullamq. indignationis occasionem penitus reseruare, ne dum iubemur irasci cum causa,etiam sine causa irascendi nobis intromittatur occasio. Finis enim patientiæ non in irascẽdo iuste, sed penitus in non irascendo consistit. Licet a quibusdam hoc ipsum,quod dicitur,Sine causa,ita interpretari sciam,quòd scilicet sine causa irascatur is, cui expetere vltionem irato non liceat.Melius tamen est ita tenere, vt & nouella exemplaria multa,& antiqua omnia inueniũtur esse perscripta.] *Idem ante Cassianum dixerat Hieronymus super illud Matthæi 5.Qui irascitur fratri suo:In quibusdam,inquit, codicibus additur, Sine causa. ceterum in veris definita sententia est,& ira penitus tollitur.& contra Pelagianos:Qui irascitur fratri suo sine causa reus erit iudicio, licet in plerisque codicibus antiquis,sine causa,additum non sit;vt scilicet,ne cum causa quidem debeamus irasci. Augustinus etiam lib. 1. Retract.at. cap. 19. Neque tamen hos doctores credendum est commendare voluisse Stoicorũ ἀπαθείαν, quam refellit August. lib.9.de Ciuitate Dei,cap.4. & merito. Nam si ira non fuerit cum causa subest, vt ait Chrysostomus homil. 11. in Matthæum, nec doctrina proficit,nec iudicia stant, nec crimina*



*mina compescuntur.Ira itaque nomine, Hieronymus & Cassianus affectum quendam intellexerunt, qui rationem anteuertit.Hic enim etiã si ex iusta causa erumpat, modũ seruare non potest,ideo penitus nõ irascendum monent. Ceteri irã aliquando concedunt;quia eam intelligũt, quæ imperium rationis excitat ac moderatur. Vnde S. Gregor. lib. 1. Moral. cap.33. Curandum, inquit, summopere est ne ira,quæ instrumentum virtutis assumitur, menti dominetur: nec quasi dona præeat,sed quasi ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo numquam recedat. Et licet Cassianus eodem lib. cap.6. 7.& 8.significet iram ministerium ad hoc solum nobis esse insertum,vt lasciuientibus motibus ac vitijs animi nostri irascamur, tamen eadem de causa nonnumquam etiam erga alios iram proferendam esse cum ratio postularit, non obscure significat Coll.16.cap.26.cum scribit:Nec ego dixi quòd illius qui fortis est ac robustus, virtus tolerantiaq. vincenda sit, sed quòd infirmi pessima valitudo, illius qui sanus est sustentatione nutrita,atque in deterius quotidie prolabens, generatura sit causas,ob quas ipse vltra non debeat sustineri.*

## Coll.11.cap.13.

*CAssianus Christum vocat hominem Dominicum, quomodo & ante vocarant multi antiqui Patres,& Augustinus lib.83.quæst.q.36.tametsi hanc locutionem postmodum emendarit lib.1.Retract. cap. 19. quia cum Christus Dominus sit, Dominicus improprie diceretur: significaretur enim illum hominẽ non esse Deum ac Dominũ,sed Dominicũ, hoc est,esse suppositũ humanum vnitũ Domino, seu suppositο Domini:quare duo suppositа in Christo fingerentur, quod Nestorianũ est. Et quoniam constat Cassianum non solum non consensisse Nestorio sed contra eum septem libros scripsisse,quibus probat non duas,sed vnã esse Christi personam;ideo homo Dominicus apud eum excusandus est eo modo quẽ ponit S. Thomas 3.par.q.16 art.3.Homo,inquit, Dominicus nonnulla ratione posset defendi, quia scilicet posset aliquis dicere, quòd dicitur homo Dominicus ratione humanæ naturæ, quam significat hoc nomen homo, non autem ratione suppositi. Vide Ruffinum in apologia pro origine prope finem.*

FINIS.

INDEX

Universidad de Deusto
Biblioteca

# INDEX QVARVMDAM RERVM memorabilium, quæ in operibus Cassiani continentur.

Cetera quære in expositione vocabulorum, & duobus indicibus locorum sacræ scripturæ.

A

ABBAS qualis esse debeat. 13
Abrenũtiatio quid sit. 53
ea triplex est, rerum, affectuum, & memoriæ omniũ inferiorum. 223
huius eius generibus tres Salomonis libri coaptantur. ibidem.
ea non prodest, si quibus renũtiauimus, implicemur. 54
Abstinentia antiquorum patrum. 39
quo occultior, eò magis tentat. 118
ceteris virtutibus coniuncta sit oportet. 64
qualis esse debeat ad superandum spiritum fornicationis. 88
Acedia quid sit. 127
Tristitiæ affinis est. ibid.
Dæmonium meridianum dicitur. 128
solitarios circa meridiẽ maxime infestat. 127
eius virus quomodo monachos corripiat. 129
Monacho perniciosa est. 260
vnde oriatur. 255
eius duo genera. 263
quomodo superanda sit. 142
Actualis vita in præsenti tantum exercenda est. 181
post hanc vitam auferenda. 182
Aduersis qui frangi non potuit, sæpe eliditur prosperis. 147. 283
Aegyptij monachi Syris perfectiores. 468
Aereæ potestates quæ dicantur. 325
Affectus operantis, non operis effectus est intuendus. 282
Ἀγάπη & διάθεσις quid differant. 472
Agonis spiritalis fundamentum in corporis castigatione collocatum. 69
Allegoriæ vsus in scripturis sacris. 320. 442.
Ambidextri in Scriptura qui dicantur. 283
Amicitia illa indissolubilis est, quam virtutum similitudo conciliat. 466
eius diuersa genera. 465
quomodo possit inuiolabiliter retineri. 468
Anachoretæ vnde orti & appellati. 515
qualia loca expetere debeãt. 624
eorũ qualia studia esse conueniat. 025
Anagoge in scripturis quid. 442 & sequent.
Angeli an ante cælum & terram creati. 322
stabiles sunt ex Dei munere. 291
angeli mali inter se pugnant. 326
cur dicantur principatus ac potestates. 327
nomina illis vnde sint indita. ibid.
eorum ruina. 324
Anima humana æterna est. 185
post hanc mortalem vitam viuacior futura. 187
numquam potest esse otiosa. 296
molæ aquariæ similis. 190
eius pulchritudo vel fœditas in quibus consistat. 227
eius tres status. 249
motus triplex. 634
Anniuersarius depositionis defuncti dies celebratur. 530
Anthropomorphitarũ hæresis. 365
Antiphonarũ cum melodijs vsus. 12
Antonij eremitæ laus. 515
eius de perfecta oratione sentẽtia. 358
Archebius anachoreta laudatur. 81
vocatur ad episcopatum. 383
Auaritia simulachrorum seruitus. 398
reliqua vide in Philargyria.

B

Baculi quem gestant monachi Ægyptij significatio. 9
Basilij magni sententia de virginitate sua. 93
eiusdem de monacho non perfecte huic mundo renuntiante. 106
Bona quæ dicantur. 278. 564 & sequent.

C

Calceamentis quare non vterentur monachi Ægyptij. 9
Caligæ monachorum. 10
Canonicæ orationes diurnæ & nocturnæ. 12
Canonicus orandi modus ab angelo traditus. 16
Canonicus psalmorum modus. 372 & sequent.
Caro multa significat. 243
semper cum spiritu pugnat. 245
eius desideria quomodo reprimantur. 400
Carnalia vitia & spiritalia. 256 & sequent.
Castitas sanctimonia ab Apostolo nominatur. 92
homines angelis quodammodo æquat. 88
non potest perpetuo obtineri nostro tantum labore. 390
quomodo paranda castitas cordis sit. 89
ieiunijs & orationibus acquiritur. 294
quomodo conseruetur. 72
quomodo exploranda. 542
à continentia differt. 86
laudatur. 92
eius inexperti de ipsius naturæ tractare non possunt. 405
Castitas S. Basilij. 93
abbatis Pauli. 311
abbatis Sereni. 293



Calceamentis quare non vterentur monachi Ægyptij. 9
Caligæ monachorum. 10
Canonicæ orationes diurnæ & nocturnæ. 12
Canonicus orandi modus ab angelo traditus. 16
Canonicus psalmorum modus. 372 & sequent.
Caro multa significat. 243
semper cum spiritu pugnat. 245
eius desideria quomodo reprimantur. 400
Carnalia vitia & spiritalia. 256 & sequent.
Castitas sanctimonia ab Apostolo nominatur. 92
homines angelis quodammodo æquat. 88
non potest perpetuo obtineri nostro tantum labore. 390
quomodo paranda castitas cordis sit. 89
ieiunijs & orationibus acquiritur. 294
quomodo conseruetur. 72
quomodo exploranda. 542
à continentia differt. 86
laudatur. 92
eius inexperti de ipsius naturæ tractare non possunt. 405
Castitas S. Basilij. 93
abbatis Pauli. 311
abbatis Sereni. 293

euiusdam rustici. 442
eius sex gradus. 404
ei nõ nocet carnis commotio per somnium accidens. 407
magna suauitas illi coniuncta est. 412
philosophi castitatem tantum imaginariam habuerunt. 417
Cella & solitudinis vtilitas. 291
Cenodoxia quid. 143
cepa & aut bulbis comparata. 144
alijs virtutibus insidiatur. 261
aliquando vtilis est. 263
eius duo genera. ibid.
quomodo curanda. 150
Censura ecclesiastica. 23
Centuplum recipere in hac vita quomodo intelligatur. 643
Charemon abbas laudatur. 384
Cham filius Noe maleficas artes metallorum laminis, & durissimis lapidibus ante diluuium insculpsit. 333
Charismatum diuinorum tripartita ratio. 457
Charitas non solum res Dei, sed etiam Deus est. 472
etiam pro inimicis orat. 388
cũ fide & spe comparatur. 385
de seruis filios facit, & imaginem Dei confert. 387
eius officijs specialiter beatitudo promittitur. 192
eius dignitas. 185. & seq.
eius gradus. 472
ea nihil vtilius. 470
nihil illi perferendum. ibid.
Christus solus liber ab omni peccato. 592
solus venit in similitudinẽ carnis peccati. 594
solus absque peccato tentatus. 256
qua ratione tentatus sit a diabolo. 157
Cibus monachorum qualis esse debeat. 74
monachorum Aegyptij qualis sit. 39
necessitati, non voluptati. 67
etiam necessarius non sine cordis anxietate sumendus. ibid.
cibi quotidiani optimus modus. 214
cibi animæ noxij qui sint. 72
Cilicina vestis quare a monachis Ægyptijs refutata. 7
Cingulum monachorum quid significet. 519
Cœnobitica disciplina a tempore Apostolorum sumpsit exordium. 514
Cœnobitarum quis sit finis. 536
Cœnobitæ vnde dicti. 515
Cœnobium vnde dictum. ibid.
eius vtilitas. 534
eius a monasterio differentia. 519
Cogitationum nostrarum tria esse principia. 190
earum status describitur. 189
origines & principia diligenter examinanda. 191
earum mutabilitas. 378
Cogitationes suas monachi senioribus patefaciebant. 206. & seq.
Cogitationes nostras quomodo cognoscant dæmones. 303
Colobijs quare vtantur monachi Ægyptij. 8
Cõmunionem Dominicam singulis Dominicis frequentandã. 621
eam venialibus peccatis non impedirt debere. ibid.
Compunctionum diuersitas. 357
Concupiscentia carnis cur sit in homine relicta. 242
qualiter extingui debeat. 65
Cõfessio peccati quàm vtilis. 206
Consuetudines maiorum non sunt antiquandæ. 563
Contemplatiua vita. vide Theoretica. (407
Continẽtia quid differt acastitate. 616
Corpus peccati quid sit. 616
Correptio proximi qualiter faciẽda. 137
moderata esse debet. 209
Crucifigi spiritaliter quid sit. 53
Crux impressa fronti aut pectori. dæmones appropinquare non sinit. 330
Crux nostra est timor Domini. 54
Cucullæ monachorum Ægypti. 7


D


DÆmones sine permissione diuina nocere non possunt. 308
ignorant cogitationes internas hominum. 303
non sine labore cum hominibus confligunt. 306
alij alijs vitijs præsunt. 304
in impugnando homines quendam ordinem seruant. 305
non sunt omnes eiusdem fortitudinis. 306
non obsident hominum corpora, nisi prius eorum mentes & cogitationes possederint. 310
pernicioßius possident hominum animas quàm corpora. ibid.
quomodo humanis mentibus copulentur. 301
quomodo energumenis dominẽtur. ibid.
quomodo repellendi & superandi sint. 336
duobus modis hominibus obediunt. ibid.
e corporibus quæ obsident, sanctorum orationibus expelluntur. 441
scripturæ auctoritatibus cõuincendi. 593
otioßorum sermonum instigatores sunt. 78
Dæmonum potestas post Christum imminuta. 309
eorum peccata veniam non merentur. 247
dæmonum genera diuersa. 315
eorum vires & ingenia etiam diuersa. 306
Dæmon aperte confessus est hæresim se per Arium & Eunomium hominibus suasisse. 316
Danielis abb. vita describitur. 238
Decimarum & primitiarũ oblatio gratum Deo munus. 556
Deus nihil creauit, quod substantialiter malum sit. 321
solus Deus incorporeus. 302
omnium sitit salutem. 420
propter se amandus. 387
Deo quædam ex consuetudine nostra adscribimus. 112
Deo tribuuntur membra humani corporis per metaphoram. 113
Dei ira qualis. 112
Deũ relinquere mors est. 609
Deus secundum præsentem iustitiam iudicat. 505
Diaconia siue dispensatio rerũ monasterij deferebatur probatißimo

mo cuidam seniorum. 555
Diaconiæ præfectus populi oblationes accipiebat. 555.556
Diaconatus ordinem abbas Daniel suscepit. 238
Diogenis sententia. 418
Diolci eremi descriptio. 80.511
Discretionis virtus oculus & lucerna in Euangelio dicitur. 199
inter nobilissima Spiritus sancti dona numeratur ab Apostolo. 198.
a solo Deo datur hominibus. ibi.
eius commendatio. 200
& tota fere collat. 2.
Diuitiæ proprie nostræ sunt quas nemo aut conferre aut auferre potest. 227
tripartitæ in scripturis sanctis intelliguntur, malæ, bonæ, mediæ. ibidem.
diuitiarum vsus qualis esse debeat. 278
Docere alios præsumentes reprehenduntur. 635
Dominico die nec ieiunandum, nec genuflectendum maiores censuerunt. 24.570
Dominicis diebus sacram communionem frequentandam. 621
eisdem diebus ad ecclesiam procedendum. 317
Dominos nostri nos non esse. 639

E

Ebrietas non ex vino tantum causatur. 62
Ecstases frequentes abbatis Ioannis. 532
Energumenis quomodo maligni spiritus copulentur. 301
Energumeni sanctorum inuocatione a dæmonibus liberantur. 312.441
pro energumenis orandum. 313
energumeni an sint a sacra cõmunione repellendi. ibid.
Epiphaniorum diem quomodo celebrabant Ægyptij. 364
Epistolæ paschales a patriachis per prouincias suas mittebantur. 364
Eremi commoda. 533
eremi & solitudinis finis. 535
Eua an grauius peccauerit quàm Adam. 325
Euangelij præcepta leuiora quàm legis. 579
Euangelij filios præcepta legalia supergredi debere. 557
Eucharistiæ sumptio contra diabolicas illusiones maxime confert. 589
ea nemo se dignum debet iudicare. 591
Eunuchis non desunt incentiua libidinis. 408
Eunuchorum tepor circa castitatem. 249
Eunuchi laudabiles qui. 590
Excitatoris in monasterio munus. 23
Excommunicatio. 23
eam incurrit qui orat cum excommunicato. ibid.
Exemplæ vitæ a paucis sed melioribus expetendæ. 57

F

Fides & eius incrementum ex Deo est. 233
cum spe & charitate comparatur. 385
Finis consideratio in omni re necessaria. 174
Finis cœnobitæ quis sit. 536
finis eremitæ. ibid.
finis Christiani. 175
Fornicatio spiritalis est omnis cogitatio a Deo discedens. 449
Fornicationis spiritus quomodo superetur. 86.255
sine Dei gratia non subigitur. 87
eius stimulos & cogitationes immundas statim reprimere oportet. 91
fornicationis genera tria. 262
fornicatio quadruplex in scripturis reperitur. 448
Fortis & sanus est qui succumbit alterius voluntati. 479
Furtum confessione purgatum. 206

G

Gastrimargia quid sit. 59.254
eius tria genera. 74.262
quomodo possit superari. 67
Genua in oratione non curuabantur totis Pentecostes diebus. 24 563.570
nec diebus Dominicis. 24.570
Gratiæ diuinæ bona omnia adscribenda sunt. 229. & seq. 610. & multis alijs locis.
Gratia & auxilio Dei semper homines indigent. 418
gratia pro merito vel desiderio audientium ministrat sermonem disputantibus. 295
sub gratia quemadmodum quis esse probetur. 581
Gratiarum actio quid. 348

H

Habitus solus monachum non facit. 251
Habitus monachorum Ægypti. 5 & sequent.
lineis tantum indumentis, atque ijs simplicibus vtebantur, non laneis. 38
habitus pro regionum varietate variandus. 10
qualis esse debeat. 6
habitum mutabant monachi Ægypti cum religionem ingrediebantur. 36
Hæresis Anthropomorphitarũ vnde traxerit originem. 367
Horaria officia, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, &c. significatio. 12.27
quomodo Domino soluerentur. 24.25
Hospitalitas commendatur. 37
etiam otiosis hominibus impertienda. 137
Humilitas omnium virtutum magistra. 461.531
miraculorũ dono præfertur. 461
humilitas vera absque nuditate conquiri non potest. 169
in quo consistat. 520
quomodo adquirenda. 169
Humilitas abbatis Ioannis. 531
Pynuphij abbatis. 51.544
cuiusdam fratris summa familiæ. 50

I

Ieiunium tunc gratum est Deo, cum fructibus charitatis est cõsummatum. 80
ab omni iactantia alienum esse debet. 318
In die Sabbati cur Romæ & in Occidentalibus ciuitatibus obseruaretur. 32
cur idem ieiunium Sabbato per

Orientis ecclesias relaxaretur. ibidem.
diebus Dominicis, & toto Pentecoste soluendū est. 24.563.570
ieiunium quotidianum in aduentu hospitum soluebant monachi Ægyptij. 75
ieiunium quartæ & sextæ feriæ non soluebatur vlla ratione. ibi.
ieiunium quale bonum sit. 566
ieiuniū Quadragesimæ decimæ totius anni. 574
ieiunium corporale ad spiritale ieiunium ordinatur. 72
non semper congruum. 568
ieiuniorum eadem regula ab omnibus obseruari non potest. 61
quis sit ieiunij finis. 73.567
Ieiunij relaxatio vtrum obsit castitati. 570
Ieiunantes ex indignatione reprehenduntur. 477
Infirmitas carnis puritati cordis non officit. 63
Infirmioribus condolendum. 209
Iniuriam Dei mitius quàm propriam nonnulli vindicant. 353
Iniurijs lacessiti quid agere debeant. 480
Inuidiæ morbus difficile curatur. 527
Inuocatione sanctorum dæmones expelluntur. 441
Ioannes abbas laudatur. 76.531
Ira etiam breuis cauenda. 117
quanta mala generet. 111
quæ iusta vel iniusta. 114
quomodo curanda. 122
eius tria genera. 263
Ira Dei qualis sit. 112
Iracundia maxime cauenda. 470
quomodo comprimenda sit. 481
Irasci nobis & vitijs nostris debemus. 115
Iudicare proximum non debemus. 76
Iugum Domini suaue. 639
Iustitiam humanam, si diuinæ iustitiæ conferatur, bonam non esse. 603

L

Labore manuū Apostolus Paulus viuebat. 134
Lacrymæ exteriores nō sunt magnopere affectandæ. 358
Lectiones sacræ in cœnobijs dum fratres reficiuntur vnde processerint. 42
Lex peccati quid sit. 611
Legis Dei scientia homini ab initio creationis infusa. 335
Legis transgressores etiam ante eius promulgationem a Deo iuste punitos. 336
Legem Moysi conuenienti tempore datam. ibid.
De libero arbitrio vide in obseruationibus in Cassianum propositiones vndecim.
Libido vnde dicatur. 397
Libidinis etiam memoria penitus subtrahenda. 542
Luxuria, vide Fornicatio.

M

Macarij abbatis sententia de monachi obseruantia. 84
eiusdem fabula de tonsoris cuiusdam facto. 632
eiusdem pulchra responsio. 264
Mafortes vestis monachorum Ægypti. 9
Malū à Deo creatum non est. 321
non infertur inuito. 279
Mala in hoc mundo quæ sint. 278
Mala pro afflictionibus in scriptura ponuntur. 280
Manuum suarum labore monachos sustentandos 13
eo orationes eorum non impediri. 25
Martha & Maria in Euangelio quid designent. 180
Matutinæ precationes quo tempore & vbi institutæ. 28
Matutinis orationibus finitis ad somnum reuerti nō oportere. 29
Media bona fiunt propter principale bonum. 567
Melotes monachorum Ægypti & pellis caprina. 9
De mendacio vide in obseruationibus. 732
Mens humana otiosa esse non potest. 296
neque in vno eodemq. statu manere. 291
Meritum vniuscuiusque non debet ex miraculis æstimari. 469
Miraculum maius est a se luxuriæ fomitem expellere, quàm dæmones ex aliorum corporibus. 462
Miracula Abrahæ abbatis. 460
Miraculis præponderat humilitas. 461
Monachi vnde dicti. 515
Ab Apostolis exorti. 514
olim diu probabantur priusquā ad monasterium admitterētur. 35. 37. 48. 51. & seq. 544
ingressu religionis habitum mutabant. 36
Monachi Tabennensiotæ nō permittebātur facultates suas monasterio conferre. 35
recens admissi quomodo probarentur. 37
primum omnium docebantur suas vincere voluntates. ibid.
iuniores seniorum vestigia sequi debent. 512
a coniugijs semper abstinuerūt. 515
quomodo se instituere debeant. 84
quomodo se gerere debeant erga eos a quibus afficiuntur iniuria. 480
non tantum semel initio professionis renuntiare debent mundialibus rebus, sed per totam vitam. 624
puritati cordis semper debent esse intenti. 68
placidi & mansueti esse debent. 114
in congregatione singularitatē fugere debent. 150
episcoporum & feminarum conuersationem vitare debent 149
iuniores mouachi etiā cogitationes senioribus suis aperire debent. 38
ijdem seniorum præcepta discutere non debent. 513
monachi ambitiosi aut alios docere præsumentes taxātur. 252
quomodo vitia sua explorare debeant. 538
eadem quomodo corrigere. 540
Cenodoxia maxime impugnantur. 144
Acedia corripiuntur. 128.129
eorum tria genera in Aegypto. 513

quartum genus eorum postremo exortum. 518
Monachorum Ægypti quales cibi. 39
eorum obedientia. 38.39
eorum obsequia mutua. 43.44
Monachis recordationem parentũ & amicorum etiam per litteras ingestam damnosam esse. 78
Monasterium quid differat a cœnobio. 519
Mortificatio Apollo Abbatis. 629
Mortuorum anniuersarius depositionis dies celebratus. 530
pro mortuis oblationes fiebant, 102
Moses abbas. 174

N

NOstrum id tantum est quod corde possidetur & animæ adhæret. 228
Nouitij monachi secularia vestimenta deponebant, & ab abbate monasticis induebantur. 36
eadem a dispensatore cur seruarentur. ibid.
quomodo probabantur. 35.37
qua causa ex cœnobijs expellebantur. 36
Nuditate tãtum philargyria vincitur. 108

O

OBedientia omnibus virtutibus antelata. 39
Obedientia abbatis Ioannis. 46.47 & 48
abbatis Mucij. 48
cuiusdam fratris. 49
Tabennensiotarum monachorum. 34.38.& 39.
Oblationes pro mortuis factæ. 102
Obsecratio quid sit. 347
Obsequia monachorum mutua. 43 44
Octo principalia vitia. 269
& in octo posterioribus libris institutionum.
Operatio manuum multa vitia amputat. 136
Operis valor ex operantis affectu, non ex euentu metiẽdus est. 181
Orantes secularia carmina & curas quomodo debeant excludere. 449
Orare cum suspenso ab oratione non licet. 23
Oratio quid sit. 347
frequens & breuis esse debet. 363
cum magno silentio fiebat a monachis Ægypti. 18
qualis esse debeat ex sententia B. Antonij. 358
oratio sincera ac pura quomodo comparetur. 340
nõ impeditur manuali opere. 25
Orationis Dominicæ expositio. 450 & sequent.
Orationis ipsa hora peccatum declinari vix posse. 619
Orationem sacerdos concludit. 18
exauditam esse quo iudicio cognosci possit. 359
Orationum quadripartita species. 346
Orationibus magis quàm studio ad scripturarum notitiam pertingitur. 79
Oratione qua debeant a Deo postulari. 355
Ordines angelorum quid significent. 327
Otio-



Otiosis etiam & negligentibus humanitatem impertiendam. 136

P

PAesij abbatis laus. 76
Paphnutij anachoretæ laus. 218
eius patientia. 524
illi Bubali cognomen inditum. 219.524
Paschæ dies a pontifice Alexandrino per omnes Ægypti vrbes & monasteria quotannis per epistolas designabatur. 304
Pastoris liber citatur. 329.427
Patientia vnde dicatur. 521
omnibus est generaliter exhibenda. 475
non est de aliorum virtute speranda, sed de propria longanimitate. 58
quomodo adquiri & retineri possit. 521
patientia simulata qua sit. 477
patientia cuiusdam religiosæ feminæ. 522
Paphnutij anachoretæ. 524.537
cuiusdam monachi. 530
Pauli eremitæ laus. 142.515
Peccata omnia voluntaria esse. 599
venialia quomodo committantur. 553.595
multis modis deleri possunt. 549
Peccatorum magnitudinem pauci intelligunt. 68
eorum recordatio quousque vtilis sit. 547.& seq.
Pecuniam suam ad vsuram qui dare dicantur. 455
Pera & baculus monachis Ægypti iter facientibus familiare gestamen. 383
Perfectio in quibus rebus consistat. 178
ad eam quibus gradibus perueniatur. 56.58
attingi nisi humilitatis virtute non potest. 164
ad eius fastigium facilius secularis accedit, quàm monachus qui non secundum professam regulam viuit. 250
Perfectionis doctrina non passim omnibus tradenda est. 174
eius exempla a paucis expetenda. 57
Perfectionis viam a quibus discere debeamus. 158
eius diuersa genera. 391
Perseuerantia maxime monacho necessaria. 55
Perseuerandum monacho in professione semel arrepta. 440
Phylargyria quid sit, & vnde nascatur. 95
eam non pecunia, sed amor pecuniæ facit. 107
cunctis animi morbis perniciosior. 96
semel admissa quàm difficile expellatur. 97
quantorum malorum sit procreatrix. 98
ea triplex est. 102
ab ea vinci ignominiosum est. 116
quomodo sit superanda. ibid.
nisi nuditate vinci non potest, 108.109
ante diluuium ignota. 260

*Philargyria Iudæ proditoris.* 107 108
*Pœnitentia plena definitio.* 546
*eius diuersi fructus.* 548
*quanto tempore sit agenda.* 553
*Pollutio nocturna ex quibus causis procedat.* 90.584
*an per somnum accidēs officiat castitati.* 407.587
*nō semper impedit Eucharistiæ perceptionem.* 586
*nonnumquam inimici factione contingit.* 588
*quomodo vitanda.* 95
*Possessio etiam minutarum rerum monacho perniciosa.* 165.178
*Postulatio quid sit.* 253.347.349
*Potestates aereæ quæ dicantur.* 325
*quare principatus & potestates appellentur.* 327
*Practice in quo consistat.* 438
*per eam ad Theoreticen peruenitur.* ibid.
*quomodo adquiratur.* 439
*Præcepta Euangelij leuiora legis præceptis.* 579
*Presbyter ordinatur Daniel abbas.* 238
*Primitiæ spiritales quæ sint.* 574
*Probari diligentissime debent qui ad religionem admittendi sunt* 35.37.& 544.
*Professio monachorum quibus auctoribus instituta sit.* 514
*Proprio iudicio ac consilio confidere periculosum.* 207
*Prosperis facilius quis eliditur quam aduersis.* 283
*Prouidentia Dei omnia in hoc mūdo geruntur.* 236
*Psalmorum modus canonicus.* 25
*Psalmorum intelligentia quomodo adquirenda.* 377
*Puritas cordis monacho semper cura esse debet.* 68
*quo modo ea adquiratur.* 89.94
*eam tota virtute adquirere debemus.* 179
*puritatis perfectæ indicium* 89
*qualiter custodiatur.* 91
*Pynuphij abbatis humilitas & latebra.* 50.51.543.& seq.

Q

*Quadragesima cur ita vocetur cum triginta sex diebus tantummodo ieiunetur.* 575
*diuerso dierum numero per diuersas prouincias seruabatur.* ibidem.
*eius ieiunium ad animæ decimas refertur.* 573
*quadragesimæ causa & initiū.* 577
*quadragesimæ tempore monachos maxime oppugnari.* 576
*Quartum genus monachorū.* 516
*Quinquagesima, hoc est, Pentecostes tempore cur laxentur ieiunia.* 563.569
*eodem tempore genua in oratione publica non flectebantur.* ibi. & 24
*quinquagesimæ figura in veteri testamento præcessit.* 569

R

*Rebrachiatoria monachorum quid.* 8
*Recedere a Deo mors est.* 609
*Reconciliatio fraterna quid.* 118. 468. & 474
*Recordatio peccatorum quousq. sit vtilis.* 547.& seq.
*Refectionis monachorum tempus atque mensura.* 214.216.217. & 572.
*Refectio monachorum extra communem mensam aut tempus vituperatur.* 42.72. & 74
*Refectionis tempore vt sacræ lectiones recitarentur; quibus auctoribus sit institutum.* 42
*refectionis tempore a monachis Ægypti summum silentium seruabatur.* 42
*Regnum Dei & regnum diaboli describitur.* 184
*Regnum cælorum tripliciter accipiendum.* 185
*Reliquiæ sanctorum deuotissime venerate.* 276
*Remissio peccatorum multis modis fit.* 549
*Renuntiatio. vide Abrenuntiatio.*
*Romæ cur sabbato ieiunaretur.* 32

S

*Sabbato per omnem Orientem cur non ieiunaretur.* 32
*Sabbato vespera illucescente vigiliæ celebrabantur.* 31.32
*Sabbato Romæ cur ieiunetur.* 32
*Sacerdos precem concludebat.* 18
*Sacerdos spiritales hostias Deo offert.* ibid.
*Salomonis tres libri tribus abrenūtiationū generibus aptātur.* 223
*Sanctus & immaculatus quid differant.* 592
*Sancti omnes peccatores se & immundos esse veraciter confessi sunt.* 595. 617
*Sanctorum intercessione delictorū venia impetratur.* 549
*eorum interuentione pelluntur dæmones.* 441
*Sanctos veteris testamenti mandata legis supergressos fuisse.* 556
*Sarabaitarum origo & conuersatio.* 516
*Saturitas omnis cauenda.* 62.64
*ea in refectione quærenda non est.* 215
*Scientia legis Dei illuminatione confertur.* 231
*Scientia sine castitate obtineri nō potest.* 93
*Scientia actualis gradus est ad spiritalem.* 444
*Scopus nostrarum actionum quis esse debeat.* 299
*Scopus & finis esse debet in qualibet disciplina vel arte.* 174
*Scripturarum diuinarum sacramenta quibus sint dispensanda* 455.
*earum intelligentia magis oratione quàm studio adquiritur.* 79
*ad eam quibus gradibus perueniatur.* 446
*Scripturarum diuinarum varij sensus.* 447
*cur eas Deus obscuras esse voluerit.* 319
*eas quidam in prauum sensum detorquent.* 192
*earum auctoritate dæmones cōuincendi.* 593
*Scriptura diuina agro fertili comparatur.* 319
*Sereni abbatis commendatio.* 293
*Silentium mirum orationis tempore apud Ægypti monachos.* 18
*Silentij commendatio.* 22
*Socratis continentia.* 418

*Solitariam vitam qui petere debeant.* 119.537
*Solitarios acedia circa meridiem maxime infestat.* 127
*Solitudinis commendatio.* 291.383. & 533
*Somni moderata refectio necessaria est.* 31
*Somnus deceptor fraudulentus puritatis.* 399
*Somni canonicum tempus monachi excedere non debent.* 72.213
*Spadones plerumque tepidi.* 249 400
*Spes cum fide & charitate comparatur.* 385
*Spiritalis doctrina quibus de causis infructuosa reddatur.* 455
*Spiritalis scientia in illitteratis quãdoque mirabiliter viget.* 453
*Spiritalia peccata quæ sint.* 255
*Superbia cunctis vitijs immanior bestia.* 151
*perfectos viros maxime impugnat.* ibidem.
*omnes virtutes exhaurit.* ibid.
*ea duplex est, spiritalis, atque carnalis.* ibid.
*spiritalis superbia quos pulsat, quosque carnalis.* 104
*ex superbia quanta vitia generentur.* 165
*quibus indicijs animæ ineſſe cognoscitur.* 167
*Superbia luciferũ ex sublimi calorũ sede animæ detrusit.* 152.259
*ea quomodo superari possit.* 155 169
*Superbi alijs præesse volunt.* 168
*Suum monachus nihil quidquam dicere debet.* 39

T

*Tabennensiotæ monachi ei quos suscipiebant nihil rerũ temporalium monasterio inferre volebant.* 35
*eorum summa obedientia.* 34
*Taciturnitatis & silentij commendatio.* 22
*Taciturnitas quæ noceat.* 206
*Temporali castigatione reprobos homines indignos esse.* 314
*Tentationum tolerantia a Deo tribuitur.* 234
*Tentationum diuersa genera.* 286
*Tentationum Christi ordo & ratio.* 258
*Tentationes quid vtilitatis afferant.* 642
*Tentationibus vt careamus non esse petendum.* 354
*Theonæ abbatis commendatio.* 555 560
*Tepidi monachi sæcularibus inferiores sunt.* 253
*Theoretice quid sit, & in quo consistat.* 438
*eius partes & genera.* 442
*quomodo apprehendi possit.* 446
*Theoretica vita laudatur.* 480
*Theoria, ideſt, contemplationi Dei, vniuersa virtutum studia postponuntur.* 601
*illi nemo perpetuo intentus esse potest.* 603
*Theoria an semper aliquis affixus esse possit.* 183.
*Timore compulsus quis bonum, an charitate faciat, plurimum differt.* 387
*Timor sanctus quis.* 393
*Tristitia vnde oriatur.* 124
*eius spiritus homini perniciosus.* 123
*desperationem nõnumquam inducit.* 126
*in quo sit vtilis.* ibid.
*eius genera duo.* 263
*quomodo sit repellenda.* 127
*Tropologia quid sit.* 443

V

*Vanagloria. vide Cenodoxia.*
*Venundati diabolo quomodo dicamur.* 611
*Venialia peccata non possunt in hac vita semper vitari.* 389. 592.605
*ea non tollunt sanctitatis aut iustitiæ nomen.* 395
*non impediunt sacram communionem.* 620
*quomodo committantur.* 553. 595
*non sunt paruipendenda.* 606
*Veritas quomodo sit examinanda.* 470
*Vigiliæ sabbato celebratæ.* 31.32
*Virgines fuerunt Elias & Hieremias.* 87.557
*Virgines fuerunt vterque Ioannes & Daniel.* 87
*Virginitatis laus.* 590
*Virtus animi sola per se principale bonum est.* 278
*Virtus vnaquæque ab eo qui earũ peculiarius possidet expetenda est.* 60
*Virtutes difficilius plantantur, quàm eradicantur vitia.* 439
*Vitia octo principalia. vide per totos octo postremos libros institutionum, & 254.269*
*Vitia quædam sunt carnalia, quædam spiritalia.* 257
*facilius euelluntur quàm virtutes plantantur.* 439
*quæ extra naturam sunt, pene incurabilia esse.* 97
*curari non possunt nisi radices eorum & causa fuerint publicatæ.* 149
*vitijs quomodo contra nitendum.* 265
*Vitiorum nos impugnantium numerus amplior quàm virtutum.* 103
*Vitium illud potissimum quis impugnare debet a quo se magis oppugnari sentit.* 275
*Voluntati alienæ suam inijcere fortis est.* 479
*Voluntatibus proprijs monachi renuntiare debent.* 37

X

*Xenodochij vberrimus fructus.* 628

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# CATALOGVS LOCORVM
## sacræ Scripturæ, quæ à Cassiano in his libris obiter explicantur.

### Ex Genesi.


1 IN principio fecit Deus cælũ & terram. 322
Et ecce omnia quæ fecit Deus bona valde. 602
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã. 365
3 Serpens autem erat sapientior cunctis bestijs terræ. 324
Ipsa conteret caput tuum: & tu obseruabis calcaneum illius. 55.91.107
Maledicta terra in operibus tuis: spinas & tribulos germinabit tibi, &c. 611
4 Nonne si rectè offeras rectè autem non diuidas, peccasti? 571
6 Cum vidissent filij Dei filias hominum eo quòd essent pulchræ acceperunt sibi vxores. 331. & seqq.
Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quòd caro sunt. 243
8 Humanum genus diligenter intentum est ad nequitiam a iuuentute sua. 600
12 Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui 222
Et veni in terram quam tibi monstrauero. 229
15 Semini tuo dabo terram hãc, a fluuio Ægypti vsque ad fluuiũ magnum Euphraten, Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, & Ethæos &c. 272. & seq.


### Ex Exodo.


4 Otiosi sunt, &c. Opprimantur laboribus. & soliciti sint in operibus suis, & non sint soliciti in verbis vanis. 576
20 Non fornicaberis. 448
22 Decimas tuas & primitias offeres Domino Deo tuo. 573. & seq.
33 Quia non potetis videre faciẽ meam: non enim videbit me homo, & viuet. 189


### Ex Leuitico.


7 Anima quæcumque comederit de carnibus sacrificij salutaris, quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino. 89.397
21 Et de sanctis non egredietur, ne polluat sanctuariũ Dei. 447


### Ex Numeris.


11 Quis dabit nobis ad vescendũ carnes? 270


### Ex Deuteronom.


7 Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te, Ethæum, & Gergesæum, &c. 268. & seq.







Non timebis eos, &c. Deus magnus & terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris delere eas pariter, &c. 266
8 Ne postquam comederis. & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris. &c. nõ reminiscaris Domini Dei tui. 266
9 Ne dicas in corde tuo, &c. Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem. 267
20 Si quis est homo formidulosus & corde pauido non egrediatur ad bellum: vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum, &c. 103
23 Non abominaberis Ægyptiũ, quia fuisti incola in terra eius. 270


### Ex lib. Iudic.


3 Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit vt erudiret in eis Israelem, & haberent consuetudinem cum hostibus præliandi. 241


### Ex 1. Reg.


3 Vocauit Dominus Samuelem, dicens: Samuel, Samuel, &c. 212


### Ex Iob.


1 Numquid gratis Iob colit Deũ? Sed aufer manum tuam. 430
2 Ecce trado eũ in manus tuas, tantum animam eius custodi. 302
3 Mors viro requies, cuius vita abscondita est. 280
15 Si in sanctis suis non confidit, & in angelis suis reperit prauitatem. 609
38 Quando facta sunt simul sidera, laudauerunt me voce magna omnes angeli mei. 322
39 Quis est qui dimisit onagrum liberum, &c. Posui autem habitaculũ eius desertum, &c. 516
40 An putas me tibi aliter locutum, quàm vt appareres iustus? 286


### Ex Psalmis.


4 Irascimini, & nolite peccare quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. 115
6 Non est in morte qui memor sit Dei, in inferno autem quis confitebitur Domino? 185
14 Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. 455
15 Prouidebam Dominum in cõspectu meo semper, &c. 490
18 Ab occultis meis munda me, & ab alienis, &c. 553
34 Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit, apprehendat eum, &c. 307
35 Homines & iumenta saluabis Domine. 320
36 Cum ceciderit non collidetur, &c. 596
37 Ego autem tamquam surdus non audiebam, &c. 57
44 Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. 222

45 Venite & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ, &c. 402.411
61 Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum, in stateris, vt decipiant. 571
65 Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. 60
69 Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandũ me festina. 372
72 In laboribus hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. 287.314
73 Pauper & inops laudabunt nomen tuum. 376
75 Notus in Iudæa Deus, in Israel autem magnum nomen eius. 408
80 Si populus meus audisset me. Et non audiuit populus meus vocem meam. 236. & seq.
81 Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. 323
87 Mane oratio mea præueniet te. 574
90 Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. 192
93 Si dicebã, Motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me. 231
100 Psallam & intelligam in via immaculata. 445
101 Quia cinerem sicut panem manducabam, & poculum meũ cum fletu miscebam. 358
103 Montes excelsi ceruis, petra refugium erinacijs. 376
113 Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. 187
117 Impulsus versatus sum vt caderem, & Dominus suscepit me. 239
118 Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. beati qui scrutantur testimonia eius. 453.
Non me derelinquas vsquequaque. 241
Dormitauit anima mea præ tædio. 129
Bonum mihi quia humiliasti me. 241
Quia factus sum sicut vter in pruina. 11
A mandatis tuis intellexi. 445
Affige timore tuo carnes meas. 53.54
Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum, vt discam mandata tua. 232
Præueni in maturitate, & clamaui. 27.574
Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ. 29
132 Ecce quam bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. 467
136 Beatus qui tenebit & allidet paruulos Babylonis ad petram. 91
138 Quia tu possedisti renes meos 406
Mirabilia opera tua, & anima mea nouit nimis. 410.412
140 Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. 27
141 In via hac qua ambulabam, absconderũt laqueum mihi. 145

Ex Prouerbijs.

2 Nam si ambularent semitas rectas, inuenissent utique semitas iustitiæ leues. 641
3 Honora Deum de tuis iustis laboribus, & deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ. 139
4 Omni custodia serua cor tuũ. 85.90.91
Ne diuertaris ad dextram neque ad sinistram. 144
9 Sed exili, noli demorari in loco eius, neque intendas oculum tuum in eam. 552
21 Quibus non est gubernatio, cadunt vt folia. 200
Malignus nocet cum se commiscuerit iusto. 193
Sicut inauris aurea in naribus suis, ita multieri malemoratæ species. 453
12 Melior est vir in ignobilitate seruiens sibi, quàm qui dignitatem sibi acquirit, & indiget pane. 633
Itinera eorum qui memoriam retinent malefacti, in mortem 119
14 Qui suauis & sine dolore est, in egestate erit. 455.646
Longanimis vir nimius in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est. 482.521
15 Vię nihil operantium strata sunt spinis. 141
16 Omnia operatus est Dominus propter semetipsum. 385
Ante contritionem præcedit iniuria, & ante ruinam mala cogitatio. 292
Homo in laboribus laborat sibi. & vim facit perditioni suæ. 646
17 Fidelis viri totus mundus diuitiarum. 644
Vt quid fuerunt diuitiæ insipienti? 453
Insipienti interroganti sapientiam, sapientia reputabitur. 243
18 Insipiẽtia viri corrumpit vias eius, Deum autem causatur in corde suo. 405.643
19 Cogitatio bona scientibus eam appropinquat, vir autem prudens inueniet eam. 296
20 Pondus magnum & pusillum, & mensuræ duplices, immunda sunt apud Dominum vtraque. 571
22 Tu autem describe tibi ea tripliciter, super latitudinem cordis tui. 442
23 Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi, &c. 197
Et vestietur concisa veste & pannosa omnis somniculosus. 140
24 Cum sapientia ædificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur, &c. 201
Erue eos qui ducuntur ad mortem, & redimere eos qui interficiuntur ne parcas. 211
Noli applicare impium ad pascua

Universidad de Deusto
Biblioteca

*pascua iusti, neque seducaris saturitate ventris.* 454
*Septies in die cadit iustus, & resurgit.* 553.595
*Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari; in supplantatione autem eius noli extolli, &c* 267
25 *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* 123.124
26 *Verba callidorum mollia, hæc autem feriunt in penetralia ventris.* 476
*Si te rogauerit inimicus magna voce, ne consenseris ei: septem enim nequitiæ sunt in anima eius.* 274
27 *Nihil sustinet zelus.* 528
*Anima quæ in satietate est, fauis illudit: animæ autem egēti etiam amara dulcia videntur.* 450
*Stillicidia eijciunt hominem in die hiemali de domo sua.* 292
28 *Qui sectatur otium, replebitur paupertate.* 140
29 *Totam iram suam profert stultus; sapiens autem dispensat per partes.* 481
30 *Et erinacij gēs inualida, qui fecerūt in petris domos suas.* 376
31 *Cum consilio omnia fac, cum consilio vinum bibe.* 200
*Date ebrietatem his qui in tristitia sunt, & vinum bibere his qui in doloribus sunt. &c.* 455
*Omnes enim qui apud eā sunt. vestiti sunt dupliciter.* 442
*Fortitudine & decore induta est, & lætata est in diebus nouissimis.* 140

Ex Ecclesiaste

4 *Melior est pugillus vnus cum requie, quàm duo pugylli cum labore & præsumptione spiritus.* 633
5 *Si uoueris votum Deo, ne morā feceris reddere illud. & :*
*Melius est nō vouere te, quàm vouere & non reddere.* 347
6 *Omnis labor hominis in ore ipsius.* 445
7 *Quia non est iustus homo in terra, qui faciat bonum, & non peccabit.* 609
*Fecit Deus hominem rectum, & ipsi quæsierunt cogitationes multas.* 426
10 *Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori.* 207.528
*Labor stultorum affliget eos, qui non nouerunt ire in ciuitatem.* 642
*In pigritijs humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum stillabit domus.* 292
11 *Da partem his septem, & quidem his octo.* 32
12 *Priusquam conuertatur puluis in terram sicut fuit, & spiritus reuertatur ad Deum qui dedit illum.* 337

Ex canticis cantic.

1 *Trabes nostræ cypressus, tignā domorum nostrarum cedri.* 124
2 *Leua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* 285
*Ordinate in me charitatē.* 473

Ex



Ex Sapientia.

4 *Senectus enim honorabilis est. nō diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* 208

Ex Ecclesiastico.

21 *Ne beatifices hominem ante exitum suum.* 291
25 *Quæ non congregasti in iuuentute, quomodo inuenies in senectute tua?* 208
39 *Vniuersa quæ fecit Deus, bona in tempore suo.* 602

Ex Esaia.

11 *Et replebit eum Spiritus timoris Domini.* 394
26 *Adde illis mala Domine, adde mala gloriosis terræ.* 280
29 *Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non a vino, mouemini & non ab ebrietate.* 342
45 *Ego ante te ibo, & potentes terræ humiliabo, &c.* 59
*Absque me non est Deus, ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans mala.* 280
48 *Propter me longe faciam furorem meum, & laude mea infrænabo te, ne intereas.* 264
52 *Exurge, exurge Hierusalem, induere vestimentis gloriæ tuæ.* 140
56 *Qui custodierint sabbata mea, &c. dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filijs & filiabus; nomen sempiternum dabo eis quod non peribit.* 590
61 *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.* 571
66 *Erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato.* 573

Ex Hieremia.

1 *Ego constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* 439
2 *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non recepistis.* 287
4 *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* 251
5 *Percussisti eos & non doluerunt, &c. indurauerunt facies suas super petram, & noluerūt reuerti.* 288
6 *Malitiæ eorum non sunt consumptæ, argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* ibid.
8 *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incātatio, & mordebunt vos.* 527. 529
11 *Ecce inducam super eos mala.* 280
15 *Interfeci & perdidi populum meum, & tamen a vijs suis non sunt reuersi.* 287
17 *Confundantur illi, & non cōfundar ego, &c. & duplici contritione contere eos.* 307
26 *Et penituit Deus super malitiam*

*tiam quam locutus est vt faceret eis, & non fecit.* 280

30 *Faciam consummationem in cunctis gentibus, &c. castigabo te in iudicio, vt non tibi videaris innoxius.* 287

48 *Maledictus qui facit opera Domini fraudulenter.* 571
*Maledictus qui prohibet suum gladium a sanguine.* 551

51 *Subito cecidit Babylon, contrita est, &c. Curauimus Babylonem, & non est sanata, &c.* 315

Ex Baruc.

3 *Quare inueteratus es in terra aliena?* 265

Ex Ezechiele.

16 *Iam non irascar tibi, & zelus meus recessit a te.* 288

20 *Et dedi eis præcepta non bona, & iustificationes in quibus non viuent in eis.* 581

24 *Pone eam super prunas vacuam, vt incalescat & liquefiat æs eius, &c.* 288

Ex Daniele.

20 *Princeps regni Persarum restitit mihi, &c.* 326

Ex Osee.

2 *Et dormire eos faciam fiducialiter.* 404

7 *Et comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* 208
*Emendabo eos in auditu tribulationis suæ.* 288

10 *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ.* 452

Ex Ioele.

1 *Expergiscimini qui estis ebrij, & non a vino.* 342

3 *Infirmus dicat, quia fortis sum ego; & qui patiēs est, sit pugnator.* 299

Ex Amos.

3 *Si est malitia in ciuitate, quā Dominus non fecit?* 280

4 *Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam, &c. & nec sic redistis ad me, dicit Dominus.* 287

5 *Qui facit omnia, & conuertit ea, & transmutat in matutinum vmbram mortis.* 411

8 *Occidet ei sol in meridie.* 116

Ex Iona.

4 *Quia tu Domine misericors & miserator, patiens & multum misericors, & pœnitens in malitijs.* 280

Ex Michæa.

7 *Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* 363

Ex Habacuc.

1 *Et Escæ eius electæ.* 154

2 *Super custodiam meam stabo, & ascendam super petram, & speculabor, &c.* 625
*Væ qui potat amicum suum, mittens fel suum, & inebrians, &c.* 476


Ex




Ex Aggæo.

1 *Et qui mercedes congregat, misit eas in sacculū pertusum.* 633

Ex Malachia.

1 *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum timebit.* 388. 393.

4 *Timētibus nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* 116

Ex Matthæo.

4 *Dic vt lapides isti panes fiāt.* 257. 636.

5 *Beati pauperes spiritu, &c.* 376
*Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* 401
*Nolite æstimare quòd veni soluere legem aut prophetas. non veni soluere, sed adimplere.* 491
*Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* 121
*Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, &c.* 117. 118. 469. 474
*Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* 478

6 *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscōdito.* 362
*Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, &c.* 350. & seqq.
*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea, &c.* 194
*Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* 190
*Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c.* 199

7 *Qui audit verba mea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, &c.* 340

8 *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit, &c.* 297

9 *Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?* 569

10 *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* 53. 54

11 *Regnum cælorū vim patitur, & violenti diripiunt illud.* 646
*Iugum meū suaue est, & onus meum leue est.* 639. & seqq.

12 *Arundinē quassatam non cōteret, & linum fumigans non extinguet.* 211
*Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, &c. Tunc vadit & assumit alios septē spiritus nequiores se, &c.* 273

13 *Simile est regnū cælorum homini negotiatori quærēti bonas margaritas.* 601

18 *Si manus tua vel pes tuus scādalizat te, abscide eum & proijce abs te, &c.* 193

19 *Ecce nos reliquimus omnia, &c. In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, &c.* 228
*Omnis qui reliquerit domum,*

&c. centuplum accipiet in præsenti, & vitam æternam possidebit. 643
24 Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. 54.109
25 Simile est regnũ cælorum decem virginibus, &c. quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. 591

Ex Marco.

20 Nemo est qui reliquit domũ, &c. qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, fratres, & sorores, & matrem, & filios, & agros cũ persecutionibus, &c. 645.646

Ex Luca.

9 Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciẽs retro, aptus est regno Dei. 54.109
10 Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima: paucis vero opus est, aut etiam vno. Maria bonam partẽ elegit quæ non auferetur ab ea. 180.601
21 Dum fortis domum suam custodit armatus, in pace erit omnis substantia eius, &c. 91
16 Si in alienis fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? 228
17 Regnum Dei intra vos est. 184
21 Videte nequãdo grauẽtur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis sæcularibus. 341
22 Iuda, osculo filium hominis tradis? 477
23 Hodie mecum eris in paradiso. 180

Ex Ioanne.

8 Diabolus mendax est, & pater eius. 337
12 Si quis mihi ministrat, me sequatur, &c. 185

Ex Actis Apost.

10 Vidit Petrus cælum apertum, & descendens vas quoddã, quasi linteum magnum, quattuor initijs de cælo submissum in terram, &c. 26
20 Omnia ostendi vobis, quia sic laborantes oportet suscipere infirmos: quoniam ipse Dominus dixit: Beatius est magis dare quàm accipere. 103.138

Ex epist. ad Rom.

6 Vt destruatur corpus peccati. 396
Nõ regnet peccatum in vestro mortali corpore, &c. 389
Peccatum in vobis non dominabitur. 378. & seq.
Habentes fructum vestrum in sanctificatione, &c. 177
7 Scimus quia lex spiritalis est. ego autem carnalis sum, venũdatus sub peccato. 611
Scio autem quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. 613
Non enim quod volo facio bonũ, sed quod odi malũ hoc ago. 597. et tota fere Collat. 23. & præsertim pag. 613. & seq.
Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, &c. 610. & seq.
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 614. & seq.
8 Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati. 257. 594
Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. 243
Diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum. 282
9 Optarem enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. 351.605
12 Vnum quidẽ est corpus Ecclesia, multa autem membra: quæ habet donationes secũdum gratiam quæ nobis data est differentes, &c. 440
Non vosmetipsos vindicantes, sed date locum iræ. 481
13 Et carnis curam ne feceritis in desiderijs. 63

Ex 1. ad Corint.

4 Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. 591
5 Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. 187
9 Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. 88.89
Ego igitur sic curro, non quasi in incertũ; sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, &c. 69.70.71
10 Qui se existimat stare, videat ne cadat. Tẽtatio vos nõ apprehẽdit nisi humana. 69.71.431
11 Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, nõ discernens corpus Domini. 587
13 Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperũ, charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodest. 178.225
Charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, nõ agit perperam, &c. 178
Charitas numquam excidit. 183
14 Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? 443
15 Cum tradiderit regnum Deo & patri cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & dominationem. 327
Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. 243

Ex 2. ad Corint.

5 Et si cognouimus secundũ carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. 368
6 Per arma iustitiæ quæ sunt a dextris & a sinistris. 282.283
7 Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur. 126
10 Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potẽtia Deo. 297

Ex epist. ad Galat.

5 Vos enim in libertatem vocati estis fratres; tantum ne libertatem in occasionẽ detis carnis. 581

*Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, &c.* 242

6 *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* 53.54

Ex epist. ad Ephes.

4 *Sol non occidat super iracundiam vestram, neque detis locũ diabolo.* 116

*Omnis ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis.* 114

6 *Sumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita restinguere.* 298

Ex epist. ad Philip.

1 *Desiderium habeo dissolui, & cum Christo esse, multo magis melius.* 187

3 *Quæ posteriora sunt obliuiscẽs, ad ea vero quæ ante sunt extendens me, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis Domini.* 177.551

Ex epist. ad Colos.

3 *Mortificate mẽbra vestra quæ sunt super terram, &c.* 396.397

*Et auaritia, quæ est simulacrorum seruitus.* 99.398

Ex 1. ad Thess.

4 *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, &c.* 92

*De charitate fraternitatis nõ necesse habemus scribere vobis, &c.* 130. & seqq.

5 *Sine intermissione orate.* 341. 344. & seq. & 379

Ex 2. ad Thess.

3 *Denuntiamus vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* 132. vsque ad 137.

Ex 1. ad Tim.

1 *Iusto lex non est posita.* 556. & seq.

2 *Deprecor primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* 346. & seq.

*In omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* 341. 344

4 *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia.* 182

6 *Habentes alimenta & operimenta, his contenti simus.* 6

*Radix omnium malorum est Philargyria.* 96. & seq.

Ex 2. ad Tim.

2 *Qui in agone contendit, non coronabitur nisi legitime certauerit.* 65

Ex epist. ad Hebr.

4 *Tentatum per omnia secundũ similitudinem nostram absque peccato.* 256.593

9 *Tabernaculum enim, &c. & arcam testamenti habentem in se duas tabulas lapideas, & vrnam auream, &c.* 446

*Sine sanguinis effusione nõ fit remissio.* 551

12 *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam.* 93

Ex epist. Iacobi.

4 *Deus superbis resistit.* 154

Ex epist. 1. Ioan.

3 *Qui odit fratrem suum, homicida est.* 122

5 *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* 389

Ex Apocal.

3 *Vtinam calidus esses aut frigidus.* 250



FINIS.

# REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq
Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc.

Omnes sunt quaterniones, Ccc duernio.

ROMAE,
Ex Typographia Vaticana.
M. D. LXXXVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca